TRAGICA,

Seu tristium historiarum

DE POENIS CRIMINALIBVS ET EXITV HORRIBILI

Eorum

Qui Impietate, Blasphemia, contemptu & abnegatione Dei, Hæresi, Magia, Execratione, Maledicentia, Periurio, & alio quouis Nominis Diuini rerumq; Deo sacrarum abusu: Impietate erga Parentes, cæterosq; sanguine junctos: Parricidio, Tyrannide, Homicidio, Adulterio, Incestu atq; alijs nefarijs libidinibus: Sacrilegio, Furto, Auaritia, Latrocinio, Rapina, Mendacio, Fraude, & omnis generis illicita atq; execrabili vitę turpitudine vltionem diuinam prouocarunt, & mirabiliter perpesi sunt.

LIBRI II.

In gratiam vsumq; eorum qui vel sacrosanctis Ecclesiæ occupationibus, vel rebus gerendis præsunt, vel etiam domesticam familiam regunt, ex probatissimis omnium ætatum scriptoribus summa fide ac diligentia selecti.

Adiectus est in calce index seu distributio omnium historiarum per locos communes locupletissime digesta.

1597

ISLEBIÆ

Procurante & sumptum faciente Henningo Grosio Bibliop. Lip.

CVM PRIVILEGIO.

~~1440 & 795~~
BK
A.6343

CORNELL UNIVERSITY.
President White
Library
RECEIVED 1891.

REVERENDISSIMIS PIETATE NOBILITATE ET eruditione præstantissimis: prudentia rerum vsu, & omni virtutum genere ornatissimis & amplissimis viris;

DOmino Casparo à Kannenbergk Decano & Præposito VValbeccensi.
D. Iohanni à Breitzken. Seniori, Thesaurario & Consiliario.
D. Ioachimo Ioanni Georgio à Schulenburgk Cellario.
D. Ernesto ab Arenstet.
D. Ioachimo à Burgk; Vicedomino & Præposito Ecclesiæ D. Bonefacij.
D. Mathiæ ab Oppen Portenario & Consiliario.
D. Ernesto à Bieren.
D. Ludouico à Lochau Scholastico.
D. Abrahamo à Rintorff.
D. Casparo VVrampe.
D. Henrico à VVidensehe.
D. Hermanno Stalen.
D. Ioachimo à Treschau.
D. Iohanni à Randau. præposito D. Pauli
D. Friderico à Breitzken.
D. Petro Gotzen.
D. VVichmanno à Lochau.

Totique Capitulo Ecclesiæ Cathedralis in Halberstadt Canonicis, Dominis & Mecœnatibus meis omni obseruantia colendis.

CVm, Reuerendissimi & Nobilissimi viri Mecœnates honorandi, ab omnium ætatum scriptoribus disertissimis egregiè pertractata sit Reipublicæ moderandæ ratio, illud tamen ferè ab ijs aut omnino prætermissum, aut non satis, vt mihi quidem videtur, accuratè examinatum est, nimirum si constet quibus rebus maximè simul & auctoritas magistratus & subditorum salus contineatur, ec quonam hæ modo Reipublicæ sint accommodandæ ita vt & gubernationis dignitas, & ciuium commoditas, vtriusq; autem felicitas diutissimè conseruetur. Hoc autem ideò fortasse ab istis non est copiosius explicatum, quod satis existimauerint esse, si teneretur id, ad quod homini politico inprimis collineandum esset, omnesq; Reipub. deliberationes conferendæ, cætera autem & quemadmodum hæc ad animos studiaq; eorum quibus cum agendum viuendumq; est applicentur prudentiæ ac cogitationi reliquerunt eorum, qui ad moderandam Rempublicam vsum suum & scientiam essent adhibituri: quod quidem non magnopere reprehendendum est. Tanta enim est

loco=

locorum, nationum, gentium atque in his morum, institutorum, ingeniorum varietas, ut vix ulla in hanc rem certa dari praeceptio posse videatur: nam qui sunt natura praediti mitiore, blandius quoque exposcunt imperium; ex aduerso ingenia indomita & efferata non nisi animaduersionis seueritate cohercentur: humiliores alterius sese nutu regi facilè patiuntur, econtra spiritus elati libertatem sibi, imperium in alios sitiunt: Unde fit ut cùm ferè una optima sit imperandi disciplina, plurimae tamen ac propemodum infinitae ad eam viae reperiantur. Mihi tamen altius in eam rem inquirenti, omnis haec ratio ad duos potissimũ quasi fontes reduci posse videtur, videlicet ut vel promulgatis legibus vel exemplis propositis, quid cuiusque officio conueniat, quid faciendum fugiendumue sit ostendatur. Dubitari tamen inde non immeritò poterat, legibusne magis an exemplis homines ad spontaneam obtemperandi & amicam conuiuendi voluntatem sine insigni aliqua offensione informari queant? nam & iubendi seueritate destituta exemplorum admonitio, tantae amplitudini haud videtur sufficere, & parentium

deficientibus exemplis legum vis potestasq́ inanis est. Equidem cum ad aliud quoddam vitæ genus, maximam occupationum mearum partem inde vsq; à primis pueritiæ meæ annis applicauerim, non id mihi hoc loco adsumam meo iudicio expediundum, saltem id quod in medio positum est adducam: Ita enim ferè comparatum videmus, vt legum auctoritate vtantur magistratus, rebus gestis & exemplorum similitudine hi qui ad informandum virum bonum præcepta dare instituunt: Illi iubendo hi monendo cursus sui partes ad finem eundem vtilitatem nempe subditorum & Reipublicæ tranquillitatem dirigunt. Et legum quidem auctoritatem qui desiderat, ex duodecim tabulis cæterisq; iuris libris petat, qui verò præcepta monentium postulat, probatissimos historiarum auctores perlustret: In illis parendi mandatum inueniet, in his benè viuendi consilium. Quemadmodum autem iure & legibus carere nulla benè constituta Respub. potest, ita nec rerum ante gestarum memoria & commentarijs Historicis destitutus non dicam in imperio vel Republica sed tantum in communi hominum societate

tate

tate benè versari potest. Quinimò longè latius sese ad omnes vitæ status diffundit exemplorũ vis quàm legum. Hæ enim, vt tradunt Iureconsulti, in parem ne dum superiorem nullam potestatem habent, illa tam supremos quàm infimos, tàm potentes quam imbelles, tàm opulentos ac fortunatos quam egestate & miseria implicitos adhortatione sua percellit: Regem legibus nemo cogere ad honestatem potest, qui ipse legib. sese solutum esse sanxit; at exemplo rei iustè aut fortiter gestæ ad similem iustitiæ & fortitudinis æmulationem facilè excitatur. Ita enim est vt cum egregia antiquitatis facta vel ex historiarum monumentis cognoscimus, vel ab alijs commemorari audimus, vi quadam occulta incredibilis in animis generosis imitandi cupiditas accendatur. Cum ecõtra morosa illa & aspera in legibus iubendi seueritas sæpè hominum voluntates sensusq; ab obsequendi studio absterreat atque auertat. Quod cum ipse sæpe intellexerim, tum vero etiam ab alijs hominibus doctissimis non rarò audiuerim, ipse quoq; nouum quoddam in Bibliotheca haud malè instructa repertum opus historicum (cuius auctor per-

antiquus quidem fortaſsè non eſt, nomen tamen ſuum vel morte vel alio quouis caſu præuentus nuſquam adſcripſit) in lucem anno ſuperiore meis ſumptibus emiſi, in quo multis exemplis docetur, quàm horribiliter Sathanas præſtigijs atq; impoſturis ſuis mendacibus, iam inde prope à mundi exordio, longo interuallo in homines imperitos & plerunq; ſimplices dominatus ſit, qui certe ob hoc ipſum, quòd permiſſu Dei immortalis illuſionibus hiſce & fraudibus Diabolicis obnoxij fuerint, haud ſcio pœnane magis an miſeratione cuipiam digni videantur. Huius commentarij partem alteram, TRAGICA dictam, vt ederem, & datæ promiſsionis debitum efflagitabat, & eorum, qui inuitabant, aſsidua ſollicitatio. Continet autem hæc pars quaſi quodam compendio varias ex omnibus auctoribus congeſtas hiſtorias eorum, in quibus vel impietatem ac blaſphemiam ipſe ſublimis diuinæ iuſtitiæ vltionisq; obtutus oppreſſit, vel magnitudinem ſceleris merita ſupplicij grauitas vindicauit, vel imperandi libidinem, in ſubditos ſæuiendi crudelitatem, perſecutionem religionis chriſtianæ, & vt rem breui comprehendam, omnis

omnis generis execrabilem vitæ turpitudinem exitus horrendus consecutus est: quæ omnia dici non potest, quantum ad informandos mores & regendos moderandosq; vanos animi motus in omni vitæ parte momentum habeant. Nam & in sacris exempla vindictæ diuinæ ab impietate auditores quasi cum quodam spiritu cœlesti absterrent, & in summis Reipublicæ deliberationibus sæpè vnius alicuius exempli commemoratio magnos animi impetus sedare solet, sicut & pœnæ similitudo eos qui iuri dicundo præsunt (penes quos semper maxima est rerum ante similiter iudicatarum auctoritas) ad parem iustitiæ capessendam seueritatem in pari delicto hortatur, & deniq; in cotidiano vitæ consortio & domestica familiæ administratione ad amorem virtutis instillandum, multum potest alieni vitij reprehensio & virtutis commendatio. Quæ cum hoc commentario ex infinitorum scriptorum numero breuissimè quasi apum more decerpta & selecta viderem, magnoperè etiam adductus sum, vt eius publicationem eò studiosius persequerer. Vobis autem Reuerendissimi ac Nobilissimi viri Mecœnates hono-

randi vt hunc commentarium inscriberem, causa mihi fuit, quod Prior eiusdem pars Reuerendißimo & Illustrißimo Principi ac Domino, Domino Henrico IVLIO &c. Principi meo clementißimo, ante & à me esset dedicata. A quo cum Reuerendiß. & Nobiliß. Vestræ Dominationes secundæ sint, eiusq; consilia sacra summo & Principis laudatißimi assensu, & Ecclesiæ emolumento administrent, neminem præter vestras Reuerendiß. & Nobiliß. Dominat. eligere debui qui in dedicatione coniuncti operis huic Principi laudatißimo succederet. His accedit quod patria mihi est illa ipsa terra quæ dignitate & honore tum etiam virtute & prudentia Vestra inprimis nobilitata est: à quibus cum haud minima hactenus ornamenti pars in me redundarit, æquißimum certè est, vt etsi à me nihil adiici poßit gloriæ laudiq; vestræ, me tamen vestrûm non immemorem præstem: nam si Vlysses Ithacam illam suam asperrimis saxulis tanquam nidulum adfixam creditur immortalitati anteposuisse, quantò magis ij quorum virtute immortalis fieri patria mea potest, cæteris conciuibus meis atq; adeò omni posteritati,

adim-

ad immortalitatem à me ſunt commendandi. Vos quidem certè hanc meam dedicationem æquo animo accepturos, meq; curæ veſtræ commendatum habituros omnino confido: quod ſi impetrauero, ampliſſimum me huius officij mei fructum conſecutum eſſe gloriabor. Valete. Dabantur Lipſiæ Calend. Octob. Anno M. D. XCVII.

Reuerendiſs. ac Nobiliſs.
Domination. Veſtrar.
Studioſiſs.

Henningus Groſius
Bibliop. Lip.

CATALOGVS AVCTORVM è quibus isthæc historia congesta est.

A.

Ælianus
Æmilius
Æneas Syluius
Ærodius
Agatius
Aimonius
Albertus Crantzius
Ammianus Marcellinus
Antonius Bonfinius
M. Antonius Sabellicus
Antoninus
Appianus
Arlunus
Athenæus
Athetinus
Auentinus

B.

Bembus.

C.

Cælius
Cæsarius
Cedrenus
Chronicon Polonorum
Cromerus
Chronicon Cœnobij Cassinensis.
Chronicon Heduorum
Chronicon Mansfeldiæ
Collemitius
Cornelius Tacitus
Cuspinianus
Cyprianus
Cyriacus Spangenberg.

D.

Diodorus

Dion

Dion
Diſcipulus de Tempore.

E.

Egnatius
Eraſmus Roterodamus
Erneſtus Brotuffius
Euagrius
Euſebius.

F.

Faſciculus temporum
Fincelius
Fulgoſus.

G.

Gregorius Turonenſis
Gregorius Magnus
Guido Bituricenſis
Guilielmus Mamulſburienſis.

H.

Helmold. Cronicon
Hermannus Contractus
Herodotus
D. Hieronymus
Hiſtoria Eccleſiaſtica

J.

Ioannes Magnus
Ioannes VVierus
Ioannes Picus
Ioannes Sambucus
Ioſephus
Iuſtinus.

L.

Lampertus Schaffnaburgenſis
Ludouicus Viues
Luitprandus.

M.

Manlius
Martinus Lutherus
Martyrologia
Marulus
Michael Ritius
Munſterus.

N.

Nicephorus
Nicetas

O.

Olaus Magnus

Optatus Mileuitanus
Oroſius
Otto Friſingenſis.

P.

Parthenius
Paulus Diaconus
Paulus Iouius
Paulus Oroſius
Pauſanias
Philippus Cominæus
Philippus Melanth.
Platina
Plutarchus
Polydorus Vergilius.

R.

Ranulphus
Riccius de Regibus Hiſpan.

S.

Saxo
Seneca
Sigebertus
Sleidanus
Socrates
Sozomenus
Suetonius

T.

Trogus
Trithemius
Theodoretus.

V.

Valerius Maximus
Victor
Vincentius
Volaterranus.

X.

Xiphilinus

Z.

Zieglerus
Zonaras.

TRAGICORVM, seu SYLVÆ TRISTIVM, HOC EST, Horribilium Historiarum de pœnis criminalibus

LIBER PRIMVS.

CErinthus hæreticus, in Christum & Spiritum sanctum contumeliosus & blasphemus, Christum verum Dei filium esse negabat, & carnale ac terrestre regnum Christi somniabat, nec alia eius de Resurrectione mortuorum erat sententia, quàm Sathanici prophetæ Mahometis, infame cynædorum & Veneris regnum fingentis. Refert Irenæus, Cerinthum hunc vnà cum suis applausoribus Ephesi in balneo sedentem, & blasphemias contra filium Dei spargentem, ruina domus oppressum, & horribiler extinctum esse. Vide Eusebium libro 7. capite 20.

MANES, mentis insania exagitatus, se iam Christum, *iam Spiritum esse dictitans, eò progressus est vesaniæ, vt duodecim sibi deligens discipulos, falsaq; & impia dogmata ex hæresibus iam diu sopitis in vnum conferciens, in Persia, finitimisq; regionibus ea disseminaret. Christum verum hominem esse negauit, eumq; corporis & animæ expertem nobis instar hominis modo phantastico apparuisse, nec verè passum vel mortuum esse, sed omnia quasi per fucum egisse affirmauit, nec verum eum Deum cum patre ante sæ-*

 cula

cula regnantem confiteri voluit. Tandem cum Regis Persarum filium grauiter decumbentem, citra omnem omnium medicorum opem & operam se sanaturum curaturumq́ pollicitus esset, nec promissis eius exitus responderet, sed filius Regis Manete accedente moreretur, Rex Persico eum supplicio affecit. Detracta enim cute, eum ita nudum canibus escam obijci iussit. Ferunt & hodiernum in diem cutem eius paleis differtam in Perside reseruari.

ARIVS, impij dogmatis vesanus autor, Christi *æternam gloriam impugnauit, negans eum patri consubstantialem, & ante sæcula genitum esse, multosq́ sophisticis vsus præstigijs in suam pellexit sententiam. Quem cum Imperator Constantinus ad vrbem vocasset, vt eius doctrina ab Episcopis, & Sacerdotibus orthodoxis examinaretur, ortum est ingens certamen, inter Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum, rectè sentientem, & Eusebium Nicomediensem, qui astutissimè subleuabat Arium. Cum autem instaret magnum certamen, factioq́ Eusebiana per vim in Ecclesiam introducere vellet Arium, Alexander Episcopus noctu manens in templo, precatur Deum, vt ipse veritatem tueatur. Manè cum longa esset expectatio, tandem factio Ariana ad publicum consessum accedit. In eo itinere Arius deflectit de via, subita consternatione oppressus, ac considens in latrinam ibi effudit intestina, & extinctus mortem dignā blasphema & fœtida mente obijt. Multitudo cognita eius interitu, dilapsa est, & rursus cœpit authoritas maior esse rectè sentientium. Theodoret. lib. 1. cap. 14.*

OLYMPIVS, Arij assectator, & Carthaginen*sis Episcopus, cum in balneis lauaretur, impioq́ ore sanctam lacesseret Trinitatem, fulmine, & trifido telo supernè ictus,*

conci-

concidit, & maximo omnium ſpectantium horrore miſerabiliter periјt, Anno Chriſti 510. Paulus Diaconus in Anaſtaſiј hiſtoria, & M. Anton. Sabellicus libro 5. capite 4.

ANTIOCHIÆ magna ſemper Hæreticorum *fuit colluuies, ideoq́; grauiſsimas ex diuina vindicta pœnas vrbs ea ſuſtinuit. Anno Iuſtini ſeptimo, cœlitus delapſo igni magna pars vrbis conflagrauit, partim etiam ex graui terræ motu quaſſata, cum Epiſcopo Euphraſio interiјt. Paulus Diaconus libro quinto.*

IVSTINIANVS Imperator, Aphthardocitarum *hæreſi addictus, cum exiliј, quo Anaſtaſium, aliosq́; rectè ſentientes Epiſcopos mulctare conſtituerat, libellum dictaret, inuiſibili ictus plaga, ex hac vita exceſsit. Nicephorus libro 27. cap. 31. Zonaras Tomo 3.*

ALEXANDRO Seuero Imperij habenas moderante, *ſiniſtra Iouis manus aurea Romæ liquefacta eſt. Quo portento Sacerdotes perturbati ad Imperatorem feſtinant, modis omnibus ſuadent, per lectiſternia & ſacrificia Deorum iram placari. Poſtridie, cum grata cœli affulgeret ſerenitas, quatuor Idolorum Sacerdotes, vnà cum altari & Idolis fulmine icti & contriti ſunt, tantusq́; tenebrarum horror ſubitò ingruit, vt trepidi formidine, plæriq; omnes ex vrbe aufugerent. Cent. 3. cap. 14.*

SPOLETINI, cum ſacra Idolis ſuis facerent, *eo motu terra quaſſata eſt, vt trecenta quinquaginta ex ipſis interierint. Cent. 4. cap. 3.*

NESTORIVS hæreticus, impio ſuo dogmate, *quo virginem Mariam θεοτόκον, Deiparam eſſe negabat, Eccleſiam ſeditionibus infinitis replet. Quare ab Eccleſia excluſus, circiter extremas Thebaidis oras, in Aegypto vitæ finem miſerum ſortitus eſt, à vermibus lingua eius exeſa. Euagrius lib. 1. cap. 7.*

BASILISCVS, seditiosè imperium rapiens, *compluribus sibi iunctis Episcopis, in Eutychis & Dioscori sectam ab vxore impulsus, Chalcedonense Concilium abrogauit, & Episcopos rectè sentientes sedibus suis eiecit, sed cum biennio Tyrannidem tenuisset, à Zenone Imperatore captus, & in exilium missus est, vbi cum frigore & fame morituri essent, complexi se mutuò Basiliscus & vxor, & cognati aliquot, calamitatem suam deplorauerunt, & sic condignas pœnas suorum peccatorum luentes, in maximis miserijs extincti sunt. Zonaras Tom. 3.*

IVSTINVS Imperator, Anastasij successor, *Chalcedonensem Synodum amplexus est, & Episcopos, qui errores contra receptas Synodos defendebant, remotos ab officijs expulit in exilia. Seuero Antiocheno Episcopo linguam præcidi iussit, vt blasphemiarum pœnas daret. Zonaras Tom. 3.*

CABADES, Persarum rex, filium suum Pharsuasam *Manichæorum sectæ inuolutum esse, animo ferens iniquissimo, omnes qui Manicheæ blasphemiæ addicti essent, in vnum locum conuocatos, militibus in ipsos immissis ad vnum omnes miserabiliter contrucidauit. Chron. Hed. libro 3. cap. 10. & 15.*

ALMARICVS, anno 1204. sub imperio Ottonis *quarti, Christi in Sacramento præsentiam negabat, Deum æquè in Ouidio atque in Augustino loquutum temerè & impiè docebat. Sectatores eius, ex Episcoporum consilio, in spatiosum prope Parisios campum educti, ibi præsente Gallorum Rege, sacris exauthorati, & combusti sunt. Almaricus è sepulchro effossus vnà crematus fuit. Acciditque vt cum corpora eorum arderent, tantæ vehementiæ tempestas oriretur, vt totum terrarum orbem concussura, & quasi loco*

si loco motura videretur. In quo turbine, haud dubiè impiorum hominum animæ, infernum, & infernales pœnas non esse anile figmentum expertæ sunt.

TANDEMVS, diabolicæ improbitatis impostor, *contemptor Sacramentorum Christi, eo inflatus erat fastu, vt calamistratus, aureoq; amictu splendens incederet, circiterq; tria armatorum millia secum in comitatu haberet. Videbantur sibi beati, quibus liceret eum aspicere. Aquam, in qua sordes suas abluebat, eius asseclæ velut rem sacram colligebant, & bibebant, cum ipse scurra esset impurus, & libidinosus, qui in conspectu parentum filias, maritorum sponsorumq; vxores & sponsas stupraret. Quod illi vt sanctum & spirituale opus in eo suspiciebant. Quicquid deniq; patrabat, id pium & cæleste opus iudicabatur. Tandem cum magno suorum luctu à presbytero quodam occidebatur, cum vnà nauigarent, capite sauciato vsq; ad cerebrum, anno 1115.*

MICHAEL Seruetus Hispanus, homo vafer & *malitiosus, blasphemam Pauli Samosateni, aliorumq; plurium hæreticorum doctrinam aduersus Christi diuinitatem reuocans, tum de Baptismo & Angelis docens falsa & erronea, iusto & æquo iudicio Geneuæ crematus est, Anno 1553. 22. Octobris.*

ANNO 1529. in territorio Bosingensi, in Vngaria, *puer quidam, filius Carpentarij, non sine magno parentum mœrore aliquamdiu desideratus, postmodùm die Mercurij, qui sequitur festum Ascensionis Christi, in dumeto extra vrbem repertus est, pronus ibi, manibusq; vinctus iacens. Protinusq; ad Magistratum mortuus, plurimisq; ictibus, plagis & vulneribus defœdatus, inde in paternas ædes deportatur. Cum autem Iudæos, quòd tanti sceleris*

authores essent, plerique omnes suspectos haberent, Magistratus coniecturis motus, Iudæos simul omnes, senes, iuuenes, pueros, in vincula coniecit. Seniores cum grauibus examinarentur tormentis, confessi sunt, quòd in cella infantem interfecissent, resectisque venis omnibus, sanguinem inde calamis extraxissent, quem non sine plausu & iubilo, in synagogam suam transportatum, breui post Synagoge principi in Marheck obtulissent. Præterea confessi sunt, se quadriennio ante, pari atrocitate, Thirnæ in cella, Christianum excarnificatum occidisse, nec se Christiano sanguine carere posse. Omnes itaque damnati, & flammis consumpti sunt, præter aliquot pueros, qui octauum vel decimum annum nondum complêssent, qui à fidelibus adoptati, in Christiana doctrina instituti, sacroque Baptismatis fonte initiati sunt. Reliqui, quorum fuere circiter triginta, viui omnes in flammas coniecti & exusti sunt. Finc. de Miraculis, libro 3.

IVLIANVS, Imperatoris Iuliani auunculus, *Præfectus Orientis, Felix Regij Thesauri Quæstor, & Elpidius priuatæ pecuniæ & facultatum Imperatoris procurator, in gratiam impij Imperatoris Christianam fidem abnegantes, templa Christianorum diripuerunt, & Iulianus aduersus sacram mensam minxisse dicitur, atque EuZoïo eum prohibere conanti colaphum infregisse. Felix sacrorum vasorum magnificentiam conspicatus, Ecce, inquit, quàm sumptuosis vasis filio Mariæ ministretur. Cuius sua impietatis non diu pòst pœnas expenderunt. Iulianus confestim in grauem morbum delapsus, visceribus putredine exesis, stercoreque per sceleratum os egesto interijt. Ferunt eius vxorem, mulierem ob fidei præstantiam egregiè nobilitatam, hæc ad maritum dixisse: Debes meritò, mi vir, Christum*

serua-

seruatorem laude prædicare, quòd tibi hac castigatione suam potentiam ostenderit. Nam quem oppugnasses, planè te præteriisset, nisi consueta sua lenitate vsus, has plagas diuinitus tibi inflixisset. His verbis perculsus, Imperatorem orat, vt à persecutione piorum desistat, & ablata Ecclesiæ restituat. Sed neq; ei hoc persuasit, & ipse extemplò in maximis cruciatibus migrauit ex vita. Felix quoq; derepente flagello cœlitus impacto oppressus, sanguinem dies noctesque ex ore fundens, extinctus est, & æternæ morti traditus. Theodoret. lib. 3. cap. 11. & 12.

NICOMACHVS Christum, quem firma fide *confessus fuerat, Troade inter tormenta negabat, liberatus itaq; & Idolis sacrificare iussus est. Qua in re, cum præsidis dicto audiens esset, mox cum sacrificasset, à Satana arreptus, & in terram collisus est, vbi sibipsi dentibus linguam præmordens, expirauit. Cent. 3. cap. 12.*

IN SERMONE quinto de lapsis refert Cyprianus, *quòd sub Decii Tyrannide, quidam mortis & tormentorum metu perculsi, à fidei veritate desciuerint: Inter quos vnus, qui palàm in Capitolio surgens, Christum negabat, subitò, stupescente sermonis organo, obmutuit.*

VRBANVS Formensis, & Felix Idicrensis Do*natistæ, irruentes in Thipasam Cæsariensis Mauritaniæ ciuitatem, iusserunt Eucharistiam canibus obiici. Canes verò accensi rabie, ipsos Dominos suos, quasi latrones, & sancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos lacerârunt. Refert Optatus Mileuitanus, libro 2. contra Parmenionem.*

DE MAXIMINO tyranno, qui crudeliter af*flixit Ecclesiam, Eusebius libro 10. cap. 8. refert, eum in secunda belli conflictatione repentina Dei plaga percussum,*

toto

toto corpore concubuisse, oculosq; è propria sede elapsos, eum cæcum omninò reliquisse, & ad extremum eum fateri coactum, quòd propter amentiam & temeritatem contra Christianos admissam meritò ista perpetiatur. Nonnulli perhibent, quòd in fugam à Licinio actus, se ipsum interfecerit. vide Zonaram libro 2. Vniuersi porrò qui videbantur Maximini partes defendere & in nostram religionem proteruè impetum fecerant, interfecti sunt, eiusq; liberi omnes è medio sublati. Euseb. lib. 10. cap. 9.

SCVRRA quidam in publico diuersorio poculis *indulgens, ex combibonibus suis quærebat, num ipsi crederent, homini animam esse immortalem? sibi verò consentaneum haud videri. Nec enim vnquã animam sibi visam. Esse autem meras Sacerdotum nugas, quas sui lucri causa ipsi excogitârint, quicquid vel de inferno, vel de anima, aut de æterna vita blaterent. Ad quæ responderunt nonnulli, animas hominum immortales esse, & quidem alias in cœlis, alias in tartaro in æternum viuere, Id enim in Prophetarum & Apostolorum scriptis doceri. Ad quæ ille: Se paratum esse, inquit, animam suam cuiuis vendere. Ibi vnus ex aßidentibus, En, ait, cantharum vini plenum, pro quo animam mihi vende. Accipit ille conditionem, protinusque cantharum ori admotum exhaurit. Aderat autem & Satanas humanam indutus speciem, qui ab altero pari precio animam redimit. Eo quoq; vino exhausto, Cedo, inquit Satanas, animam, quam emi. Ad quæ alij; Fas est, vt quod quisq; emerit, eius quoq; posseßione gaudeat. Nec mora, venditorem istum animæ Satanas arreptum, omnibus cum stupore aspectantibus, per aërem sublimem auehit. Discip. de tempore, Sermone 132.*

PHERECIDES Philosophus & Poëta tragi-

cus,

cus, cum impudenter inter Discipulos Deum & eius prouidentiam blasphemaret & magna iactantia de sua felicitate, sapientia & eruditione gloriaretur, & diceret, se, licet nullas Dijs mactaret hecatombas, vitam tamen tranquilliorem & beatiorem agere, quàm eos, qui Deorum cultui toti essent addicti. Cuius impietatis & blasphemiæ pœnas protinus dedit: Fœtidus enim, & instar mucoris viscosus sudor toto ipsius manans corpore, vermes & pediculos tanta produxit copia, vt per eos absumptis visceribus, horrenda admodum phtiriasi moriendum ipsi fuerit. Meminit illius historiæ Aelianus lib. 4. de varia historia. Pherecydes Syrus, inquit Plinius, copia serpentum ex corpore eius erumpente expirauit.

PHILIPPVS Macedonum Rex iusiurandum *semper contempsit, fœderumq; religionem nunquam sanctam habuit. Ea propter tandem, cum vix quadragesimum annum excessisset, interfectus est, tota deniq; domus illius paruo pòst tempore extincta est. Aridæum enim Olympias è medio sustulit, item & filium, quem Philippus ex Cleopatra Attali nepte susceperat, non multò pòst interierunt. Alexander filius, post res maximas in medio victoriarum cursu miserrimè perijt. Pausanias in Arcadicis.*

GODVINVS, Cantianorum Comes, Anglis, *mortuo Canuto 3. Alfredum Etheldredi Regis exulis filium reuocantibus, ipsius virtutes formidans calumnijs circumuenit, per insidias in itinere necauit, autorq; fuit Anglis, Eduardum 3. Alfredi fratrem ad regnum vocandi. Eduardus Goduino scelus in fratrem commissum condonauit, eius filiam Editham vxorem accepit, & perduellionis reum in integrum restituit. Verum Goduinus nullo consilio effugere potuit meritum supplicium. Accidit vt Haraldus filius, qui*

 regi-

regium poculum miscebat, Eduardo prandenti daret bibere, Is fortè vno pede offensus penè lapsus, auxilio alterius pedis sese à casu recepit, stetitq́ vino nequaquam effuso. Tum pater, qui cum Rege discumbebat: Nunc, inquit, frater fratrem iuuit. Ad hanc vocem, etsi per iocum emissam, Eduardus turbatus animo, nam in mentem ei venit subitò interitus Alfredi fratris, in Goduinum conuersus ait: Sic mihi meus frater auxilio esset, si per te licuisset. Tum homo facinorosus iram Regis veritus, cœpit sese excusare, diuinumq́ numen ad innocentiam declarandam, iusiurandum adijciendo, perinde quasi cum ignaro ageret, appellare, dicens: Si vnquam, Rex, quicquam in necem fratris tui, aut in te machinatus sum, precor vt Dei nutu istud panis frustum me illicò strangulet. Qua vbi dixerat, sumpto pane, subitò, præclusis faucibus, suffocatus est. Ac ita parricidium horribili morte compensauit. Polydor. libro 8.

INTER Regem Ladislaum, & Turcicum Imperatorem *Amurathem pax conclusa erat in annos decem, & iureiurando sancita. Sed pacis leges violauit Ladislaus. Sedegino egressus cum vniuersis copijs, & VValachiam Bulgariamq́ omnem magna celeritate emensus, ad Varnam Bulgariæ oppidum substitit. Amurathes quoq́ magnis instructus copijs, aduersus Ladislaum progreditur. Acre committitur prælium, certatur diu fortuna ancipiti. Tandem in summas redactus angustias Amurathes, fertur oculis in cœlum sublatis exclamasse: Iesu Christe, en hæc sunt fœdera, quæ Christiani tui per nomen tuum iurantes, mecum percussère, suoq́ periurio te Deum suum abnegârunt. Quare, si Deus es, vt ipsi aiunt, hanc mihi & tuo sancto nomini illatam iniuriam vlciscere. Protinusq́ mutata fortuna Rex Ladislaus lethaliter sauciatus est, vndecim Christiano-*

rum

rum millia trucidati, victoriaq́ iam desperata Amurathes compos redditur. Antonius Bonfinius, libro 26.

CLEOMENES Lacædemoniorum Rex, cum *septem dierum cum Argiuis inducias fecisset, tertia nocte cum Argiui securè agerent, incautos adortus, magnum eorum numerum occidit atq́ cepit. Cùm autem perfidiæ Argiui eum arguerent, septem dierum se inducias dixit pepigisse, cæterum de noctibus prorsus nullam fecisse mentionem. Hoc enim responso perfidiam ex parte velare voluit, quam totam tamen tegere non potuit. Nec ex voto res ea Cleomeni cessit. Fœminæ siquidem ætate florentes, duce Telesilla, arma capiunt, in pinnaculisq́ stantes, muros corona cingunt, attonitis miraculo hostibus Cleomenem multis amissis repellunt, qui tandem in Aegypto exul sibi ipsi manus inferens vitam miserrimè finiuit. Plutarchus in vitis.*

AISTVLPHVS Rex Longobardorum, cùm *pactis cum Francorum Rege Pipino initis minus firmiter staret, res nouas moliebatur. Sed diuinitùs eius perfidia & ferocia repressa est, cum in venatione equo lapsus, paucis diebus pòst extinctus est. Anno 756. Sigebertus in Chronico.*

ANNO millesimo, ducentesimo, septuagesimo *tertio solenniter Imperator electus est Rudolphus Habspurgensis comes, quo Rex Bohemiæ Ottocarus non ita multo ante Magistro Curiæ in aula sua mercede fuerat vsus. Qua de causa Imperatorem contemnens Ottocarus, ei parere recusauit, Austriamq́ cum finitimis regionibus occupatam ad se rapuit. Imperator missis Legatis, ea quæ Imperij erant propria reposcit, quos cum ille contemptui haberet, bellum inter eos exarsit, in quo victus Ottocarus, Austria cessit, feudaq́ regni Bohemici & Morauiæ ab Imperatore supplex*

petere coactus est. Quam mariti coram Imperatore suo humiliationem Regina vbi comperit, conuitijs & procris Regem incitat, vt violato fœdere & sacramento, quod Imperatori præstiterat, bellum redintegraret. In quo bello Ottocarus victus est, & suæ perfidiæ pœnas luit: cæsis enim in conflictu Bohemorum quatuordecim millibus, ipse quoque Rex equo deijcitur, gladioque transfixus moritur, Anno millesimo, ducentesimo, septuagesimo octauo. Cuspinianus & Munsterus in Cosmographia libro 3.

TASSILO Boiorum Rex, gener Desiderij Longobardorum *Regis, temerè aduersus Carolum magnum ex Italia reuertentem, vbi Longobardos tumultuantes compescuerat, bellum mouit. Carolus ergo occurrit Taßiloni duobus distinctis exercitibus, quorum vnum duxit Pipinus filius per Iulias & Carinas alpes. Hac celeritate territus Taßilo, pacem petiuit, & impetrauit. Pacem factam scribunt Augustæ Vindelicorum ad Lycum amnem, qui distinxit Alemannos à Boijs. Sed non multò post Taßilo violatis pactis, & fœdere inito cum vicinis Hunnis & Auaris, renouauit bellum, in quo non destitutus tantum, sed insuper accusatus etiam à suis violatæ fidei ac Carolo traditus, lege Salica condemnatus est ad Regni abdicationem. Regno ergo mulctatum vnà cum filio Dedone, vt nouarum conspirationum & molitionum occasiones omnes vtrique adimeret, in monasterium vtrumque inclusit, quod adhuc non procul ab Heidelberga nomen Laureaci retinet. Auentinus in Annalibus Boiorum.*

ANNO millesimo, quadringentesimo, decimo *sexto, Iohannes Dux Burgundiæ graui bello Regem Gallorum adortus, plurimum regno eius detrimenti intulit, Lutetiam Parisiorum vi cepit, multos ibi Episcopos, Sacerdotes,*

dotes, Doctores, Studiosos & Ciues trucidauit, totamq́ ciuitatem diripuit. Anno sequenti Dux ille Burgundiæ, contra datam fidem, Rege inspectante, decollatus est. Fœdus siquidem iam inierant, idq́ interposito per corpus Christi iuramento confirmârant, & vt pactum illud sacrosanctum esset, ambo hostiam sacram è manu Sacerdotis coram altari, diuisam sumpserunt. Hanc Ducis Iohannis mortem filius eius Philippus atrociter admodum vltus est. Nam societate cum Rege Angliæ inita, vniuersum Gallorum Regnum incendijs & direptionibus deuastauit, Parisiorum vrbem expugnauit, multisq́ millibus in ea cæsis, fermè ad internecionem Regnum depopulatus est, & in tantas Regem angustias redegit, vt aliquamdiu ipsi relicta Gallia exulandum fuerit. Chronic. Hed. libro 4.

NARCISSVS Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopus *magnis virtutibus & miraculis nobilitatus. Aduersus hunc quidam scelerati homines, cùm eius in corrigendis vitijs asperitatem neutiquam ferre possent, consutis dolis conspirârunt, qui vt auditoribus criminationis falsò obiectæ fidem facerent, eam iureiurando confirmârunt, diris sese, si fallerent, deuouentes. Primus quidem: Si non verè dixerim, inquit, opto vt ignis incendio miserè dispeream. Alter verò sic: Si non verè dixerim, opto vt fœdo ac sæuo morbo corpus absumatur. Tertius autem hoc modo: Opto si non verè dixerim, vt luminibus penitus orbatus sim. Verùm quamuis nemo ex fidelibus, quibus castitas Narcissi, & vitæ ratio ex regula virtutis traducta, perspecta esset, illis vel grauissimo iureiurando se obstringentibus fidem adhibuerit, tamen partim præ indignitate falso obiectæ criminationis, partem præ cupiditate vitæ in sapientiæ studio degendæ, ab oculis vniuersæ multitudinis se penitus remouit, & in solitudine ad*

 ne ad

ne ad multorum annorum ſpacium vitam tranſegit. Verum ſublimis ille diuinæ iuſticiæ vltionisq́ obtutus, protinus impios illos & ſceleratos homines oppreßit. Primus igitur ſcintilla perexigua noctu in ædes ruente, miſerè cum tota familia & ſtirpe ſua, rapido flammarum ardore omnino conflagrauit. Alterius corpus, eodem modo, quem ſibi imprecatus fuerat, ab extremis pedum digitis, ad caput vſq; infectum contabuit. Tertius ærumnoſos priorum euentus aſpiciens, palam maleficia à ſe, ſuisq́ socijs, per fraudem contra Narciſſum admiſſa, confeſſus eſt, ſeq; acerbis lamentis conflictans, vſq; eò lachrymas effundere non deſtitit, quoad vtrumq; oculum ſibi penitus extinxiſſet. Euſebius libro 6. cap. 8.

BVRCHARDVS Archiepiſcopus Magdeburgenſis, *frater Epiſcopi Geuchardi, Epiſcopi Merſebergenſis, anno milleſimo, trecenteſimo, decimo quarto, graui obſidione Magdeburgum preßit, munitus auxilijs Friderici primi in Miſnia Marchionis, Ducis Brunſuicenſis, aliorumq́ Principum & Comitum, Ciues ingentibus animis hoſtem repreſſerunt. Mox pacis inito fœdere, certam pecuniæ ſummam Epiſcopo numerantes, ab omni inſultu hoſtili ſe liberârunt. Verùm licet varijs modis fidem ſuam Epiſcopus adſtrinxiſſet, eam tamen perfidè violauit, nouisq́ molitionibus & machinis Ciuitatem infeſtare aggreſſus eſt. Quam perfidiam vlturi ciues, Archiepiſcopum ceperunt, eumq́ in turri S. Iohannis arca quernis compacta trabibus, includere decreuerunt. Qua ciuium ſeueritate intellecta, omnem ferociam exuens Archiepiſcopus, humili ſua deprecatione ciuium animos ad miſericordiam adduxit, pollicitus ſe ſummum ciuitatis per omnes vitæ ſuæ dies amicum fore & defenſorem, nec quicquam eorum iuri vnquam derogaturum,*

turum, seque hanc suam promissionem iureiurando per sacrum Christi corpus confirmaturum, solennique ritu in cœtu Ecclesiæ se corpus Domini manducaturum. His eius promissis fidem habentes ciues, omni rursus honore eum prosecuti sunt, & solenni cum pompa, & populi tripudio, in Episcopalem domum reduxêre. Edicto quoque vetuit Senatus, ne quis vnquam de his rebus Episcopo vel minimum exprobraret, sed debita ipsum obedientia atque officijs ciues ornarent. Cæterum liber factus Archiepiscopus, ad ingenium redijt, & varijs inde machinationibus ciues oppugnat. In VVestphalia per insidias duodecim ex primoribus ciuitatis captos abducit. Quibus iniurijs Senatus Magdeburgensis motus, denuò eum comprehendit, anno millesimo, trecentesimo, vicesimo quinto, in die decollationis S. Iohannis Baptistæ, captumque carceri inclusum custodiuit. Interea amicis eius varia consilia agitantibus, nouasque subinde turbas excitantibus, à præfecto carceris vecte cæsus, vel vt alij memorant, virga ferrea ex clathrata fenestra exempta, interijt, fideique toties violatæ, & periurij pœnas luit. In Chronico Ernesti Brotuffij.

DISSENTIENTIBVS Electorum suffragijs, Imperij *administrationem capessunt Adolphus Nassauiensis, & Albertus Austriacus. Vnde grauia per Germaniam orta sunt dissidia, omniaque bellis æstuârunt, donec prope Spiram commisso acri prælio, Adolphus lethali vulnere ab Alberto sauciatur. Sunt qui scribunt, omnes qui aduersus Regem coniurârunt, mala morte perijsse, quasi quodam fato. Comes Albertus de Haigerloch occisus, Otto de Ochsenstein suffocatus. Episcopus Argentinensis à lanio ante Friburgum ense traiectus. Comes de Leiningen phrenetide correptus.*

Alber-

Albertus ipse, à fratris filio Iohanne interfectus, memorabili exemplo vindictæ diuinæ, expetentis pœnas pro Magistratu ab ijs, qui Magistratum violant. Munsterus.

PERIVRIIS & execrationibus summopere *abstinendum esse, exemplum sequens, quod à Fincelio libro I. de Miraculis describitur, nos monet. In Marchia hac nostra ætate, miles quidam in morbum incidens, hospiti suo, ad quem diuerterat, marsupium pecuniæ plenum custodiendum tradit. Vbi conualuit, depositum reposcit. Hospes re cum vxore sua prædeliberata, se quicquam accepisse constanter negat. Vnde acris inter eos existit contentio. Miles hospitis in negando deposito impudentiam, & perfidiam iniquius ferens, stricto ense ipsi exitium minatur. Qua de causa miles, vt pacis publicæ violator, protinus à lictoribus arreptus, in vincula conijcitur, adeoq; capitis damnatur. Cumq; iam instaret dies iudicij, Satanas militi in carcere apparet, liberationem ipsi à morte promittit, quatenus ei sese addicere velit. Respondit miles, se malle vel decies mori, quàm eam conditionē accipere. Tandem promittit ei Satanas absq; vlla conditione liberationem, monetq; vt mane ad Prætorem & Iudicem adductus, è turba sibi Aduocatum addi petat eum, quem cæruleo tectum pileo conspecturus esset. Manè postquam ad Iudicem peruentum est, miles quod à Satana iussus erat, facit. Procedens itaq; Aduocatus ille, nempe Satanas ipse, disertè & ex ipso fundamento de iure disputat, qua ratione furtum sit commissum, quanta pecuniæ summa, & vbi reposita sit, ordine indicat. Contrà hospes diris se deuouet, & subinde imprecationem repetit, si quicquam sibi de pecunia ea constet, se optare, vt protinus à Diabolo arreptus auferatur. Nec mora Satanas, omisso caussas agendi munere, omnibus ibi aspectantibus, hospi-*

hoſpitem arreptum ſublimem ſecum in aëre aufert. Nec poſtea vſquam corpus hoſpitis inuentum eſt.

ANNO milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo ſexto, *in Heluetia ad S. Gallum, quidam qui in apricis campis lintea rudia mundando victum quarebat, vinariam ingreſſus tabernam, poculis ſe obruebat, vino dementatus, diras euomebat execrationes, inter cætera exclamãs: Si vnquam poſthàc in campos ad mundanda lintea deſcendero, opto vt Satanas aduentans ceruicem mihi elidat. Poſtridie memor quidem eſt ſuorum verborum, nihilominus autem ad conſuetos labores redit, protinusq́; obuium habet virum procera ſtatura, atroq́; colore formidabilem, qui truculento vultu eum alloquens: Heus, inquit, memorne es heſternæ tuæ deuotionis, nonne mihi iam licitum eſt ceruicem tibi elidere? Quæ audiens ille toto contremuit corpore, intereà Diabolus humeros ei verberat, ex qua plaga derepentè & manus & pedes ei exaruerunt, proſtratusq́; ibi in terra iacuit, donec à prætereuntibus conſpectus, & domum deportatus eſt. Fincel. libro 2. de Miraculis.*

ANNO milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo nono, *Mansfeldiæ in arce tale quid accidit: Adoleſcens quidam aulicus, ex praua conſuetudine ſingulis ferè verbis hanc attexebat execrationem: vel auferat me Diabolus. Cum itaq; tempus ſibi idoneum nactus eſſet Satanas, noctu eum abreptum, è lecto in imam foſſam, cuius altitudo erat à feneſtra, per quam adoleſcens ferebatur, vigintiſex cubitorum & dodrantis, deiecit, lapidumq́; aceruo inuoluit, quo tamen lapſu non admodum læſus, alijs exemplo fuit, ne temerè execrationibus vtantur. Chronic. Mansfel.*

QVIDAM ex impia conſuetudine aſſiduè vtebatur, *quaſi prouerbiali dicto, his verbis: In nomine Diaboli.*

boli. Et licet sæpius à bonis viris reprehensus, vt à praua adeò consuetudine desisteret, moneretur, ne ingens aliquod malum sibi ipsi crearet, ipse tamen in consueta verborum impietate perstitit. Accidit tandem vt ipsi per ponticulum, quo palustres fauces strata erant, transeundum esset, ibi cum ponticulum ascensurus fortè impingeret, pro consuetudine sua, In nomine, inquit, Diaboli, protinusq; à Satana, fracta ipsi ceruice, in paludem deiectus est.

ANNO millesimo, quingentesimo, quinquagesimo tertio, *in Heluetia prope ciuitatem VVillisauu, quæ tribus milliaribus distat à Lucerna, facinus hoc tragicum & horrendæ impietatis & blasphemiæ plenum, accidit. Tres aleatores in die Dominica super abaco in campis ante ciuitatis mœnia posito, luserunt. Quorum vnus Vlrichus Schröterus cum multum pecuniæ ludendo insumeret, crebrisq; interim execrationibus Deum offenderet, accidit vt felix iactus fortunam ipsi optatam in ludendo sponderet: Ibi execrationibus iam assuetus homo impius, Si, inquit, modò me fortuna fefellerit, arreptum pugionem in ipsius Dei corpus, quousq; potero, intorquebo. Fortuna eum fallit, & protinus ille pugionem stringit, eumq; cuspide arreptum, cælum versus eiaculatur. Pugio in aëre euanescit, & quinq; sanguinis guttæ in mensam decidunt. Nec mora Vlrichum istum Satanas & corpore & anima arreptum aufert, tanto quidem cum impetu & stridore, vt per totam ciuitatem & pauor & tumultus excitaretur. Reliqui duo extremo consternati metu, sanguinem de tabula abstergere conantur, sed quò studiosius tabulam mundant, eò exactius purpureus cruoris nitor apparet. Rumor facinoris huius ciuitatem implet, certatim omnes accurrunt, duosq; reliquos collusores tabulam frustrà aquis tergentes offendunt,*

dunt, quos exterminatos statim ante mœnia in vincula coniiciendos esse Senatus decernit. Cumq; iam per ciuitatis portam ducerentur, alter viribus prorsus destitutus corruit, tantaq; copia vermes & pediculi ex corpore eius prodierunt, vt ab eis excarnificatus, miserrima & fœdissima ibi morte extingueretur. Quo viso, nulla interposita mora, tertius intra ciuitatis mœnia capite truncatus est. Tabulæ pars, quæ sanguine respersa erat, resecta, & vt testimonium monimentumq; huius facinoris reposita est. Fincel.

ANNO CHRISTI millesimo, quingentesimo, *quinquagesimo primo, in finibus Megapolensibus, complures vnà, ferijs Pentecostalibus abusi, cereuisiæ ingurgitandæ studuerunt. Ibi mulier quædam diris modis Deum detestans, meros crepabat Diabolos, quæ è conspectu omnium qui aderant, à Satana abrepta, & sublimis per aërem ablata est, & inspectante populo tandem exanimis decidit. Idem, libro. 1.*

ANNO millesimo, quingentesimo, quinqua*gesimo primo, apud Tyrigetas siue Thuringos tres milites nemus transiêre, ex quibus vnus, orta tempestate, grauiterq; cælo tonante, diris execrationibus Deo maledixit, subitoq; impetuosi venti violentia arborem prægrandem cum radicibus ex ima terra euulsam, in blasphematorem coniecit, eumq; profundæ terræ illisit, vt solo extaret capite. Ibidem.*

HVC referendum quoq; horrendum inprimis fa*cinus de quinq; ebriosis hominibus, qui postridie diei Dominicæ vespertinas horas cyclopica potatione, impijsq; execrationibus prophanârunt. Diabolus in pariete depictus erat, cui subinde ex impia vecordia pocula propinabant. Verùm ad pocula Diabolus eo modo respondit, vt postridie manè*

quinq; isti mortui reperti sint, ceruicibus sic contritis & fractis, ac si rota carnificis fuissent contusæ. Concretus intra fauces hærebat cruor, ex ore, naribus, adeoq; auribus sanguis emanârat. Qua de causa elapso prius triduo Magistratus cadauera auferri præcepit, vt omnibus interim spectaculo, terrori, & exemplo essent. Factum in finibus Bohemicis, Anno Domini 1551. Idem, Ibidem.

ANNO millesimo, quingentesimo, quinquage*simo tertio, Iuuenes quidam pagum VVeilnauu in Comitatu Nassouiensi animi gratia ingressi sunt, vnde ad suos regressuri, inter eundum verborum scurrilitate & execrationibus nefariam exercuêre impietatem, qua reliquis atrociores fuere duo, quibus solis iter facientibus Diabolus se adiunxit, eosq; vi per aërem sublimes rapuit. Exactis aliquot diebus, cum ex mandato Comitis diligenti passim inuestigatione quærerentur, sed nusquam inueniri possent, ea occasione tandem reperti sunt. Cùm venando generosus Comes se exerceret, lepus ex virgultis se proripiens, festino cursu rectà ad eum tendebat locum, vbi vnius exanime iacebat corpus, insectantesq; leporem venatores, in corpus per aliquot dies anxiè quæsitum incidunt. Erat autem magna ibi niuis copia, & circumcirca prægrandium taurorum apparebant vestigia. Sic leporis ductu corpus repertum fuit, quod putrefactionis adhuc expers erat, nec dum induruerat. Nec multò pòst alterius quoq; corpus simili occasione repertum est.*

MARITVS quidam coniugi suæ succensus, dira *ipsi imprecatus est, Vade, inquiens, in omnium Diabolorum nomine. Nec mora mulierem Satanas illicò obsedit, omniq; rationis iudicio priuauit. Et sic magna cruce conflictatus vir iste, sibi alijsq; documento & exemplo fuit, ne*

temerè

temerè mala alijs imprecarentur. Discip. de tempore, Sermone centesimo decimo sexto.

PAVCIS ab hinc annis inter se contenderunt, *duo adolescentes, vter eorum atrociores euomere posset execrationes, protinusq; alter eorum furijs agitatus insanire cœpit.*

PARI modo in festo Bacchanaliorum, vt vocant, *quod è Romanorum Lupercalibus remansit, adolescentes aliquot ludos exhibentes, rixas inter se mouerunt, tandem ita conuenêre, vt ei cederet victoria, qui execrationum diritate alios superaret. Quod impium certamen vbi incepêre, primus statim linguæ vsu priuatus obmutuit, alter furore correptus, rationis integritatem amisit.*

ESLINGÆ in die sanctæ Catharinæ, quo ibi *frequens est mercatus, Nobilis quidam, cum magnam pecuniæ summam lusu perdidisset, equos adduci iubet discessum parans, horrendis interim & abominandis execrationibus vsus. Dehortatur equitem seruus à proposito eius, periculosum esse asserens noctu iter facere, propter viarum difficultates, & aquas paludesq; interiacentes. Verùm ille execrationibus suis magis magisq; furere pergit, dictoq; audientem esse seruum iubet. Seruus obtemperat, conscensis equis, vrbe egrediuntur. Fuerunt omninò eorum tres. His non ita longè progressis occurrunt plurimi equites, (erant autem diabolica spectra) horrendo sonitu Nobilem medium complectuntur, exanimatumq; equo deturbant. Aderat autem Nobili præter seruum adolescens magno præditus animo, qui fretus conscientiæ suæ integritate diabolicum istum equitatum penetrat, dominumq; suum erectum, & equo impositum ducit. Sed viarum errore vagantibus & impeditis, tota illa nocte, ab altero latere, quod*

adolescentis istius latere munitum non erat, auditus est molestus iste equorum strepitus. Nihil autem damni adolescenti inferre poterant equites isti tartarei. Deinde circa auroram deducunt dominum ad Monasterium Bebenhaussen, vbi cum decubuisset triduo, moritur. Talis nempe exitus est horribilium & dirarum execrationum.

In die Iohannis Baptistæ, in pago Oster, qui est *sub Ducatu Magnopolensium, nuptiale celebrabatur conuiuium, cui mulier quædam effrenatæ malitiæ intererat, quæ horrendis suis execrationibus per totos continuosq́ dies durantibus, Diabolo sese in adoptionem quasi mancipabat, nihil sibi cum Deo commercij esse clamitans, Satanæ, & corpore & anima se esse mancipium. Quam furialem eius insolentiam & viri & fœminæ, Parochus ipse & Prætor, cum duobus qui aderant fratribus, grauiter reprehenderunt, eamq́ vt ab huiuscemodi execrationibus desisteret, sedulò hortati sunt. Sed nihil illa, nec admonitiones nec increpationes curans, tamdiu in sua impietate perstitit, donec Satanæ plena in ipsam à Deo daretur potestas. Cum ergo omnes animo essent securißimo, totaq́ atria lætitia personarent vocibus, Satanas præsto fuit, arreptamq́ mulierem, & corpore & anima, cum horrisono mugitu sublimem abduxit, eoq́ clamore & lamentis circa pagum circumuexit, vt omnes pagi incolæ terrore perculsi, prosternerentur, & quidam subitò anxietate & metu quasi suffocati, extinguerentur. Cumq́ aliquandiu cum misero eiulatu, atrocibusq́ tormentis eam in aëre circumegisset Satanas, in quatuor deinde partes corpus discerpit, easq́ per quatuor circum pagum vias affigit, vt omnibus, qui præterirent, punitæ blasphemiæ exemplo essent. Deinde ad conuiuas reuersus, intestina mulieris in mensam, cui aßidebat Prætor, proijcit,*

ijcit, En, inquiens ad Prætorem, hæc tibi debentur fercula, te eadem cum isthac muliere manent fata, nisi ab execrationibus, subditorumq́ue expilationibus destiteris.

Verè rem ita gestam esse, confirmant Iohannes Hermannus in eodem ipso pago pastor, & verbi Dei minister, omnesq́ue eiusdem loci incolæ, qui & alijs factum hoc notum esse voluerunt, vt omnibus exemplo esset punitæ impietatis, & incitamento ad nouam vitæ obedientiam amplectendam.

MVLPVRGI in Thuringia tibicen quidam in *nuptiali festiuitate tibia ludens, parocho eius loci conquerebatur, se quotidie à Satana grauiter affligi, & fore, iuxta illius denunciationes & minas, vt ab ipso arreptus hinc auferatur, idq́ue ob eam causam, quòd aliquando in conuiuio bibisset ex cyatho, in quem ioco nequitioso iuuenes aliquot vino immixtum stercus equinum ingessissent. Parochus quibus poterat modis eum consolabatur, publicis etiam precibus salutem eius Deo commendabat, plurimisq́ue dictis ex sacra Scriptura depromptis aduersus Satanæ insultum eum armabat, ex quibus tantum tibicen iste confirmabatur, vt de animæ suæ salute nihil dubitaret, & vltrò diceret: Animæ quidem nihil damni inferre poterit Satanas, sed corpus meum auferet, nec est quid prohibere possit, vtq́ue certo pignore fidem suam confirmaret, sacræ cœnæ sese fieri voluit participem.*

Porrò determinauit ei tempus Satanas, quo eum ablaturus esset, itaque custodes ei addebantur, qui continenter cum ipso iam preces ad Deum fundebant, iam verbum Dei legendo, se inuicem & informabant & consolabantur. Foris autem ante conclaue illud viri aliquot in armis erant, quæ custodia per aliquot dies continuabatur, donec sub intempestam noctem, quæ diem præcedit Dominicam, cum ac-

censis

censis candelis vnà in conclaui considerent, ingens vehementis venti fragor subitò intonuit, omnesq́ simul candelæ disiectæ & extinctæ sunt, eo impetu per angustam admodum fenestram arreptum tibicinem auexit diabolus, terrificusq́ sonitus quasi multorum virorum in armis concurrentium auditus est. Manè cum hinc inde quæreretur, tandem iuxta riuulum non procul à Mulburgo expansis brachijs pedibusq́ inuentus est exanimis, atroq́ colore instar carbonis obductus.

VIR quidam diuitijs abundans tredecim miliaribus *à Görlitz, cœna opiparè instructa, conuiuas inuitârat, qui cum venire recusarent, ira ille excandescens, Proh, inquit, si venire isti recusant, adueniant ergo quotquos sunt Diaboli. Vota hæc non fuerunt irrita. Nam ingens protinus eorum numerus, quos cum execratione vocârat, ad ipsum aduentat, quos ille primo aspectu non agnoscens, humaniter excepturus accedit: verùm cùm illi loco manuum vngues protenderent, supra modum territus, quos domi suæ iam haberet conuiuas, facilè intellexit. Trepidus itaq́ cum vxore sua ex arce profugit, relicto in cunis infantulo, & morione, qui in hypocausto cunis assidebat. Sed cum infantulo morio iste è turba Dæmoniorum incolumis euasit. Manifestum hinc est, quàm triste sit peccatum, esse impium, & proterua verborum vti leuitate. Fincelius.*

IN OPPIDO quodam diœceseos Coloniensi*um, miles impius noctes diesq́ in nulla alia re quàm in lusu acquiescebat, marsupium nummis refertum in promptu semper habebat, vt in quemcunque incideret, ad ludendum promptus paratusq́ esset: In iactu tesserarum adeò expeditus erat, vt cum quocunq́ ei res esset, victor semper euaderet. Verùm vt constaret omnibus, dolosum istum & fraudu-*

fraudulentum ludendi morem, ex quo rixæ, cædes, aliæq́; calamitates oriuntur, Deo summopere displicere, Satanæ permissum fuit, vt & is ludendo cum illo certaret. Multos enim graui mœrore affecerat, fraudulenterq́; ludendo pecunia priuauerat. Itaq; noctu nactus opportunitatem Satanas, aleatoris persona assumpta, militis ædes ingreditur, protinus mensæ assidet, loculos nummis distentos, tesserasq́; hilari vultu in mensam proÿcit, ludendoq́; omnem militis pecuniam obtinet. Fortunam sibi adeò aduersam esse demiratus miles, plenus furoris, Ergóne, inquit, tu Satanas es? Adhæc ille: Satis iam lusimus, dies mox illucescet, eundi tempus est. Quibus dictis, Satanas arreptum militem per tegulas secum sublimem abduxit, cuius intestina lecto inter tegulas adhæsêre. Quorsum verò corpus eius ablatum sit, nemo vnquam comperit. In Discipulo de tempore, Sermone 13.

HALBERSTADII quidam diuitijs affluens, *splendidè quotidie victitabat, genioq́; & voluptatibus indulgens, Christianæ pietatis, æternæq́; salutis negligens adeò factus est, vt dicere non dubitârit, si talem in terris vitam perpetuam liceret agere, se Deo cœlum nunquam inuidere velle. Breui pòst præter suam expectationem mortuus est. Post mortem talia in ædibus eius magnificè extructis quotidie circa vesperam apparuêre spectra, vt ab omnibus desererentur, nemine eas incolere auso. Apparuit vir ille diues cum suis conuiuis in cœnaculo, quod delitÿs & conuiuÿs destinarat, astabant famuli faces manibus tenentes, aureaq́; pocula & crateras mensis imponentes, opipareq́; instructis ferculis mensas onerantes: fidicines præterea tibicinesq́; astabant, nec quicquam deerat splendoris eius, quo dum in viuis erat, vir iste opulentus vsus fuerat. Deo*

permittente, ex Satanæ operatione, spectra hæc oculis hominum obuersata fuere, vt ab Epicureorum impietate reliqui deterrerentur. Fincel. lib. 2. de Miraculis.

ANNO secundo & tricesimo, supra mille quingentos, *vni è rusticis, quos subditos sibi habebat vir nobili prognatus genere, ex tyrannica malitia iussit, vt equo suo currui iuncto, prægrandem quercum è nemore domum auheheret, grauem minatus pœnam, nisi mandata exequeretur. Rusticus heri sui mandatis satisfacere nequaquam sibi possibile esse facilè intelligens, non sine suspirijs & grauibus querelis nemus ingreditur. Accedit eum humana assumpta specie Diabolus; causam doloris ex eo quærit, cui rem omnem ordine recenset rusticus. Diabolus eum bono animo esse iubet, domumq́; reuerti, se enim ad heri eius ædes quercum citra moram vllam vecturum. Rustico vix domum reuerso, Satan quercum prægrandem, densissimis ramis grauatam, ante ædes viri nobilis transuersam proijcit, aditumq́; arboris & ramorum densitate intercludit, cumq́; adamantinam duritiem quercus assumpsisset, nec vlla vi vel arte posset comminui, necesse fuit Nobili isti ex alia parte ædium parietem effringere, nouumq́; ædibus suis, non sine molestia, nec sine sumptu adoptare ostium. Idem libro eodem.*

ANNO millesimo, quingentesimo, sexagesimo *septimo, in Bohemiæ Ciuitate Trauutenauu, Stephanus Hübner, vir non admodum pius, sed qui in cumulandis diuitijs, ædificijsq́; splendidè extruendis, tantis fortunæ successibus vsus est, vt omnibus magnæ esset admirationi. Tandem in morbum incidens moritur, & honorificè admodum sepelitur. Cæterùm breui post eius mortem & sepulturam, corpus eius, (vel quod verisimilius, Satanas, qui pro diabolica*

bolica sua potentia, sic permittente Deo, corpus illud circumuexit) plurimos hominum arctis adeò complexibus compreßit, vt multi eorum morerentur, multi etiam ex morbo reualescerent, qui omnes vno ore confeßi sunt, se ab opulento isto viro, eo corporis habitu, quo viuum ipsum vidissent, compressos esse. Magistratus itaq; loci illius, vt satanicum illud spectrum amoliretur, corpus viri istius, effracto sepulchro, effodi iubet, quod licet iam viginti hebdomadas terra defossum iacuisset, putrefactione tamen nulla adhuc corruptum, ea erat pinguedine, qua recentia & bene nutrita solent esse corpora. Carnifex corpus sibi traditum, ad lucum vbi de sontibus sumitur supplicium, auehit, securi caput resecat, hinc dissecto corpori cor exemptum discidit, nec aliter cruor è corpore emanauit, quam si viuus instar malefici meritas sustineret pœnas. Itaq; carnifex corpus flammis iniectum, capite intra pedes reposito, cremauit, astante magna hominum turba.

HENRICVS Cornelius Agrippa, necromantiæ, *artiumq; magicarum studiosus, cacodæmonem nigri canis specie circumduxit. Cumq; propinqua morte ad pœnitentiam vrgeretur, apud Lugdunum in ignobili & tenebricoso decumbens diuersorio, cani collare loreum magicis per clauorum emblemata inscriptum notis, exoluit, in hæc verbo prorumpens: Abi perdita bestia, quæ me totum perdidisti. Nec vnquam familiaris ille canis, ac aßiduus itinerum omnium comes, & tum morientis domini desertor, postea conspectus est, cum præcipiti fugæ saltu in Ararim se immersisse, nec enatasse, ab his, qui id vidisse se asserebant, existimetur. Ipse autem Cornelius, in summo mærore & tristicia & maxima sui cordis & animi angustia, horribiliter mortuus est. Iouius in Elogijs doctorum virorum.*

SIMILI impietate Iohannes Faustus, turpissima bestia, & cloaca multorum Diabolorum, Cacodæmonem canis specie circumduxit. Is Norinbergæ cum pransurus accubuisset, æstuare cæpit, statimq́ue soluens hospiti quod debebat, abijt. Vix portis egressus erat, adsunt lictores, & de eo inquirunt. Fatis tandem vrgentibus, cum in pago VVirtebergensis Ducatus mæstus admodum sederet, quæsiuit ex eo hospes, quæ mæroris caussa esset? Respondit: Ne hac nocte terrearis, etiamsi ingentem strepitum, totiusq́ue domus quassationem audias. Manè in conclaui suo exanimis, & inuersa ceruice repertus est. Talia nimirum præmia Satanas suis cultoribus solet reddere.

FVIT alicubi Necromanticus, vel incantator, is gloriabatur, se spectaculi causa, omnes serpentes, qui circumcirca per miliaris spacium laterent, in vnam foueam coacturum, eosq́ue omnes interfecturum. Res votis ipsius respondet, immensa serpentium multitudo confluit. Tandem serpens prægrandis annosusq́ue arrepit, qui cum foueam ingredi recusaret, incantator simulat, se vltrò cursum liberiorem ei permittere. Cùm verò rem seriò aggressus, serpentem diabolicis suis incantamentis adigere vellet, vt in foueam ad serpentes iam interfectos deuolueretur, ibi serpens, sinuosa contorquens volumina, incantatorem subitò inuadit, eumq́ue instar cinguli medium amplectitur, & cum impetu secum in foueam deiectum, inter fœdissimos serpentes interficit. Athesinus de Miraculis.

VRATISLAVS Lucensis Dux, Vratislauiæ celeberrimæ vrbis conditor, bellum contra GreZomislaum Bohemiæ Ducem susceperat. Ibi mulierem fuisse tradunt, quæ priuignò bellum petituro, Vratislaum in pugna casurum, maioremq́ue populi partem cum eo interituram prædixit.

dixit. Adolescenti imperata facturum respondenti, iussit, vt primum, qui obuius fieret, occideret, atq; vtrasq; aures abscissas in pera reconderet, mox gladio inter priores equi pedes, cruce in terram facta, & deosculata, equum ascendens fugam maturaret. Pugna in campo, cui Thusco nomen est, commissa, caeso Vratislao, adolescens, qui Nouercae paruerat, domum incolumis effugit, sed vxorem, quam vnicè amabat, interemptam reperit, carentem auribus, pectusq; confossam. Sic quas hosti amputauerat aures, coniugis suae fuisse, stupens moerensq; cognouit. Aeneas Syluius in histor. Bohem.

MVLIER maga apud Berheliam Angliae villam *dum conuiuaretur cum suis, corniculam quam in delitijs habebat, vocalius nescio quid cornicantem audiens, fatalem diem sibi adesse dixit, filiosq; rogauit, vti corpus maternum, corio ceruino insutum, includerent in theca lapidea, operculum deinde ferro plumboq; constringerent, & lapidem tribus magnis circumdarent catenis. Si tribus noctibus ita securè iacuisset, quarto die eam sepelirent. Cantari pro se Psalmos quinquaginta noctibus, & Missas celebrari totidem diebus praecepit. Matris voluntatem exequuntur liberi. Primis duabus noctibus, cum clericorum chori Psalmos canerent circa corpus, Daemones ostium templi confringentes, duas extremas thecae funeralis diruperant catenas, media autem operosior permansit illaesa. Tertia nocte circa gallicinium, strepitu eorum qui ostio appropinquabant, totius monasterij fundamenta videbantur succuti. Vnus autem caeteris vultu terribilior, & statura celsior, ianuas collisas in frusta deiecit, inclamatoq; mortuae nomine vt surgeret imperauit. Ea respondente, Nequeo ob vincula: Statim catenam veluti stupam infregit, & apprehensa manu*

palàm omnibus eam ad templi fores protraxit, vbi in procinctu stabat equus niger, horrendum hinniens, vndiquaq; prominentibus vncis ferreis, quibus imposita misera, ab intuentium oculis cum vniuerso comitatu euanuit. Suppetias tamen orantis clamores miserabiles per quatuor ferè audiebantur miliaria. Hæc Vincentius in speculo histor. libro 25. cap. 26. ex Guliermo recenset.

CASALI in vrbe Salassiæ regionis Italiæ, circiter *annum Domini millesimum, quingentesimum, tricesimum sextum, coniurarunt viri ac fœminæ, quadraginta ferè numero, inter quos & carnifex erat, vt cum pestis antea sæuisset, & iam cœpisset mitescere, vnguentum conficerent, quo illitis portarum vectibus, inficerentur qui vectes tractarent: apparârunt & puluerem, quem vestibus clàm inspergentes, noxam inferebant. Latuit aliquamdiu dolus, sublatiq; multi à coniunctis sanguine vel affinitate, data etiam veneficis, vt ferebatur, pecunia hæreditatis ergò. Sed cùm cuiusdam Neci nomine fratrem, atq; vnicum filium enecassent, vixq; alij quàm domini ipsi domuum aut filij perirent: simulq; animaduertissent, Androgynam se in domos insinuare, atq; eos maximè interire, quorum ædes ingrederetur: deprehensa coniuratione, omnes exquisitissimis tormentis interempti sunt. Fassi etiam, quòd in celebri cuiusdam Diui pompa, subsellijs perunctis, vniuersos trucidare ciues decreuissent, paratasq; in hunc vsum fuisse supra viginti ollas. Vierus libro 2. cap. 50. de præstig. dæmonum.*

PATAVINI pestilentia circa annum salutis 1555. *agitabantur, miti quidem illa, sed quæ per interualla ita increbresceret, vt contagij ergò à vicinis vrbibus, ab ipsis etiam Venetis proscripti, omneq; commertium illis interdictum fuerit. Gliscente morbo σποραδικῶς potius quàm popula-*

pulariter, deprehensum tandem (Iudæi obseruatione, qui vespillonem per vicum Hebræorum incedentem pueris fili globum obiecisse viderat) Chirurgum Hispanum, Monachum Antoninianum Patauinum, & vespillonem fœdus inter se iniuisse, ijs legibus, vti vespillo contagiũ in vrbe seminando pestilentiam aleret, Monachus inter confitendum ab agris, an pecunias secum in nosocomium extulissent, indagaret: Chirurgus nummatos & pecuniosos, vel pharmaco vel vstionibus, sub medendi prætextu, tolleret, in vincula coniectis, crimenq́ fassis, ceruices laqueo fracta: Patauini à pestilentia liberati sunt. Idem in eodem.

THEODOSIVS Imperator, optimus princeps *fuit & mansuetissimus, & quidem adeò, vt omnes mansuetudine suo superârit, propter quam quidem mansuetudinem, Deus hostes illius, sine præliorum certaminibus ei subiugauit. Nam post necem Tyranni Iohannis, Barbari, quos ille ad auxilium sibi contra Romanos ferendum accersiuerat, in fines imperij Romani incursionem facere constituerunt. Quo audito, Imperator, vt solebat, istarum rerum curam Deo commendauit, atq; precibus se totum dedens, breui, quod in optatis erat, est consecutus. Primum illorum Dux, nomine Rugas, fulminis ictu interijt. Deinde pestis subsecuta, maximam partem hominum, qui ei parebant, è medio sustulit: Ignis etiam de cœlo delapsus, complures eorum, qui supererant, absumpsit. Socrates historia Ecclesiast. lib. 7. cap. 41. & 43.*

ANNO CHRISTI quinto supra millesimum, in *pago Kolbeck, haud procul ab Halberstadio, in vigilia natiuitatis Christi, viri octodecim, mulieres verò quindecim, vino omnes grauati, per cœmeterium S. Magni transeuntes, inconditum clamorem (vt mos est ebriosorum hominum)*

num) excitârunt, ipsumq́ Sacerdotem & ministerium eius ludibrio habentes, indecenti gestu saltârunt. Quare offensus Sacerdos, diris eos deuouit. Nec execratio illa fuit irrita. Per totum enim annum, dies noctesq́ citra vllam remissionem, cibi potusq́ immemores saltârunt, nec ros nec pluuia eos attigit, nec vestes ipsorum attritæ sunt, donec tandem omnes extinguerentur. Fincel. de Miraculis.

HANC historiam Albertus Crantzius, libro 4. *capite 33. hunc ad modum describit: Memoranda, inquit, plurima vidit hæc ætas, Chorizantes in Kolbeck, villa Halberstadiensi, insolenter sacra nocte Dominicæ natiuitatis, in Cœmeterio S. Magni, iuuenes & viri cum fœminis, inconcinnis clamoribus ebrij duxêre choreas. Rogati à Sacerdote sacra facturo, ne diuinum officium interrumperent, nihil fecêre minùs. Ille ad impatientiam versus, correptusq́ zelo & indignatione diuinæ iniuriæ & contemptus in religionem: Quando, inquit, mecum diuina religio contemnitur, sit vobis circuitus ille annalis. Exinde vltio diuina contumaces insequitur, sine cessatione, sine vlla quiete, per dies & noctes absq́ cibo girabantur. Miserum spectaculum dum rotarentur girantes, stupuêre qui viderant. Aliquot sancti viri, interposita prece orabant pro illis, nihil minus girabant. Sororem suam quidam extracturus de circulo girantum, brachium fertur euulsisse, illa perseuerabat girans. Impressêre alta terræ vestigia, quod necesse fuit. Anno demum euoluto quieuêre. Maior pars spiritum efflauit, pauci qui superfluêre, insigni se patientia macerauerunt.*

IN CHRONICIS Scabinorum Magdeburgen-*sium legitur, quòd anno millesimo, ducentesimo tertio, in pago Ossemer, prope oppidum Stendel, parocho, saltantibus*

rusti-

rusticis, fidibus ludenti, fulmen manum dextram vnà cum plectro abstulerit: præterea ex turba viros fœminasq́ circiter viginti quatuor absumpserit. In Chronicis Ecclesiæ Cathedralis, pagus iste vocatur Hessevvig.

QVIDAM de nobili prosapia, singulis diebus *Dominicis, sub concione ad venandum exire consueuerat. Quam eius impietatem eo tandem supplicio Deus vindicauit, vt vxor ipsius infantem capite canino deformem pareret.*

IN SVEVIA rusticus paucis ab hinc annis *pyrum deiectam, eo die, quo memoriam Paßionis Christi Ecclesia recolit, sub concione, securi cuneisq́ fissurus, arborem in lapidis duriciem, manente eadem ligni forma, transmutatam esse vidit. Fatetur Spangenbergius, se particulam de arbore ista vidisse, in tertio præcepto Catecheseos suæ.*

ANNIS abhinc aliquot, quidam in die Pentecostes, *neglecta sacra concione, deambulatum exiuêre, ad amnem delati, vestes exuunt, aquas, sese in eis oblectaturi, ingrediuntur. Nec mora vnus reliquis omnibus prope astantibus, suffocatur.*

GOLDEBERGÆ, die illo, quo Christi Passio *in Ecclesia docetur, Scholasticus inuito præceptore, clàm sub concione vrbe egressus, arborem conscendit, qua delapsus, protinus extinctus est.*

ANNO millesimo, quingentesimo, quinquagesimo nono, *in oppido Franciæ orientalis Kunstat, fœmina quædam inexplebilis auaritiæ agitata furijs, omne id tempus, quod Dominicis alijsq́ festis diebus audiendo verbo Dei tribuendum erat, laboribus impendebat domesticis, omnemq́ familiam quamuis inuitam in lino præparando & arefaciendo solicitam habebat. Cumq́ aliquando in eo de-*

corticando die Dominica famulæ occupatæ essent, visus est ignis elici ex arca illa dentata, cui linum decorticandum imponitur. Quod qui viderant, intempestiui laboris fœminam monuerunt, sed illa excæcata, nihilòminus apud familiam institit, vt strenuè pensum suum singuli absoluerent. Altero die sub vesperam linum in hypocausto arefacere festinauit, quod cum flammam concepisset, ea vice, mulier properè ignem restinguens, periculum vitauit. Verùm nihil mota eo, quod imminere viderat, periculo, ad insequentem diem Dominicum denuò siccandum linum hypocausto imposuit, quod rursus flammam concipiens, mulierem duosq; ex liberis eius corripuit (nam maritus in vineam egressus fuerat). Quanquam autem mater cum liberis accurrentis subitò multitudinis opera tum erepti fuêre, attamen postridie sunt mortui. Tenellus adhuc infans in mensa recubabat, quem illæsum mulier per fenestram abiecit, cui pili tantum modò capitis adusti erant. Mandauit æternus Deus Sabbatum esse sanctificandum, & in mandati huius contemptores seuerè animaduertit. Fincelius libro 3. de Miraculis.

ANNO DOMINI septingentesimo, tricesimo *nono, in Gallias irruptionem facientes Saraceni, omnia incendijs cædibusq; deuastârunt, & occupata vrbe Arelatensi, in ipsa quoq; templa barbarica immanitate sæuierunt. Quare Carolus, adiuncto sibi Longobardorum Rege Luithprando, imploratoq; Numinis auxilio, omniq; in illud spe & fiducia posita, aduersus eos copias suas in aciem eduxit, & commisso prælio cæsi sunt ex Saracenis octuaginta milia & trecenti, & cum ijs quoq; Rex. Hunc admodum Carolus diuino auxilio, & Francorum virtute, Saracenos, qui vniuersam propè Asiam, Libyam, & magnam partem Europæ*

ropa occupârant, repreßit, Galliasq́ ab ipsorum furore liberauit. Aemyl. de rebus Franc.

ROMÆ Subdiaconus in calicem immisit toxicum, *Gotfridum Lotharingiæ Ducem perempturus. Sed calicem cum leuare vellet, nec posset, à Domino causam facti inquisiturus, cum populo ad orationem prosternitur, protinusq́ à Diabolo obsessus, miserè affligitur, donec rursus orante populo ab eo liberatur. Anno 1054. Schaffnaburgensis.*

BARATANES Isdigerdis filius, Rex Persarum, *Christianos acerbè exagitans, magnis conatibus bellum aduersus Romanorum Imperatorem Theodosium parabat. Narseus ingentes iam conscripserat copias, in vrbe Nizibi, quæ est sita inter fines Persarum & Romanorum, hostes inuadendi occasionem opperiens. Cumq́ Constantinopolitani anxio & sollicito animo essent, & propter incertam belli fortunam ancipiti cura distracti, Angeli Dei in Bithynia nonnullis, quos negotia necessaria Constantinopolim ire cogebant, apparentes, iubent renunciare Constantinopolitanis, vt bono animo sint, precibus se dedant, & firmam in Deo spem ponant, Romanos victores fore, se enim administratores belli à Deo missos dicebant. Quibus promißis exitus etiam respondit. Nam Romani Persas in vrbem Nizibenorum conclusos obsidione cingunt, multosq́ eorum trucidant. Adhæc Saracenis, quorum multæ myriades duce Alamandaro Isdigerdi arma tulere auxiliaria, tantum subitò terrorem incußit Deus, vt Romanorum copias in ipsos derepentè irruisse existimarent, atq́ cum inter se ipsos tumultuarentur, & non haberent quo aufugerent, ipsi se armatos præcipitarunt in fluuium Euphratem, in quo homines circiter centum milia perierunt. Socrat. lib. 7. cap. 18.*

DOMITIVS Nero exercuit magnam sæuitiam in Christianos, interfecit Petrum & Paulum, & multa alia horrenda perpetrauit. Sed huius suæ impietatis grauissimas pœnas dedit. Nam cum vixisset annos triginta, & menses nouem, & regnasset annos tredecim, & menses octo, defecerunt ab eo exercitus, & Senatus eum iudicauit hostem. Cumq; ex vrbe fugeret, ingens terræ motus factus est, & terra Neroni dehiscere visa est, & spectra occurrerunt interfectorum ab eo. Cum autem audiuisset propè esse equites à Senatu missos, ad eum interficiendum, ipse gladio se transfixit. Hic exitus testimonium est iudicij diuini, & congruit ad regulas: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Et, Omnis anima, quæ fecerit abominationes, eradicabitur. Dion & Philippus in Chronicis.

EXERCVIT DOMITIANVS Imperator multiplicem crudelitatem, trucidauit multos Christianos, Iudæos, & Ethnicos. Hæc post Neronem proxima persecutio numerata est, in qua & Iohannes Euangelista, cum Ecclesiam Ephesinam doceret, relegatus est in insulam Pathmum. Cum autem Domitia coniunx eius reperisset catalogum interficiendorum, scriptum in pagella, in quo ipsius, & multorum amicorum, & libertorum nomina erant, re deliberata cum illis, Liberti Domitianum interfecerunt: cuius cadauer populari sandapila per vespillones exportatum, atq; ignominiosissimè sepultum est. Vide Eusebium lib. 3. cap. 13. & Paulum Orosium lib. 7. cap. 11.

TRAIANVS Imperator quidem fuit optimus, multisq; summis virtutibus ornatus. Aduersus Ecclesiam tamen magnam exercuit sæuitiam, donec Plinij Secundi monitu, Christianos nihil aduersus Imperium seditiosè moliri cognouit. Numeraturq; ea persecutio tertia, in qua Simeon,

meon, filius Cleophæ, natus ex sorore Mariæ virginis Episcopus Hierosolymæ, anno ætatis suæ centesimo, & vicesimo interfectus. Quare ingens eius felicitas, insignis calamitatis expers esse non potuit: Nam ingenti terræ motu aliquot vrbes grauiter concussæ & euersæ sunt, tum præter cæteras Antiochia ad Orontem, vbi Traianus quoq; penè perijsset, ruina ædificij, in quo degebat, ictus. In ijs ruinis innumera multitudo perijt, alij grauitate molis oppressi: alij, qui fortuito ædificiorum casu in cauis locis inclusi, perfringere non poterant, illa concussione per dies complures durante, fame perierunt. Tandem sedata calamitate, quidam ruinas conscendere ausus, mulierem infra eiulantem audiuit, quam remota materia eduxerunt: Ferebat autem illa puerum vlnis, quem, vt & semetipsam, vberibus suis aluerat. Deinde ruinis etiam cæteris remotis, nullos viuentes, præter vnum puerum repererunt: qui autem fame perierant, multos, vt refert Zonaras.

INCREDIBILI deinde motu sub vno tempore Iudæi, quasi rabie efferati, per diuersas terrarum partes exarserunt, qui in Aegypto, & Cyrene, & Cypro, quadraginta millia hominum tanta immanitate trucidârunt, vt carnes interfectorum comederint, & cruore eorum facies suas pinxerint. Inter eos Iudæorum motus, bellum mouet Imperator contra Agarenos, in cuius apparatu morbo oppressus est. Cum Selinuntem Ciliciæ vrbem, quæ etiam Traianopolis dicitur, venisset, vita functus est, vt ipse putabat, veneno hausto, vt alij dicunt, ob suppressum sanguinem, quem quotannis per aluum excernere solebat. Accessit apoplexia, consecuta resolutione corporis ex parte. Verùm aqua intercus omninò ei mortis causa fuit. Vide Zonaram 2. Annalium. Eusebium lib. 3. sub finem. Orosium lib. 7. cap. 12.

QVARTA aduersus Ecclesiam persecutio mota *est sub M. Aurelio Antonino Vero, & Lucio Vero, de cuius atrocitate lege Eusebium, libro quinto. Eam secuta est lues plurimis infusa prouinciis, totamq́; Italiam pestilentia tanta vastauit, vt passim villæ, agri, atq; oppida, sine cultore atq; habitatore deserta, in ruinas syluasq́; concesserint, exercitumq́; Romanum, cunctasq́; legiones per longinqua latè hyberna dispositas consumpserit: Quæ clades tyrannidem aduersus Christianos compescuit; & ipse quoq; Tyrannus L. Verus apoplexia extinctus est, vndecimo imperij sui anno. In hac persecutione Polycarpus martyrio affectus est Smyrnæ, quæ ciuitas decimo anno pòst graui terræ motu corruit.*

QVINTA aduersus Christianos persecutio mo*ta est sub Lucio Septimio Seuero, in qua multi fortiter obito certamine, Martyrij coronam meruerunt. Tum etiam Leonides, Origenis pater, captus, & post alia supplicia obtruncatus est. Verùm tantis bellorum motibus agitatus fuit Tyrannus, vt ex animi sui sententia pios insectari non posset. Tandem Eboraci in Britannia mortuus est, vbi moriturus non citra desperationem suas miserias deplorans, dixit* πάντα ἐγενόμην, καὶ οὐδὲν ἐμοὶ λυσιτελεῖ. *Omnia fui, & nihil mihi prodest.*

MAXIMINVS Thrax, à pueritia pastor, ob *corporis vastitatem & robur tandem ad imperatoriam dignitatem euectus, atrocissimam aduersus Christi Ecclesiam mouit persecutionem, de qua apud Eusebium libro nono. Cum triennium regnasset, ob crudelitatem hostis à Senatu iudicatus est, & cum Aquileiam obsideret, milites coniuratione facta, eum cum filio in castris trucidârunt.*

Deci-

DECIVS Christianorum persecutor à Nerone *septimus, vltra biennium non regnauit. Nam cum aduersus Getas, qui postea Gothi nominati sunt, qui Istrum transierant, bellum gereret, ab hostibus in loca palustria arte tractus est, vbi filio interfecto, ipse in paludem mersus miserabiliter perijt.*

VALERIANVS, octauus Christianorum persecutor, *initiò mitis fuit erga Christianos, sed postea à Mago Aegyptio incitatus est, vt persecutionem moueret, qui persuasit etiam ei, vt humanas hostias mactaret. Non diuturnus fuit hic furor. Profectus enim anno quarto imperij in orientem Valerianus, contra Persas, victus & captus est à Rege Persico Sapore, qui aliquot annos, quoties equum conscendit, pedem ceruici Valeriani imponens, pro scabello eo vsus est. Tandem in extrema senecta viuenti cutem à ceruice ad pedes vsq; detraxit.*

DIOCLETIANVS, decimus à Nerone Christianorum persecutor, *decimo imperij sui anno, in festo Paschatis edictũ promulgabat, quo iubebat omnium Christianorum templa destrui, & solo æquari, omnes etiam libros, in quibus doctrina salutaris Euangelij & Prophetarum contineretur, aboleri, & in cineres verti, omnes præterea Christianæ religionis asseclas omni honore & dignitate priuari. Satanica prorsus rabie aduersus Christianos sæuiens, multa eorum millia varijs nouisq; tormentorum generibus occidit. Nec minor in occidente collegæ eius Maximiani aduersus Ecclesiam fuit rabies. Fuitq; hæc inter Ecclesiæ persecutiones omnibus ferè anteactis diuturnior atq; immanior. Regio Nicomediensis cum incerto casu conflagrâsset, falsus inde rumor dissipatus est, facinus illud à Christianis admissum, eaq; de causa omnibus tormentorum generibus*

neribus vbiq; in eos sæuitum est. Damascenus autor est, triginta dierum spacio septendecim hominum millia hinc inde ad supplicia raptos, & crudeliter interfectos esse. Vterq; impietatis suæ pœnas dignas accepit, ex desperatione siquidem, cum nec Christianos superare, nec præconium Christiani nominis delere possent, ambo eodem die imperio se abdicârunt. Diocletianus itaq; vitam agens priuatam, mentis errore affectus, & diuturno morbo tabescens, miseram animam violenter eructauit. Maximianus verò Herculius laqueo sibi vitam finiuit. Vide Zonaram Annal. 2. Euseb. libro 8.

NON minore sæuitia in opprimenda Ecclesia vsi *sunt Galerius Maximinus, Maxentius Maximiani filius, quos ambo diuina pœna absumpsit. Galerius enim Maximinus, cum persecutionem à Diocletiano & Maximiano immissam ipse atrocibus edictis cumulasset, ac postquam per annos decem omni genere hominum exhausit Prouincias, putrefacto introrsum pectore, & vitalibus dissolutis, cùm vltra horrorem humanæ miseriæ etiam vermes eructaret, & Medici vltrà iam fœtorem non ferentes, crebro iussu eius occiderentur, à quodam Medico constantiam ex desperatione sumente increpitus, iram Dei esse pœnam suam, atq; ideo à Medicis non posse curari, edictis latè missis, Christianos de exilijs reuocauit. Ipse autem cruciatus non sustinens, vim vitæ suæ attulit. Zonaras & Orosius libro 1. Maxentius autem aduersus Constantinum pugnans, victus tandem ad Pontem Miluium, cum magna multitudine in flumen mersus perijt: Ideo Christiani dixerunt, interitum Maxentij similem esse pœnæ Pharaonis.*

VALENS Imperator Arrianam amplexus impietatem *magnam aduersus orthodoxos crudelitatem exercuit.*

exercuit. Anno imperij decimo quarto aduersus Gothos infeliciter pugnauit. Vulnere enim ad Adrianopolim accepto, decidit ex equo, & in proximum tugurium deductus est, quod cum persequentes hostes incendissent, ipse quoque flamma consumptus est.

IVLIANVS apostata, cum extremum Ecclesiæ *Christi minaretur exitium, in prælio aduersus Persas vulnus in epate accepit à milite, quisquis fuerit, nescitur. Relatus in castra, sanguinem caua manu excipiens, sursum sparsit, clamans: Vicisti tandem Galilæe. Hac voce emissa, qua fatetur impiam suam voluntatem, & ostendit ingentem fremitum & sensum pœnarum, extinctus est, anno ætatis suæ secundo & tricesimo.*

CLAVDIVS Herminianus in Cappadocia, cùm *indignè ferens vxorem suam Christi doctrinam amplexam esse, Christianos crudeliter tractasset, solusque in prætorio suo vastatus peste, cùm viuus vermibus ebullisset: Nemo sciat, aiebat, ne gaudeant Christiani. Hac voce satis testatus, se crudelitatis suæ in Christianos tam tetras pœnas dare. Item, Vigellius Saturninus, Prætor Carthaginensis, qui primus in Christianos gladium egit, lumina amisit. Hæc Tertullianus in scripto ad Scapulam.*

HADRIANVM Dion narrat grauibus & multi-*plicibus morbis affectum miserabiliter perijsse, victumque dolorum magnitudine, iam venenum, iam cultrum petijsse, grandemque pecuniæ summam, si quis gladium porrexisset, promisisse. Sed domesticorum neminem obtemperasse: Mortuumque tandem esse supra quàm dici potest miserabiliter, cruciatibus omnium ferè membrorum confectum, cum vixisset annis sexaginta duobus.*

F Commo-

COMMODVS ille incommodus, qui Senatus-consulto Domitiano sæuior, & Nerone impurior iudicatus est, tragico perijt exitu, quia à nullis flagitijs nefandis & atrocibus, quamdiu imperio præfuit, abstinuerat. Erat ei Præfectus Pratorij Quintus Aelius Lætus, qui cum Martia Imperatoris concubina de veneno ei exhibendo, ob metum mortis, quam eis minatus erat, conspirauit. Tentata res eò vsque successit, vt venenum imperator biberet: sed quod seu efficax minus fuit, seu robore Imperatoris victum est. Alijs igitur insidijs circumuentus est, atque eiusmodi, vt cum Narcisso athleta, cum quo exerceri & antea frequenter consueuerat, in pugnam committeretur, in qua ab eo subitò strangulatus est.

PROCESSVS & Martinianus milites, cum custodirent Paulum & Petrum in carcere, miraculis eorum conuersi sunt & petierunt se baptizari: Et baptizati sunt vnà cum 47. alijs captiuis. Id verò cum Paulinus cognouisset, iussit eos sacrificare Idolis, quod cùm facere recusarent, iussit eos partim lapidari, partim fustibus cædi, partim flammis vri, partim scorpionibus castigari. Verùm vltio diuina eum subitò insecuta est, Vno enim oculo priuatus est, & à Dæmonio exagitatus obijt. Centur. 1. Histor. Eccles. cap. 12.

AVRELIANVS Imp. postquam persecutionem meditari cœpisset, fulmine repentino territus est, sed eo nihil ad meliora flexus, à suis inter Bizantium & Heracleam occisus est. De quo Eusebius in sermone ad conuentum: Et tu Aureliane, inquit, omnium iniquitatum incendium, quàm manifestè cum Thraciam perrumperes, in media publica via cæsus, sulcos viæ impio sanguine repleuisti? Eius Præses Antiochus, inter tormenta Agapiti Martyris,

ſubitò de tribunali decidens, ſe totum in interioribus ardere clamauit. & expirauit. Centuria 3. cap. 3.

SVB Conſtantio Cæſare, poſt Synodum Antiochenam, *in quam Athanaſius condemnatus fuit, ciuitates orientales, ac præſertim Antiochenorum, maximis terræ motibus quaſſatæ ſunt. Nec Conſtantius Arianæ blaſphemiæ aſſertor, perfidiam & impietatem ſuam perpetuò impunè tulit. Primùm enim infeliciter res bellicæ, quas in Oriente gerebat, ceſsêre. Deinde ſub exitum vitæ miſerè conqueſtus eſt, quod fidem innouaſſet: quam rem inter mala, quæ regno ſuo indignè accidiſſe dicebat, enumerabat. Tandem etiam in eo pœnitentiæ gemitu & querelis triſti ac violento morbo è vita exceſſit. In hiſtoria Eccleſiaſtica de eius morte ſic legitur: Cum autem inter Cappadociam & Ciliciam Mopſocrenis, quod eſt ad Mopſi fontes, eſſet, præ ſollicitudine apoplexia correptus, vitam finijt.*

SVB imperio Iuliani terræ motus fuerunt grauiſſimi, *ædificia & domus paſsim ſubruentes, adeò vt tutum nusquam eſſet, vel domi vel ſub æthere morari. Præterea ſiccitates immenſæ omnes terræ fructus perdiderunt. Quo factum eſt, vt homines neceſſariorum ex terra fructuum inopia, carnibus animantium brutorum Alexandriæ & in Aegypto veſci coacti ſint. Theodoret. lib. 4. cap. 4. ſcribit, famem illam ingentem, ob impietatem Iuliani, & frumentum Eccleſiis à Conſtantino donatum, raptum, ſub Iouiniano adhuc duraſſe.*

SVB Valente Conſtantinopoli delapſa grando *adeò magna eſt, vt manum globus vnus impleret, & lapidibus ſimilis eſſet. Ac ſcribit author Faſciculi temporum, grandinem eam tum homines, tum iumenta interfeciſſe, eamq́; per iram Dei demiſſam, tum multi affirmârunt, eò*

quòd Imperator Valens Ecclesiasticos multos viros exilijs afflixisset. Nec multò pòst terræmotus circa Bithyniam factus, Nicæam ciuitatem subuertit. Deinde & Germæ ciuitatis Hellesponti multæ partes alio terræmotu deiecta & concussa sunt. Sub eodem propter combustos in naui octoginta presbyteros, subsecuta in Phrygia fames magna est, sic vt incolæ sedes mutare, alioq́ confugere coacti fuerint. Centuria 4. capite 3.

RECITAT Sozomenus libro 2. capite 14. Millem *quendam Episcopum, qui in persecutione sub Sapore in Persia martyrium passus est, venisse aliquando in ciuitatem Persicam, ac diligenter singulos ibi exhortatum esse, vt Christo nomen darent: sed verbera ibi multa passum, ac tractum per ciuitatem. Nemini autem persuadere potuisse vt Christianus fieret. Molestè igitur id eum tulisse, ciuitatiq́ maledixisse, & abijsse. Paulò igitur post, cum in Regem Persicum Magistratus ciuitatis eius quiddam deliquisset, missum eò fuisse exercitum, qui ciuitatem eam funditus euerterit.*

ROMÆ, vt Vincentius narrat, lib. 12. cap. 41. *in terræ motu lapsus Cameræ, sub qua Iudex sedebat, Pirropogenem Præfectum cum quinquaginta ministris obruit. Spoleti verò lapsus Regiæ vltra trecentos quadraginta paganos, idolis seruientes oppreßit. Post martyrium Episcopi Spoletani Gregorij, Præses Flaccus ab Angelo percussus, interiora sua euomuit, & expirauit. Dioscorus, cum filiam suam Christianam è medio tulisset, igni cœlesti consumptus est. Alius rursus, quem Apophrasium vocat, persecutionem apud Mendulas executus est, sed Dæmon eum equo insidentem, in terram præcipitauit.*

Sub

SVB Alexandro Mammeæ, adolescens Agrippitus, quindecim annorum, ideò quòd Idolis sacrificare nollet, apud Prænesten comprehensus, loris cæsus, & pedibus suspensus, cùm aquæ bullientis superfusione necari non posset, nec bestijs obiectus vulnerari, ad extremum gladio percussus est. Inter eius tormenta, ciuitatis præses ex tribunali subitò procidens exanimatus est. Cent. 3. cap. 12.

GALLI Imperatoris res initiò satis benè habuerunt, At postquam persecutionem per manus quasi acceptam continuauit, nec prosperè deinde, nec diu regnauit. Siquidem biennio nondum exacto, & ipse, & Volusianus filius in regiam societatem nuper ascitus, in bello aduersus Aemilianum, à militibus deserti, trucidantur.

SED quæ potuit esse horribilior Christiani sanguinis expiatio, atque illa immanis vastitas, quam lues pestifera, in prouincijs populi Romani, præcipuè verò in Aegypto fecit, orta sub Gallo, vt Lætus scribit, ac deinceps per integrum decennium, aut quindecim adeò totos annos grassata? Vide Euseb. libro 7. cap. 21. & 22.

CONSTANTINVS Copronymus patris sui Leonis impietatem longo interuallo superare studuit. Patriarcham Constantinum, impietatem eius reprehendentem crudeliter occidit. In delendis templorum imaginibus vehementior, in plurimos, præsertim in monasticæ vitæ addictos, immanissimè sæuijt, vsus Anastasij Patriarchæ hominis impij consilio, qui cum per viginti quatuor annos Ecclesiæ impiè insultasset, morbo tetro extinctus est, stercus per superiora egerens. Constantinum verò, cum postremam expeditionem aduersus Bulgaros suscepisset, carbunculus inuasit, vnde eum vehementes & calidæ febres sic vrebant, vt vociferaretur, se viuentem in ignem coniectum esse, quo

etiam morbo extinctus est, sublatis multis orthodoxorum millibus. Zonaras 3. Annal. tomo. Ardabasdum affinem suum, cui vt orthodoxo Senatus imperium decreuerat, comprehensum, duosq́ eius filios excæcauit. Vita fœdè acta, violentissimè periit, cum annos 34. & menses tres rerum potitus esset.

CONSTANS, filius Constantini Iunioris, Heraclij *nepos, Monothelitarum sectam est sectatus. Qua de causa Maximum, virum sanctissimum & doctissimum, eiusq́ duos filios, aliosq́ complures orthodoxos occidit. Spoliata* Roma, *Ecclesiæ septem dierum spatio plus ademit, quàm Barbari ducentis quinquaginta octo annis eò contribuerint. Quare multorum passim odium incurrit. Graui prælio in Lycia à Saracenis, & in Italia à Longobardis victus, in Siliciam concessit, vbi cum sex annos vixisset, infelix Imperator inter lauandum per insidias est occisus, capiti situla grauiter impacta, qua calida aqua perfundi solebat. Zonaras Annalium tomo 3.*

ATTILA Hunnorum Rex, qui se flagellum Dei *vocare solebat, cum se, vt in Italiam reuerteretur: accingeret, vxore in Pannonia ducta, prima infaustarum nuptiarum nocte, cum nimio vino ciboq́ pressus dormiret, manante à naso sanguine, & per os guttur petente, prius enectus est, quàm quispiam rem illam præsentiret. Diuino enim nutu factum videtur, vt illi inimicus sanguis guttur obstrueret, qui fera potius, quàm hominis auiditate, ingentem nimis humani sanguinis vim cædendo vastandoq́ sparserat. Chronic. Polonor.*

ARNOLPHVS Imperator, fortunam parum *moderatè ferens, aduersus quosuis, inprimis autem aduersus Ecclesiastici ordinis homines factus insolentior, veneno*

à Gui-

à Guidonis vxore apparato periјt. Fuit autem pharmaci vis, vt paralysis linguam ac partes inferiores resolueret: hinc ex putrefactione corporis incurabili φθειρίασις *etiam accederet. Ita mortuus est, erumpentibus toto corpore vermibus, anno Christi noningentesimo, Ottingæ in Bauaria.*

BRVNCHILDIS Gallorum Regina, alio nomine *Bruncusta, & impietate, & fortuna rectè cum Iesabele confertur. Non solum in sanctos Dei sæuijt, sanctum Columbanum exilio multans, Leodegarium verò crudeli morte afficiens, sed etiam impiam se matrem, auiam autem sceleratissimam se præstitit. Nam post Sigeberti viri Regis mortem, seminatis discordijs, inter Theodericum atq; Theodebertum, ex Childerico filio nepotes: oratione sua Theodericum impulit, vt Theodebertum interimeret, cuius ipsa liberos adhuc infantes manu sua occiderat, atq; inter ipsos Merouеum adhuc in cunis agentem, pedibus apprehensum saxo alliserat: Et, vt sola regnaret, Theodericum quoq; posteà veneno petijt. Ob quæ scelera, à Clothario secundo regno priuata, magnaq; affecta ignominia, demum pedibus equo alligata, per saxa, per vepres, ac dumeta raptata est, & crudelem in modum dilaniata, circiter annum 538.*

GENSERICVS, Vandalorum Rex, magnam *crudelitatem in orthodoxos exercens, Ariana impietate totam Africam impleuit, tandem cum post Carthaginem captam, Regnum tenuisset annos triginta septem, à Diabolo obsessus, miseranda morte perijt, Anno supra quadringentesimum septuagesimo septimo. Sigebertus in Chronicis.*

HONORICVS secundus Vandalorum Rex, no*ua aduersus orthodoxos sæuitia vsus est. Honestas matronas & virgines nudatas suspendit, facibus vssit corpora, præcidit mamillas, & brachia nolentibus assentiri Arianæ impietati.*

pietati. Cùm talibus supplicijs & exilijs multa millia hominum sustulisset Honoricus, secuta est sterilitas propter siccitatem, in qua & homines & pecudes fame perierunt, & latè vagata est pestilentia, in qua & φθειριάσει Regis corpus ita putrefactum est, vt alia membra post alia deciderint. Victor libro 3. suæ Vandalicæ historiæ. Gregorius Turonensis scribit, quòd arreptus à Dæmone proprijs se morsibus laniârit, in quo etiam cruciatu vitam indignam iusta morte finierit. libro 2. cap. 1.

ANASTASIVS Dicorus Imperator Constantinopolitanus, *Eutychianis addictus, Ecclesiam valde turbauit, qui paulò ante obitum in somnis vidisse memoratur virum terribilem, qui librum manu gestans, diceret: Ecce, ob peruersitatem fidei tuæ annos quatuordecim vitæ tuæ deleo. Et quia fatale sibi esse ex oraculo didicerat, vt fulmine interiret, Tholotum ædificium construxit, in eoq́; degit, sed frustra: nam cum aliquando tonitrua horrendum in morem resonarent, & fulgura multa eliderentur, atq; ipse perterritus è cœnaculo in cœnaculum descenderet, & alios atq; alios thalamos subiret, in quodam regio cubiculo mortuus inuentus est, cum vixisset annos 88. Anno Christi 521. Zonaras libro 3.*

IVSTINIANO imperium administrante, Iu*dæi Iuliano quodam sibi Rege creato in Christianos crudelissimè grassati sunt. Quæ vbi Iustinianus intellexit, multa manu cum illis congressus, cùm alios multos, tum Iulianum ipsum occidit. Captus quoq; Syluanus quidam Scythopoli, & igni crematus, perquàm acerbæ vitæ catastrophen subijt: vir qui plurimùm per effrenatam petulantiam in Christianos illusisset, & diuina vindicta ad id tempus conseruatus esset. Nicephor. lib. 17. cap. 24.*

Duna-

DVNAAN Iudæus, pseudoMoyses, cùm Arabiæ ciuitatem Negram perfidè occupasset, magnamq; in Christianos tyrannidem exercuisset, diuinam vltionem protinus expertus est. Essabaan siquidem Aethiopum princeps, & ex suo erga Christianos amore, & ex hortatu Iustini Imperatoris, Iudæum istum Homeriten, terra marique fortiter oppugnat, virtute maiore in prælio victor euadit, hostemq; vnà cum multis alijs genere ipsi coniunctis viuum capit, & omnes eos ferro cædit. *Idem.*

SVB Iustiniano Imperatore, cùm Alemanni crudeliter & impiè per Italiam templis direptis, Duce Leuthario, præda onusti domum contenderent, diuina eos pœna obruit, & partim bello, partim morbo contriuit. Romanorum enim & Hunnorum Duces, qui ad Pisaurum stationem habebant, eos adoriebantur, & partim ferro cædebant, partim de rupe præcipites in vertices agebant. Hanc cladem qui fuga euitârunt, posteà in Veneda vrbe peste absumpti sunt. Princeps verò Leutharius in horrendam rabiem versus, suos ipse artus vescebatur, defluentemq; abliguriebat cruorem, & tandem suo sanguine exatiatus, miserrimè vita excessit. Paulò pòst Bultinus frater eius, cum exercitu triginta millium in Campania à Romanis deletus est, tantum quinq; ex eo numero fuga elapsis. Ita infinita illa Francorum & Alemannorum multitudo sceleris & impietatis suæ grauissimas persoluit pœnas. *Agathius libro 2. de bellis Gothicis.*

CHRAMNVS Clotharij Francorum Regis filius, erga Dei ministros crudelis, & patrem impius, instar Absalonis aduersus patrem bellum ciuile mouit. Mox patrem fugiens, Britanniam petijt, ibiq; cum Conoobro Britannorum Comite, ipse & vxor eius, ac filiæ latuerunt.

Clotharius eum cum exercitu insequitur. Sed nec ille contra patrem egredi timuit. Prælium initurus Rex Clotharius, ad Dominum clamans, Respice, inquit, Domine de cœlo, & iudica causam meam, quia iniustè à filio iniurias patior, respice & iudica iustè, illudq́ impone iudicium, quod quondam inter Absalonem & patrem eius Dauid posuisti. Confligentibus igitur pariter, Britannorum Comes terga vertit, ibiq́ & cecidit. Deniq́ Chramnus fugam iniýt, naues in mari paratas habens. Sed dum vxorem & filias liberare voluit, ab exercitu patris oppressus, captus atq́ ligatus est. Quod cùm Clothario Regi nunciatum fuisset, iussit eum inclusum in tugurio cuiusdam paupercula, cum vxore & filiabus igni consumi. Gregorius Turorensis, libro 4. cap. 16. & 20. Habuit etiam Chramnus hic à consiliýs Leonem quendam Pictauiensem, ad omnia mala perpetranda grauem stimulum. Hic cùm aliquando contemptim de Ministris Dei loqueretur, statim surdus & mutus factus, amens est mortuus.

GOISVINTA Hispaniarum Regina, Arrianorum *impietati adhærens, cùm atrocissimè in eos, qui synceræ fidei veritatem amplecterentur sæuiret, cæcitate percussa est. Idem, libro 5. cap. 38.*

EADEM fermè tempestate grauis terræmotus *Antiochiam concussit, haud dubiè propter diuini verbi contemptum. Extinxit autem lues illa sexaginta hominum millia, virosq́ nobiles & illustres quàm plurimos, & inter eos Asterium, hostem & persecutorem Episcopi Antiocheni Gregorý. Sub Imperio Mauritý, Anno 585.*

FVIT Antiochia ferè sedes & refugium hæreticorum, *quare etiam sæpe eam obruerunt pœnæ diuinæ. Sic anno septimo imperio Iustini, quarto Calendas Iuný,*

in i-

in ipsa meridie conquassatio & terramotus vrbem occupant parumq́ aberat, quin totam euertissent, quæ duo sequebatur incendium, quasi calamitatem cum illis partiturum. Qua clade ingens hominum multitudo perijt. Postremo omnium Euphrasius, cuius mors aliam nouam calamitatem ciuitati attulit, eisdem cladibus oppressus interijt. Quæ vrbis calamitas Rosinæ, monastica genus vitæ excolenti, Cæsareæ in Palæstina, eodem momento quo accidit, diuinitùs reuelata est. Euagrius libro 4. cap. 5. & 7.

AVTHARIS duodecimus Rex Longobardorum, *infantes & pueros in festo Paschatis baptizari, & in Christiana religione informari prohibuit. Qui cum annos regnasset sex, Ticini veneno extinctus esse scribitur. Anno Christi 592. Paulus Diaconus, libro 3. de gestis Longobardorum, cap. 18.*

IMPERANTE Arcadio, cum ex inuidorum *hominum impulsu, & Eudoxiæ Imperatricis machinationibus Iohannes Chrysostomus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus in exilium actus esset, nocte statim insequenti, ingens terræmotus toti vrbi, & imperatrici grauem incussit terrorem. Itaq; prima statim luce Constantinopoli mittuntur legati ad exulem, oratum vt quàm primùm ad vrbem redeat, periculumq́; ei impendens depellat. Nempe serui sui innocentiam concussione ista terræ æternus Deus testari voluit. Porrò complures eorum, qui erant iniuriarum autores, pœnas persoluerunt, quorum supplicia alijs non parum attulerunt commodi, vt refert Euagrius lib 5. cap. 34.*

EBERVLPHVS Chilperici Regis cubicularius, *omnis pietatis contemptor, turpissimis inquinatam sceleribus vitam egit: Ecclesias spoliauit, seruos Christi probris affecit, pauperes oppressit, pauperum segetes & vineas in iu-*

mentis suis, equis & pecoribus suis patere voluit. Post mortem autem Chilperici Regis, omnia rursus eius bona, ex iussu regis Parisiorum Gunthramni, direpta sunt, & ipse in basilica sancti Martini, in quam confugerat, à Claudio homine periuro ex insidijs cæsus, miserè perijt. Turonens. libro 17. cap. 21.

SMARAGDVS Italiæ Exarchus, quia Episcopos *aliquot contra Christi doctrinam sibi gratificari coëgerat, à Dæmonio correptus & exagitatus est. Anno quinto imperij Mauritij. Paulus Diaconus libro 3. de gestis Longobard. cap. 12.*

FVIT sub Iustino minore Mamucha quidam A*garenorum princeps, qui vt crudelitate persequendi Ecclesiam Dei Pharaoni Aegyptio non multùm cessit, ita communi quoque cum ipso mortis genere interijt. Nam direpto Cassinensi & Messano cœnobio, & patratis multorum piorum cædibus, paulò pòst cum toto suo exercitu & centum nauibus maris vorticibus absorptus, miserrimè perijsse dicitur. In Epistola Gordiani ad Maurum, quæ extat in fine Chronici Cœnobij Cassinensis. Idem Antoninus refert, libro 15. cap. 15.*

CHOSROES Rex Persarum, Romanum Im*perium infestans, passim Christianos duriter affligit, & expugnata Hierosolyma, nonaginta hominum millia Iudæis trucidanda committit, & Patriarcham Zachariam, & numerosam multitudinem ciuium, & vexillum Dominicæ crucis secum abducit, anno quinto Heraclij: Immani odio erga Christum, & inexplebili cupiditate fundendi sanguinis flagrans, ipsam etiam Aegyptum adoritur, Alexandriam, & Libyam ac Aethiopiam vsque vastat, neque pacis vllam conditionem se amplexurum Heraclio respondit, nisi prius*

Christo

Christo abnegato, Solem se adoraturos Christiani promittant. Anastasius Persa, Monachus, à Persis captus propter confeßionem veritatis, cum alijs septuaginta Martyrio coronatus est, anno Domini 620. vt tradit Sigebertus. Iussu autem Cosrois primùm supinus in terra iacuit, & impositum est super eius tibias lignum, in cuius extremitatibus vtrinq; duo robustißimi viri steterunt, alterius sese motibus sursum ac deorsum librantes. Deinde cùm illos dolores fortiter pertulisset, iussus est vna manu ex alto suspendi, alligato ingenti lapide ad pedes, quo deorsum traheretur: Tandem cum alijs septuaginta socijs, fune collo aptato suffocatus vitam finiuit, & ad extremum etiam decollatus, caputq; ad Regem delatum est.

PORRO cùm miserabiliter Ecclesias Palæstinæ *& vicinarum regionum Tyrannus hic vastasset, magnaq; cum felicitate, permissu Dei, qui vindictam ab interemptoribus Mauricij exigebat, contra Romanos aliquamdiu pugnasset, tandem etiam grassationis suæ pœnas dedit: Sicut plærunq; solet Deus virgam, qua suos castigat, vt est in prouerbio, tandem frangere, eamq; ipsam in ignem conijcere.*

NAM cùm ab Heraclio per annos sex bello esset *in Persia exagitatus, & filium suum natu minorem Regem designasset. Syroës filius eius natu maximus, vīdicaturus ius suum, cum militibus in eum irruit, & captū indignis tractauit modis. Primùm pedibus manibusq; ligatis, à collo etiam ferreo pondere suspenso eum in altißimam turrim, quam is ad condendas pecunias extruxerat, demisit, ibiq; solo pane & aqua parcißimè pauit, addens sæuißimas exprobrationes, vt de auro comederet, quod tam multorum sanguine, tamq; immani vastatione orbis terrarum in eum locum col-*

legiſſet. Deinde extractum, fecit ſpectare atrociſſimam necem filij ſui, cui antea regnum deſtinârat: illum enim coram eius aſpectu, cum reliquis filijs omnibus, trucidari iuſſit. Tandem per dies quinq; expoſuit eum omnium conuicijs. Vltimò verò arcubus in eum collimari, & certatim telis peti ordinauit. Et ſic magnus ille terror orbis terrarum infeliciter animam exhalauit. Paulus Diaconus libro 8. rerum Romanarum. & Regino libro 1. Chronicorum.

SARACENI Conſtantinopolim, vicinaſq; regiones *infeſtantes, atrocemq; paſſim Chriſtianis cladem inferentes, fame, frigore, bello, peſtilentia ſine numero perierunt. Tanta ſanè fames eos vexauit, vt nec ab excrementis tum iumentorum tum hominum, nec carnibus cadauerum abſtinuerint. Quibus fames & peſtilentia pepercit, eos ferrum abſumpſit. Qui cladibus iſtis ſuperfuère, eos mare abſorpſit, immiſſa in eos diuinitùs ignea grandinis tempeſtate, ex qua erepta ſunt decem naues, quarum quinq; à Romanis captæ, quinq; in Syriam delatæ ſunt, vt diuinæ vindictæ eſſent teſtimonio. Anno 719. Sigebertus & Diaconus.*

MICHAEL Balbus Amorræus, poſt cædem Leonis *Armenij ad Imperium euectus, cùm multa crudeliter egiſſet, & aduerſus pios variam tyrannidem exercuiſſet, Phrenitide & perfluuio ventris, quod dyſenteriam vocant, perijt, cum imperaſſet annos octo, menſes nouem. Zonaras.*

BARDAS auunculus Michaëlis Theophili, omnia *pro ſua libidine in aula impij & ſtolidi Imperatoris verſans, Theoctiſtum virum bonum fraude circumuentum occidit. Ignatium Epiſcopum, à quo ob inceſtum, & diuortium impiè factum reprehenſus fuerat, multis malis exagitatum relegat, & in alios quoſuis intolerabili faſtu importunus*

& cru-

& crudelis fuit, Verùm in quantacunque apud Imperatorem esset gratia, tandem tamen à Basilio & reliquis coniuratis Imperatoris pedibus aduolutus, trucidatus est, & membratim dissectus. Zonaras 3. Annal.

NORMANNI cum circiter annos septuaginta *Christi fideles varijs affecissent iniurijs, tandem cùm Lotharingiam depopularentur, internecione penè ab Arnolpho deleti sunt, cùm vix vnus atque alter in Imperatoris exercitu cecidisset. Helmoldus in Chronico Sclauorum, capite 7.*

REGNERVS Rex Daniæ, abrogata Christianorum *religione, idolatriæ in Regno denuò instituendæ author fuit. Quam eius impietatem diuina insecuta est vindicta. Nam Helles, quem regno ille deiecerat, adiunctis Gallorum sibi auxilijs, eum prælio victum & captum carceri tetro, serpentibusque infesto inclusit, qui virulenta sanie eum perfusum, latherisque morsibus confectum, horrenda morte affecerunt. Cranzius libro 4. cap. 10. Daniæ.*

VNGARI, cum Bremensium Ecclesiam deuastantes, *multis magnisque contumelijs seruos Christi afficerent, subito impetu tempestas in ciuitatem irruens, flammas in templi fastigium eiaculata est, quarum vehementia scindulæ, lateres & tegulæ ingenti crepitu dissultantes, ea vi hostes obruère, vt partim prostrati subitò interirent, partim in vicinum amnem se præcipitarent, partim verò à ciuibus excepti, cruenta morte occumberent. Idem in Metropoli lib. 3. cap. 2.*

BLVSSO Rex Vandalorum, cùm Albim transgressus, *magna clade Christianos insectatus esset, in regnum suum reuersus, à suis dilaniatus est. Helmoldus. Sic Vdo Sclauorum Princeps, acerrimus Christianorum hostis à Saxone quodam confossus perijt. Item, Cruco Sclauorum Princeps,*

ceps, Christiani nominis persecutor, à propria sua vxore neci datus est. Ea enim cum maritum decrepitum auersaretur, Principisq́ue Saxoniæ Heinrici amore flagraret, percussorem principis Heinrici satellitem Cruconi immisit, qui poculis sopito occiput securi diffidit. Idem in Chronic. Sclauor. capite 34.

THEODORICI pij Episcopi Treuerensis mortem *manifesta vindicta insecuta est. Comes Conradus necis autor Romam profecturus, vt pœnitentiam ageret, in itinere repentina morte extinctus est, vt Marianus Scotus annotat. Miles, qui vnà cum reliquis Episcopum è rupe deiecerat, inter cœnandum suffocatus perijt. Serui duo reliqui sibi ipsis ambo manus inferentes, miseri extincti sunt. Hermannus Contractus.*

ADVERSVS Vngariæ Regem Christianam religio*nem in regno suo propagare modis omnibus contendentem passim multi ex subditis insurrexêre. Seditiosorum Dux fuit Cupas, qui tandem in prælio obtruncatus est, eiusq́ue corpus in quatuor partes dissectum, & ante ciuitatis portas, vt seditionem molientibus terrori esset, suspensum est. Bonfinius libro 1. Decad. 2.*

GVLIELMVS Rex Angliæ, qui Anshelmum *Episcopum Cantuariensem eiecit, nec quicquam in votis magis habuit, quàm diuinam veritatem contemnere, aliena ad se rapere, propinquos & cognatos persequi. Is tandem in venatione iaculo à Gallico milite in ceruum emisso de improuiso ictus, lethali accepto vulnere, ab equo decidit, dictoq́ue citius nulla voce præter gemitum edita, extinctus est, anno 1101. Polydorus libro 10. Anglicæ historiæ.*

ABBAS Rex Vngarorum seruis Dei, regniq́ue *proceribus plurimis infestus iniurijs, eosq́ue sua tyrannide*

passim

paßim è medio tollens, tandem ab Heinrico tertio prælio victus, in fuga à satellitibus occisus est. Bonfinius.

CIRCA annum Christi septingentesimum, Geilana *Gosberti VVurtzburgensis Principis coniunx à S. Kiliano ob incestum obiurgata, fratri siquidem mariti sui nupserat, arte effecit, vt Kilianus vnà cum suis fratribus è medio tolleretur. Verùm à Satana illa protinus obsessa, & impietatis & homicidij pœnas dedit. Martyrolog. & Hist. Eccles. Hed. libro 6. cap. 10.*

EPIGENIAM, quæ Christo se totam dicârat, *cum Hurtacus Rex Aethiopum, nec minis nec alia vi vlla vt sibi nuberet adigere posset, eò progressus est væsania, vt cœnobium, in quo illa degebat, flammis vastaret, quæ in immensum exundantes, arcem quoque regiam corripiunt, & in cineres totam conuertunt. Tandem etiam grauiores impietatis suæ pœnas luere coactus est, per totum corpus lepra infectus, cumque omnis curatio frustra adhiberetur, ex doloris magnitudine & impatientia suo se gladio transuerberauit. Guido Bituricensis.*

PIPINVS & Martellus filius, Francorum Re*ges, in prospero omnium rerum successu, in vitam incidêre flagitiosam, neglectisque coniugibus, scortis ambo adhæsêre. Quam eorum turpitudinem cum liberius Tungrensis Ecclesiæ Episcopus reprehenderet, à scorti Alpiadis fratre Dodone interfectus est. Verùm diuina pœna protinus ille correptus, phtiriasi miserè cruciatur, cumque & doloris & fœtoris magnitudinem ferre non posset, seipsum in fluuium Mosam præcipitem dedit. Chronic. Hed. libro. 6. cap. 17.*

IMPERATORI Caro duo fuêre filij, Cari*nus & Numerianus. Numerianus cùm Antiochiæ Ecclesiam Christianorum ingressus, arcana eorum mysteria inspi-*

cere vellet, Babylas Episcopus magno animo ei resistens, id prohibuit, non licere dicens, eum cruore ex Idolorum sacrificijs pollutum, in domum Dei irrumpere, & diuina mysteria contaminatis oculis spectare. Qua re Numerianus offensus, excruciatum illum necauit. Non multò autem pòst ipse quoq; Numerianus cùm ex oculis laborãs in lectica ferretur, à socero suo Ario Apro occisus est. Mox & Carinus, cùm flagitiosissimus esset, & Heliogabali mores imitaretur, ab exercitu desertus & interfectus est. Niceph. libro. 6. capite. 33.

AGATHIAS de moribus Persicis refert, *Philosophos quosdam, cum Aegyptum inuiserent, promiscuam ibi matrum & filiorum deprehendisse mixtionem, eumq; incestum abominatos ex Aegypto discessisse. Qui cum in Graciam delati essent, incidisse eos in cadauer humanum honore sepultura carens, motosq; misericordia terræ illud mandasse: Cumq; postridie casu illàc transirent, corpus denuò effossum offendisse, cumq; rursus illud humare animum inducerent, spectrum apparuisse, corpusq; sepeliri vetuisse, & simul indicasse, indignum esse hominem istum, cuius corpus humo tegatur, eò quòd matrem suam incestârit. Quæ narratio indicat, quòd ipsa quoq; tellus turpem istam libidinum confusionem auersetur & execretur.*

CYRILLO, ciui Hipponensi honesto & pio, *filius erat temporibus diui Augustini indulgenter admodum educatus. Iste cùm luxuriosam vitam ageret, matrem prægnantem nequiter per ebrietatem oppreßit: Sororem violare voluit, patrem occidit, & duas sorores vulnerauit ad mortem. Augustinus Tom. 10. Sermone 33. ad fratres in Eremo.*

Filius

FILIVS quidam degener & ἄστοργος, patrem *suum, cuius vitæ, propter hæreditatem adipiscendam, pertæsus erat, falsò insimulabat fœdissimi incestus, quo cum iumento commixtus esset. Res eò tandem redit, vt pater in vincula coniectus, grauissimis tormentis adhibitis examinaretur, inter quæ victus cruciatuum magnitudine, se flagitij istius reum esse confessus, à tormentis deinde liberatus idem protinus negauit. Cùm ergo ad tormenta sæpius reduceretur, tandem ait, se quidem prorsus intentati sibi criminis immunem esse, malle tamen ipsam mortem perpeti, quàm tantis cruciatibus diutius distineri. Cum autem nihil hac sua inficiatione proficeret, sed ad grauiora subinde tormenta raperetur, tandem septem adhibiti sunt testes, qui coram Iudicibus testati sunt, illum crimen in tortura confessum esse. Fertur itaq; sententia, qua ad ignem insons & miser homo damnatur, qui dum ad locum supplicij educitur, alta voce ad populum suam testatur innocentiam, & falsò sese à filio suo paternis bonis inhiante, tanti criminis, cuius perpetrandi in mentem sibi nunquam venisset, reum actum. Inter quæ verba mortem forti animo sustinuit, suamq; Deo commendauit animam. Post cuius mortem, intra vnius mensis spacium, Iudex & testes ex diuino iudicio miseranda morte extincti sunt: Impius autem iste filius, laqueo sibi vitam finiuit. Ex quorum pœna, veritas, & innocentia miseri patris patefacta est. Ex libro 5. cap. 4. de officio principum vel magistratuum.*

GELDRIÆ quondam Ducis filius Adolphus, *cum filiam Ducis Borbonij è Gallia duxisset, patrem suum, quem vita priuatum ex cupiditate dominandi esse cupiebat, sub vespertinum crepusculum cepit, eumq; discalceatum per intentissimum hyemis frigus, in tetrum & squalidum carce-*

rem per quinque milliaria abductum inclusit: vbi cum per semestre spacium vitam admodum afflictam egisset, Dux Cleuensis, qui Geldrensis Ducis sororem matrimoniali nexu sibi iunctam habebat, misertus affinis sui, Adolphum vi & armis aggreditur, vnde graue bellum inter eos exoritur, quod certis praescriptis conditionibus Carolus dux Burgundiae, hinc Imperator ipse, nec non pontifex Romanus dirimere frustra conati sunt. Tandem Dux Carolus ex mandato Imperatoris, vi Ducem Geldrensem grandaeuum è custodia liberat, mox etiam inter patrem & filium pacem conciliare studet: proponit conditiones, quibus filij potius quàm patris fauere partibus videbatur. Quas conditiones filius execratus, se malle ait, in profundissimo puteo vnà cum patre sub mersum esse, quàm in eas consentire: Patrem iam per quadraginta quatuor annos principatum & dominium obtinuisse, tempus esse, vt filio cedat. Dum huic transactioni interest Dux Carolus, interim Ludouicus Rex Gallorum irruptione facta in eius regionem, vi aliquot oppida & ciuitates Picardiae occupat. Itaque infecta re ad suos Dux Carolus properè reuertitur. Adolphus Geldriam versus iter faciens, in hostium manus incidit, à quibus captus, & in custodia detentus est, donec post mortem Ducis Caroli, Gandauienses eum liberauerunt, & bello, quod aduersus Tornacenses gerebant, praefecerunt, in quo horrenda morte perijt, in minutas partes dissectus, ex iusto Dei iudicio punientis impietatem, quam aduersus patrem exercuerat. Philippus Comineus.

QVIDAM diuitijs affluens, patrem annis confectum, *& graui pressum pauperie despiciebat, cùm autem sibi ignominiosum duceret, patrem suum mendicare, eum vel inuitus ad se recepit. Cumque aliquando ferculum opiparè ap-*

rè apparatum in mensa appositum esset, pater interuenit, ibi protinus seponi illud filius iussit, quod, cum pater aliquandiu pransus abijsset, rursum depromi iubet. Sed ecce seruus patinam allaturus, non sine terrore plenam eam serpentibus esse conspicatus est, renunciat id hero, qui portento hoc attonitus, properè visurus illud accurrit, statimq́ qui inter serpentes erat immanissimus, in os ipsius illapsus est, suum os ori ipsius adiungens, ita vt semper, quandocunq; ipse cibum sumeret, serpentem quoq; cibare cogeretur, quem horrendo admodum spectaculo secum circumgestauit. Manl. in collect. ex Discipulo.

IBIDEM refertur historia priori non admodum absimilis de sene, qui graui paupertate colluctans, filium opibus abundantem accessit, ab eo θρεπτήρια, seu nutricationis præmia petens. Filius sibi probro & dedecori esse iudicans, patre adeò egeno se natum, palam negauit se pauperis istius esse filium, eumq́; asperis verbis increpitum facessere iussit. Plorabundus pater abit, sed vix digresso, protinus furore corripitur filius, & in isto furore impiam suam efflat animam.

IN ciuitate quadam Pomeraniæ, filium duodecim natum annos, luxui iam & nequitiæ deditum obiurgauit mater, Puer increpationis impatiens, postridie matrem circa matutinum crepusculum in lecto dormientem, cultrò in pectus ipsi infixo, interfecit. Hæc manifesta sunt opera Satanæ.

FRANCOFORDIÆ ad Mœnum bombardarius quidam, cum puluerem in bombardam adhuc feruentem immitteret, puluis incensus eum solo illisum extinxit. Quem omnes peritum & ingeniosum fuisse artificem fatebantur, pœnam istam diuinitùs ei irrogatam eò, quòd impius er-

us erga matrem in iuuentute sua fuisset.

In Flandria duos cum haberet mater filios summa *erga eos indulgentia, inuito etiam & indignante patre, vsa est, clam ipsis pecuniam, ne deesset ei vnde helluationi & aleæ studerent, subministrauit. Verùm vt primùm pater fatis concessit, mater alterum filiorum gladio à carnifice feriri, alterum laqueo suspendi, non sine summo dolore, & indulgentiæ suæ detestatione conspicata est. Ludouic. Viues, de Instit. Christ. fœm. lib. 2. cap. 10.*

Mater ad puerilia filij sui furta conniuere so*lita, tandem cum adoleuisset, eumq́ furti reum actum, damnatumq́ ad crucem, à carnifici duci vidit, quem cùm gemebunda & eiulans mater sequeretur, petijt filius, vt liceret sibi secretò aliquid in aurem matri significare. Quod cùm impetrasset, matri aurem dentibus abscidit, eam perditionis suæ autorem & causam esse clamitans, aut quæ indulgentia sua impia ad furta eum pellexisset. Cyriac. Spang.*

Simile fertur de Lucretij filio, qui cum damna*tus mortis ad supplicij locum educeretur, postremùm patri suo vale se dicturum simulans, morsu ei nasum absoidit, vt hoc indulgentiæ suæ præmium ferat, inquiens, qua ignominiosa mortis, quam perferre cogatur, author ipsi fuerit. Meminit Guido Bituricensis.*

Faber clauicularius iuuenis adhuc, sed luxui *deditus, vtrumq́ parentem pistillo occidit, spe potiundæ eorum pecuniæ, quo facinore immanißimo perpetrato euestigiò sutorem accesit, nouosq́ ab eo calceos sibi coëmit, relictis ibi veteribus suis & dissutis calceis, quos puer sutoris subter scamnum abiecit. Mox post horam vnam atq́ alteram ædes interfectorum per Magistratum reclusæ sunt, repertaq́ ibi*

truci-

trucidatorum corpora, quorum cædem filius dolenter adeò tulit, vt nemo vel minimam suspicionem capere potuerit, eum tanti facinoris autorem esse. Accidit autem vt sutor iste calceos sub scamno iactées cruore aspersos esse casu quodam animaduerteret. Obseruatum quoq; filium istum impium, præter solitum, nummatum esse. Quibus motus coniecturis Magistratus, hominem in vincula conijci iussit, qui citra moram facinus confessus est, pœnaq; digna affectus. Ferunt pistillum istud prætorio affixum esse, perpetuoq; tremore agitari. Anno Christi quinquagesimo supra sesquimillesimum, in Regio Monte Porussiæ. Ex relatione Martini Lutheri.

NARRAT Aristoteles in Ethicis fuisse quendam *qui suum patrem malè casum capillis ad limen domus vsq; protraxerat. Deinde, cum & ipse senesceret, multò deterius à filio tractatum fuisse, & extra limen domus protractum, in luto prouolutum esse, donec & ipse pater clamaret: parce fili, ego meum patrem tantum ad limen domus protraxi. Qualis quisque fuerit in parentes, tales experietur in se liberos. Et plærunq; per quæ quis peccat, per eadem etiam punitur.*

MEMINIT in Dialogo diuus Gregorius ciuis *Romani, cui filiolus erat quinq; annorum, qui cum singulis verbis execrationes & blasphemias immiscere assuesceret, nec parentes hanc pessimam eius consuetudinem compescerent, accidit aliquando, vt cùm pater vlnis puerum gestaret, puer subitò alta voce clamaret, quinq; atros procerosq; viros in se irruere, eaq; verba, frustra eum patre, vt quiesceret, hortante & consolante, trepidè recitaret, donec vi è patris manibus ereptus, in minutas partes distraheretur.*

Inue-

IVVENIS quidam cum ebrius è conuiuio domum versus tenderet, à patre obuio obiurgatur, quem filius ex ebrietate excæcatus, patrem esse non agnoscens, interficit. Mater audito clamore occurrit trepida, quæ à filio itidem ignaro occiditur: Captus inter magnos terrores flagitium suum deplorauit, pœnasq́ meritas sustinuit. In Discip. de tempore.

ANNO sexagesimo supra sesquimillesimum, quidam Basileæ patrem suum, virum honestum & opulentum, veneno, quod in Pharmacopolio comparârat, necauit: qui, vbi flagitium innotuit, asseri nudus alligatus est, & per ciuitatis plateas raptatus, quatuor vicibus candenti ferro laceratus, hinc rotæ illigatus est, vbi cum per nouem horas grauissima sustinuisset tormenta, peccatum suum agnoscens & deplorans, animam exhalauit. Hed. in quarta parte suorum Chronicorum.

PESSIMA consuetudo est parentum, liberis per indignationem dira imprecantium, ipsa enim enim testatur experientia, execrationes istas non esse irritas.

NOSTRA accidit memoria Neoburgi, vt mater filio suo dirum imprecans exitium, irata in hac verba prorumperet: vade, faxit Deus, vt viuus ad me nunquam reuertaris. Eodem die adolescens frigidas ingressus aquas, submersus est.

CÆSAREÆ in Cappadocia fœmina, & genere & diuitijs illustris, cum numerosam haberet prolem, septem filios, & tres filias, horrendas ex indignatione in eos execrationes euomuit, protinusq́ diuina se exeruit vindicta: Nam omnes simul toto corpore horrore & tremore concussi, grauem imprecationis pœnam miseri sustinuêre, matriq́ horrendum & triste diuinæ vindictæ exemplum & spectaculum

culum præbuêre. Discip. de tempore, Sermon. 14.

NEC minus triste & horrendum exemplum refert *Cæsarius, de parentibus, qui cum frequenter filio suo imprecarentur, vt à Diabolo auferatur; tandem filius eorum à Satana arreptus, & abductus est, nec vnquam eorum oculis redditus. Sermon. 24.*

IN celebri quodam Misniæ oppido accidit vt *biliosus pater, cùm filius in expediendo negotio esset tardior ei dira imprecatus diceret: Faxit Deus, vt nunquam inde pedem dimoueas. Dictum factum, filius eodem momento affixus in isto loco, in quo erat, stetit, nec vlla vi inde auelli potuit, cumq́ue nec corpus inclinare ad sedendum posset, noctu tergo eius opposuêre pulpitum, cui innitens commodiùs quiesceret. In quo statu per integrum mansit triennium, quo elapso, per quotidianas fidelium preces pœna ei mitigata est, sic vt corpus reclinare posset. Sedendo itaque insumpsit quadriennium, ore admodum macilento, cibi sermonisq́ue parcus. Interrogatus, quomodo res suæ se haberent? hoc plærunque dedit responsi, se à Domino castigari, & penes Deum misericordem esse, quem res suæ essent habituræ exitum. Nec tamen se quicquam de animæ suæ salute per Christum parta dubitare. Elapso demum septennnio in vera confeßione, & fide in Christum mortuus est, vndecima Septembris, anno quinquagesimo secundo supra sesquimillesimum.*

VIDIMVS ipsi annis ab hinc non ita multis, *quendam & corpore afflictũ, & facultatibus paternis exutum, miserandam egisse vitam, ingruentibus in eum execrationibus patris, qui paulò ante mortem eum deuouerat, aduersam ei fortunam in omnibus rebus, omniq́ue vita imprecans.*

FERTVR matrem quandam, cùm filium haberet contumacem, *in genua prouolutam, orâsse Deum, vt filium sacer ignis corriperet. Preces antequam finitæ essent, exaudiebantur, filiusq́ toto ardens corpore, triduò post extinctus est.*

CONTVMACIS filij improbitati cum succenseret *mater quædam, in genua coram Christi crucifixi imagine prouoluta esse dicitur, filioq́ his verbis exitium imprecata: Precor Iesu Christe, cuius simulachrum intueor, vt sacro igne filij mei corpus inflammes. Quæ preces nequaquam fuerunt irritæ, filius siquidem toto inflammatus corpore, O mater, exclamat, preces tuæ exauditæ sunt, triduiq́ dolores perpessus, miseranda morte extinctus est.*

MEMINIT diuus Augustinus matris, quæ se*ptem liberis dira cum imprecata esset, illi toto trementes corpore, per diuersas mundi regiones circumuagati, tandem in templo ad S. Stephanum à pœna ista liberati sunt. Quos diuus Augustinus seipsum vidisse testatur.*

MEDIOLANI contumax & impius filius, por*rectis digitis, oreq́ obliquè intorto, contumeliosè matrem irridebat. Mater grauiter filio succensens, vtinam, inquit, in mala cruce sic os intorqueas. Diebus parùm multis elapsis, filius iste in furto deprehensus, crucis supplicio damnatur, vbi cum per scalas subueheretur à Carnifice, visus est pari modo, quo matrem irriserat, os suum intorquere.*

CONSTANTINO Magno tres succeßêre filij, *diuisione Imperij hoc modo facta: Constantinus natu maximus tenuit Hispaniam, Galliam, Alpes, & Britanniam. Constans Italiam, Africam, Græciam, & Illyricum. Constantius minimus natu Orientem tenuit. Constantinus natu maximus cùm superbior & inquietior esset cæteris, post-*

habita

habita pietate erga patrem mortuum & fratres, Constanti bellum infert, vt Italiam occuparet: sed prælio victus, à Constantis exercitu multis ictibus, cùm equus vulneratus eum excußisset, confossus est. Constans itaq; solus Imperium tenuit Occidentis. Cæterùm Magnentius, quem antea in Illyrico ipse seruauerat, tectum sua purpura, cùm milites eum interfecturi essent in Augusta Vindelicorum contra eum factus Imperator, interfecit Constantem quiescentem in cubiculo, talem gratiam Seruatori reddens, qualem Caßius & Brutus Iulio reddidêre. Constantius itaq; necem fratris sui vindicaturus, & seditiosi Ducis conatus repressurus, septuaginta millia hominum aduersus eum eduxit. Victus prælio Magnentius, Lugdunum fugit, vbi cum necâsset amicos, quorum ei fides suspecta fuit, postea sibi ipsi mortem consciuit.

GRATIANI fratrem Valentinianum Secundum, *Eugenius & Arbogastus per corruptos cubicularios in vrbe Galliæ Vienna laqueo strangulant. Dederunt autem perfidiæ suæ, & parricidij pœnas seditiosi isti Duces. Maximus à Theodosio prælio victus & captus est, iussuq; Imperatoris interfectus. Ambragatius Dux eius sese in mare præcipitauit. Eugenius, qui interfecto Valentiniano se Imperatorem nominauerat, prælio victus, & ad Theodosium pertractus est, cumq; prostratus ad pedes eius veniam peteret, à militibus astantibus capite truncatus est. Arbogastus in fuga, ne retractus in conspectu victoris pœnas daret, ipse sibi manu sua mortem consciuit.*

CAMBYSES Cyri filius, motus falsa suspicione, *iußit interfici fratrem suum Smerdem. Duxit vxorem sororem suam, & lachrymantem propter fratris necem excandescens grauidam interfecit. Hanc domesticam crudelita-*

litatem alij furores secuti sunt. Cum Prexaspes reprehendisset eius temulentiam, dixit se ostensurum esse, sibi mentem etiam inter pocula integram esse, ac iussit in conuiuium adduci filium Prexaspis, quem collocatum ad limen, iussit puerum sinistram manum capiti imponere, & arcum intendit, ac ad cor adolescentis sagittam direxit: quod cùm vulnerasset, icto pectore, hærens in corde spiculum patri monstrat, eumq; ridens interrogat, satisne certam manum haberet? Pater sibi metuens artem laudat. Sed talis cum esset Cambyses, aliquantò pòst diuinitùs punitus est. Cum enim in equum ascenderet, decidens ex vagina gladius ferit ei fœmur. Ex eo vulnere post paucos dies mortuus est. Herodotus libro 3.

ARTAXERXES Ochus octauus Persarum rex, à parricidio regnum auspicatus est, duobus necatis fratribus illud occupans: magnam etiam aduersus Ecclesiam exercuit sæuitiam. Initiò gubernationis Sidonem proditione cepit, vbi cum supplices interfecisset, irati Sidonij, ipsi vrbem incenderunt: ac perijsse ibi quadraginta millia hominum scribitur. Euagoram Cypri Regem, cum fuisset eius socius, interfecit. Quam Ochi crudelitatem, & pœna ipsius, & Regni interitus sequuntur. Interfectus siquidem est Ochus à principe Bagoa, qui cùm Regnum in se transferre non posset, Regem fecit Arsamen Ochi filium. Qui cum annos quatuor regnasset, etiam ab hoc ipso Bagoa interfectus est, metuente filium propter necem paternam. Patre itaq; & filio per Bagoam veneno sublatis, Regnum tranfertur ad principem Armeniæ Darium vltimum Persarum regem, quem itidem homicida Bagoas veneno tollere conatus est. Sed re indicata Darius Bagoam venenum, quod in eo conuiuio Regi daturus erat, bibere coëgit. Ita Bagoas extinctus, tandem scelerum suorum pœnas dedit.

Astya-

ASTYAGES, vt Herodotus autor est libro primo, *Rex Medorum vltimus, vnicam cùm haberet filiam Mendanen, quam Cambysi Persarum principi despondera, cumq; territus somnio, metueret regni amißionem, eiusq; ad Persas translationem, filiam partui vicinam ex Persis accersit, natumq; ex ea infantem tradit Harpago Regis omnium consiliorum participi occidendum. Harpagus infantem bubulco Regis dat exponendum. Forte eodem die pastoris vxor filium peperit, sed mortuum: Fit itaq; infantulorum permutatio, Pastoris filius pro Mendanes filio exponitur, filius Mendanes vt bubulci filius educatur, eiq; inter pastores nomen Cyri imponitur. Sed cum res postea innotuisset, Rex Astyages Harpago amico suo infestus, in vltionem seruati nepotis filium eius interficit, epulandumq; patri ad conuiuium vocato tradidit, qui cùm filÿ sui carnes ignarus depastus esset, hi, quibus negotium datum erat, afferunt caput filÿ cum extremis manuum pedumq; velatum aßistentesq; iubent detegere, ac sumere quod vellet ex eis. Harpagus obtemperans vbi detexit, vidit reliquias filÿ. Non tamen ex spectaculo consternatus, sibi placere, inquit, quicquid Rex ageret. Sed Harpagus dißimulato dolore, odium Regis in vindictæ occasionem distulit. Cyrus enim cùm in Persiam ad parentes ablegatus, ad virilem ætatem adoleuisset, Harpagus clam apud Medorum primores Astyagem in odium vocat, iam antea Tyrannidi eius infestos, Cyro etiam persuadet, vt Persas ad defectionem pelliceret, Medorum transitionem pollicitus. Quæ res cùm & Harpago & Cyro feliciter succederet, Astyages à Cyro victus, regnoq; exutus homicidÿ pœnas expendit.*

ARTABANVS spe adipiscendi regni, Regem *Xerxem, ad quem iure amicitiæ illi semper patebat aditus, inter-*

interfecit. Hinc obstantes voto suo filios Regis, Darium & Artaxerxen, dolo aggreditur. Fingit Regem à Dario, quò maturiùs regno potiretur occisum, impellitq́ Artaxerxen parricidium parricidio vindicare. Sublato Dario, Artabanus in societatem consilij Baccabassum assumit, fraude & vi regnum ad se pertracturus. Is præsenti statu contentus, rem prodit Artaxerxi, vt pater eius occisus sit, vt frater falsa parricidij suspicione oppressus, vt deniq; ipsi pararentur insidiæ. Quibus cognitis, Artaxerxes Artabanum parricidam obtruncat. Trogus libro 3.

ALEXANDER Magnus victo Dario, captisq; *eius matre, vxore, & duabus filiabus, tanta erga eos pietate & continentia vsus est, vt non in castris hostium, sed in castis virginum domicilijs viderentur degere. Quam generosi animi magnitudinem miratus Darius, manibus ad cœlum extensis ita precatus fertur: Dij natales, atq; Regij, id primùm vos precor, quam mihi Persarum fortunam dedistis, eam restitutam ego vt posteris relinquam, vt victor Alexandro rependam, quæ in mei calamitate icti charissimos contulit beneficia. Sin fatale adest tempus, itaq́ visum est Nemesi, & rerum vicissitudini, vt Persicum regnum cesset, vt nemo hominum, præter vnum Alexandrum, in Cyri sedeat solio. Hic Darius, cum & altero prælio ab Alexandro victus esset, in fuga à Bessò Bactrianorum præfecto captus & interfectus est. Quam Bassi erga Regem suum perfidiam Alexander ipse grauiter vltus est. Alligatum enim duabus arboribus inflexis discerpi iussit.*

IN Ciuili bello inter C. Iulium & Pompeium, *quo totius ferè orbis terrarum vires concutiebantur, victus Pompeius in Aegyptum profugit, sibi futurum esse fidum ibi hospitium, & posse nouos ibi exercitus colligi, persuasum*

habens.

habens. Vbi, quia Ptolemæus adolescens regebatur alienis consilijs, deliberârunt Photinus eunuchus, & præceptor adolescentis Regis Theodorus Chius, & Achillas, qui præerat exercitui, an recipiendus esset Pompeius? quia videbant molem belli attrahi in Aegyptum, si reciperetur. Ac re diu disputata, suasit Theodorus, vt interficeretur Pompeius, addens dictum: νέκρος οὐ δάκνει. *& apud Lucanum Photinus inquit: Exeat aula, qui vult esse pius, Nulla fides vnquam miseros elegit amicos. Et Pompeium accusat, qui, cùm Senatus Romanus velit Aegyptum quietam esse, ipse eò bellum transferat.*

Missi sunt igitur ad interficiendum Pompeium Achillas, & Septimius tribunus militum, qui olim fuerat centurio in exercitu Pompeij. Hic Romana lingua primùm alloquitur Pompeium, deinde Græca Achillas, iubent eum ex sua naue, in qua cum coniuge & filijs vehebatur, egredi in regiam nauem cum liberto Philippo. Sed exiens recitat Sophoclis versus:

> Ὅστις γὰρ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται,
> Κείνου 'στὶ δοῦλος κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.

Agnoscit deinde Septimium & alloquitur. Cumque legeret orationem Græcam, qua Ptolemæum allocuturus erat, Septimius à tergo eum gladio transfodere cœpit, deinde labentem fodiunt Achillas & alij. Posteà transfosso & necato præcidit Septimius caput. Hic fuit exitus Pompeij, qui res magnas, & patriæ vtiles ante bellum ciuile gessit, & vsque ad id tempus felix, & valde charus omnibus gentibus fuerat, in hoc extremo actu perfidiosè necatus est, à filio eius Regis, quem ipse in regnum restituerat. Statim autem Deus & interfectores puniuit. Cùm Cæsar mense Octobri venisset in Aegyptum, & ipsi quoque insidias struerent

Achillas

Achilles & Photinus, qui, vt videtur, hanc gloriam auferre voluerunt, quod duos summos Duces Romanos sustulissent, iussit eos interfici. Ptolemaus ipse fugiens obrutus fluctibus in mari periit, cùm Cæsar exercitum Aegyptium ad Alexandriam profligâsset. Theodotum post aliquot annos Brutus, cùm post interfectum Cæsarem Sardos occupasset, cruci affixit. Plutarchus in vita Pompeij & Iulij.

MITHRIDATES Rex Ponti, qui annis quinquaginta *sex bellum cum Romanis varia victoria gessit, post occupatam Asiam, Aquileium & Quintum Oppium in vincula coniectos, crudeli prorsus animo, clam Satrapis primoribusq́ urbium perscripsit, vt trigesimam diem obseruantes, omnes pariter Romanos, qui apud eos essent, & Italos, eorumq́ vxores, cum pueris & liberis, qui Romani sanguinis essent, interficerent, abijcerentq́ insepultos, bona cum Rege diuiderent, supplicio præposito ijs, qui vel sepelijssent, vel aliter occuluissent. Cùm itaq́ destinata cædi dies adesset, per vniuersam Asiam calamitatum multiformes visebantur aspectus, perhibenturq́ ex vnius epistola mandato, octuaginta Romanorum millia per vniuersam Asiam in vno die trucidata esse. Cuius suæ crudelitatis pœnas dedit, cùm à Pharnaace filio, adolescente ingratissimo, bello petitus & obsessus, venenum hausit: quo nihil ad mortem propter sumptum antidotum proficiens, auxilio Galli cuiusdam militis, Vitigis nomine, se interfecit.*

CAIVS Caligula sæuitiam in omnes propinquos *exercuit, Tiberium fratrem veneno interfecit, tres sorores suas constuprauit, Senatores multos occidit, conclusis nonnunquam horreis, populo famem induxit. Optabat sæpe exercituum cædem, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ, vt sua tempora redderentur insigniora. Libidinis*

nis erat inexplebilis, ac luxuriæ portentosæ in mares & fœminas. In crudelem adeò bestiam conspirationes multæ factæ sunt, & tandem vna felicem sortita exitum. Nam triginta vulneribus confectus interijt, anno ætatis vigesimo nono, cùm imperasset triennio & decem mensibus.

TYBERIVS qui Augusto successit, tantæ fuit *sæuitiæ, vt non iniuria Seneca eum lutum sanguine maceratum appellauerit: crudelis fuit in filios, nepotes atq; amicos, tantam paßim tyrannidem in Romanos exercens, vt nulla dies à pœna hominum vacaret. Mortuus est in Campania, veneno Caligulæ insidijs extinctus. Morte eius lætatus est populus, vt pars clamaret, Tyberium in Tyberim proijciendum, pars oraret superos, ne vlla sedes mortuo nec inter impios dicaretur.*

AVLVS Vitellius vitam omnibus probris con*taminatam degens, Imperator ab exercitu salutatus, nobiliores condiscipulos & æquales suos ad imperij societatem pellectos blanditijs, occidit, desæuijt in plebeios, in equestrem ordinem, & in alios quosuis, dictitans se oculos pascere, si quis coram se interficeretur. Helluantem destituerunt milites, octauo Imperij mense, atq; in Vespasiani iurârunt verba. Vitellius victus, & palatio, quo se abdiderat, protractus, vinctis post tergum manibus, iniectoq; ceruicibus laqueo, circumducitur ad spectaculum vulgi seminudus, multis cœno, fimo, & cæteris turpioribus dictu purgamentis vultum eius incessentibus: tandem ad scalas raptus Gemonias, & numerosis ictibus confossus, interijt, & inde vnco tractus est in Tyberim.*

ROMANI Imperatores, qui post Augustum im*perârunt, plærique ob sæuitiam & tyrannidem violenta morte perièrunt, iuxta versus Satyrici Poëtæ:*

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni.

ANTONINVS Bassianus Caracalla, crudelissimus fuit, & incestus. *Initio imperij fratrem Getam natum ex Iulia interficit pendentem de collo matris, & clamantem, Mater, opem fer mihi, interficior. Ac mater non tantùm sanguine filij respersa est, sed etiã vulnus in manu accepit. Hæc tamen postea priuigno Bassiano nupsit. Quare & postea Alexandrini eã Iocastam, & ipsum nominârunt Oedipum. Sed graues huius ioci pœnas dederunt, trucidauit enim in vrbe Alexandria Bassianus multa millia ciuium. Romæ iniustè plurimos Senatores interfecit, & inter hos Papinianum Iurisconsultum, præfectum vrbis, quòd excusare necem Getæ noluit: Cum enim iussus esset eam excusare, recusans respondit: Non tam facile est excusare parricidium quàm facere. Anno imperij septimo, consilio Macrini præfecti Prætorio, à satellite Martiale, cuius fratrem interfecerat, occisus est.*

VARIVS Heliogabalus superauit turpitudine *omnes, qui in Historijs infames sunt propter libidines. Fecit Cæsarem consobrinum Alexandrum, quem postea missis militibus trucidauit. Hoc cum Prætoriani milites resciuissent, qui Alexandri mores probabant, ipsum Heliogabalum in cloaca, in quam fugerat, interfecerunt. Posteà tractum per Circum carnifices in Tyberim abiecerunt. Sacrilegus, & omnis religionis contemptor fuit, virgines Vestales stuprauit, & eò vesaniæ progressus est, vt libras araneorum decies mille colligeret, mures totidem, mustelas mille, sorices mille, dictitans, inde magnitudinem vrbis Romæ cognosci posse.*

Maxi-

MAXIMINVS, cum pastor in Thracia fuisset, *propter robur corporis, cum cursu pedes æquaret currentem Seueri equum, receptus est inter custodes corporis Seueri: Deinde Tribunus factus ad imperij fastigium tandem euectus est. Imperator factus, maximam & in castris & Romæ sæuitiam in primis erga nobiles exercuit, omnes conscios generis sui, ignobilitatis tegendæ causa, interficiens. Quare alij eum Cyclopem, alij Busiridem, alij Anteum propter sæuitiam nominârunt. Cùm itaq; à Senatu hostis iudicatus esset, iratusq; Senatui, Romam exercitum ducturus esset, in via ad Aquileiam retinetur, quæ eum recipere noluerat. Hanc cum obsideret cum filio, & fames in castris esset, milites cognita voluntate Senatus, medio die quiescentes in tentorio, Maximinum patrem, & deinde filium interfecerunt.*

CASSANDER vnus ex successoribus Alexan*dri Magni, occupauit Macedoniam, & tenuit eam annis octodecim, Cumq; Olympias mater Alexandri conaretur regnum paruis filijs Alexandri tradere, vrbem Pydnam, in qua erat Olympias, Cassander obsidione cinxit, tamdiu, donec multi homines fame morerentur & milites hominum cadaueribus pascerentur. Coacta igitur fame Olympias, deditionem fecit, posteà eam Cassander occidi iussit. Deinde & coniuges & filias Alexandri veneno sustulit. Roxanē, quæ peperit Alexandrum, & Barsenen, quæ peperit Herculem. Etsi autem initio Cassander socius fuit Antigoni, tamen cum in Asia Lyciam peteret, Antigonus ei hostis factus est, & vt honesta specie ei bellū inferre posset, accusauit eum apud exercitum, quòd interfecisset Olympiadē, coniuges & filias Alexandri. Expulsi sunt igitur Cassandri exercitus ex Asia, & ipse nō multò post pthiriasi mortu9 est. Hæserunt & in posteri-*

tate maiores pœnæ. Filius Antipater occidit matrem. Alexander alter filius occidit fratrem Antipatrum, & Demetrium filium Antigoni in Macedoniam accersiuit. Hic Demetrius hunc Alexandrum interfecit. Diodorus Siculus. Hæc omnia congruunt ad Regulam: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Hæc tristia exempla in historia Cassandri commonefaciant nos de ira Dei, & hortentur ad timorem & inuocationem Dei.

DESERTVM à Michaële cum Leo Armenius *inuasisset, & consecutus esset, Theophylactum Michaëlis filium, quem pater Imperatorem appellârat, mutilatum ea parte qua vir erat, unà cum matre in exilium egit. Fuit vir acer & industrius, sed crudelis & malus. Ideò à coniuratis in suo conclaui obtruncatus est, cum imperasset annos septem, menses quinq́.*

POMPILIVS Secundus, nonus Polonorum *Rex, scelestæ vxoris acquiescens consilio, morbum simulabat, accersitisq́ proceribus Regni & hæredibus, patruis suis, quorum erant viginti, flebili voce morbi vehementiam exaggerabat, mortemq́ iam iam instantem deplorans, petebat ab ijs, vt se mortuo, fidelem regno operam locarent, filijsq́ duobus, quos relinquat, illud saluum & integrum tradant. Quæ postquam falso sceleratoq́ animo protulit, poculum auratum mortifera potione impletum circumferri iussit, ex quo cum singuli nihil mali suspicantes bibissent, ne coram lecto collapsi extinguerentur, simulauit languore se confectum, somniq́ auidum esse, ideoq́ vt secederent petijt. Qui cùm è Regis conclaui digressi essent, protinus mente capti cecidêre & extincti sunt. Tam nefarium impij Regis parricidium æternus Deus atrociter puniuit. Regem enim conuiuia celebrantem, mero madentem, sertis coronatum,*

vnguen-

vnguentis delibutum, crapula & luxu resolutum, inuadunt mures de corporibus patruorum, quos ipse & vxor eius Regina veneno interfecerant, ingenti magnitudine egreßi, & in conuiuantem tyrannum, consortem eius, & filios eius rabidis morsibus insiliunt, militum caterua nequaquam abigente, quoniam humano suffragio fatigato mures infatigati perseuerabant die noctuq́ꝫ. Extruuntur ardentes foci, & in medio eorum locatus Pompilius, coniunx, & filij. Illuc autem & mures per flammas transeuntes, parricidam rodere non cessabant. Ad aliud tandem elementum ventum est. In nauibus abducitur occisor patruorum Pompilius cum suis in stagni altitudinem, mures tamen incessanter secuti abductos, & naues rodebant, in tantum vt aqua perforatis rimis ingressa, submersionem minaretur: ideò nautæ timentes præfocationem ab aquis, deduxerunt nauem in littus, vnde alia caterua murium occurrens iuncta prioribus acrius infestabat. His visis defensores, diuinam vltionem cognoscentes, omnes fugerunt. Pompilius autem protectoribus nudatus, recepit se in turrim altiorem Crusuicza, vbi mures rapido cursu ascendentes, consumpserunt & deuorauerunt duos filios, vxorem, & facinorosum Pompilium. Ecce, non est potestas aut consilium contra Dominum. Minuta animalia, imbelles mures Pompilium miserabiliter consumpserunt, quemadmodum pediculi, vermes minores muribus, Arnolphum Imperatorem, pulpa, carnibus ac visceribus exesis, medicis nequicquam proficientibus, ad internecionem vsqꝫ perduxerunt, solis cartilaginibus & oßibus relictis. Chronicon Polonorum libro 1. cap. 11.

CVM magna authoritas Romæ duorum Senatorum esset, *Symmachi & Boëtij, qui gener Symmachi fu-*

it, Theodoricus Gotthorum Rex, euocauit eos Ticinum, & diu captiuos tenuit, quia aliquibus eius decretis aduersati fuerant, & bona eorum publicauit, & tandem ipsos interfici iussit. Hanc iniustam crudelitatem hæc pœna secuta est: Non multò post eorum necem, cùm cœnanti propositum fuisset in mensa grande caput piscis, visus est sibi cernere caput Symmachi, horribili rictu, & flammeis oculis minitantis ipsi. Subitò igitur consternatus & tremens iussit se in lectum collocari, & accersito Medico Elpidio, narrauit amicis terribilem illam Symmachi speciem conspectam, & in deploratione sceleris sui, paulò post extinctus est. Platina 3.

CAROCVS Rex Vandalorum, cum magna multitudine *Germaniam peruagatus, assensu Germanorum traiecto Rheno Gallias inuasit, obuia quæq; depopulatus, nec vlli parcens mortalium. Ei mater, detestabilis mulier, tale dedit consilium: Fili mi, si cupis nomen tuum consecrare æternitati, omnia magnifica ædificia ab alijs Regibus & Principibus extructa tu demolire, & quibus illi pepercêre, eos tu interfice. Consilio maleficæ matris filius pessimus acquieuit, passim solo æquat, & in fauillas redigit insignes ciuitates, Moguntiam, VVormatiam, Spiram, Treuerim, nec vlli vel ætati vel sexui parcit. Quam tyrannidem cùm exercuisset anno Christi 410. anno sequenti in Gallia, cum ciuitatem Arelatensem oppugnaret, captus est, vinctusq; magno cum ludibrio & cruciatu, per ciuitates quas destruxerat, ductus est, & crudeliter interfectus.*

PHOCAS ignobilis centurio Thracius, per seditionem *creatus imperator, occiso perfidè & crudeliter Imperatore Mauritio, tenuit imperium annos septem. Qui cum ob tyrannidem in odio esset non solùm populi, sed etiam principum,*

cipum, coniungunt se Priscus, qui Mauritij tempore inter præcipuos Duces fuerat, & tunc Phocæ gener factus erat, & Heraclianus Africæ præses, & Photius, cuius vxorē Phocas rapuerat. Hi societate inita, Thracioq́ exercitu, & Africano simul ad Constantinopolim adducto, prætorianos milites temulentos facilè dißipârunt. Photius occupata Regia, cepit Phocam, & ad Heraclinum filium Heracliani Ducem Africani exercitus abducit. Ibi milites adducto Phocæ brachia & pedes mutilârunt, deinde exectis pudendis, caput quoq; amputârunt. Corpus in bouem æneum, qui Pergamo allatus fuerat, coniectum, atque in cineres redactum est, genere eius reliquo vnà cum illo extincto. Nicephor. libr. 18. cap. 55. 56.

GERHARDVS Holsatiæ Comes, cum secundo *Marte grauiter inter Danos gereret prælia, noctu in ciuitate* Randershaussen / *à Barone quodam prædiuite Nicolao Iacobo perfidè trucidatur, protinusq́; parricida iste fugam arripiens euasit. Manè detecto tanto scelere, ingens luctus in toto exercitu oritur. Inprimis autem filij Comitis, Heinricus, Nicolaus & Iohannes, de vlciscenda paterna cæde solliciti sunt. Qui postquam resciuère sicarium magna manu coacta in arce* Schaldenburgk *delitescere, arcem eam magnis viribus expugnârunt, cæsis fermè Danorum duobus millibus, sicariumq́; in quatuor partes dissectum, rotis quatuor imposuere, digno eum homicidij & perfidiæ pœna afficientes.*

MORTVO Vngarorum Rege Ludouico, anno *1382. Regni habenas suscipit filia eius Maria, cōsilijs matris Elisabethæ potißimùm freta. Pertæsi autem muliebris imperij, Carolum secundum, Regem Neapolitanum, ad Imperium capessendum accersiuit Vngari. Mulieres itaq; cùm victo*

animo

animo imperium resignassent, Vngari vero ex animi leuitate Carolum, quem vltrò necârant, mox auersarentur, Regina mater Carolo Regi nunciat, se habere literas de magnis & occultandis rebus è Germania, rogat simul vt ad se veniat, literarum argumenta cognoscat, & secum consilia conferat, nam agi de maximis rebus totius regni. Carolus nullam subesse fraudem ratus, Reginæ hospitium Italico stipatus satellitio accedit. Eadem hora & Palatinus Garensis solus consiliorum Reginæ conscius, multam secum trahens cohortem intrauit. Regina igitur & Palatino ad Regis latera sedentibus, Italici sponte consilio cedunt. Quibus digreßis, Blasius Forbach, ad quoduis perpetrandum facinus audax, à Regina & Garense subornatus, de improuiso in Regem incautum irruit, eoq; lethaliter vulnerato aufugit. Quibus sic ex sententia mulierum perfectis, Palatinus eiectis Italicis, arces Vngaricas repetit armis. Regina mox Sigismundo, Caroli quarti filio (cui adhuc puero Maria desponsata fuerat) fata regis nunciat, atq; regnum recuperatum. Cumq; iam omnia tuta viderentur, & regina cum suis & regni principibus de arce in arcem, de vrbe in vrbem circumueheretur, rerum in Regno disponendarum gratia: Ecce, summus Caroli amicus, Croatiæ præfectus, Iohannes de Horuath, cum valida equitum manu in Reginam, eiusq; comitatum irruit, trucidatisq; primùm Blasio Forbach & Garense Palatino, deinde & cæteris stipatoribus atq; ministris, Reginas simul & earum puellas curribus extrahunt, multisq; contumeliјs afficiunt. Reginam matrem aquis submersam suffocant. Mariam in vincula coniјciunt. Paulò pòst Sigismundus toto Regno Horuathum persequitur, & tandem in fuga comprehensum, equi pedibus fune annexum, & hinc inde raptatum, deinde ignitis

forcipi-

forcipibus fatigatum, tandem in quatuor partes dissectum, ad quatuor partes ciuitatis suspendit. Hunc ad modum pœnæ pœnis, & contumeliæ contumeliјs vindicatæ fuêre.

DEFVNCTO Ruthenorum rege VVoldimiro, *successit ei in regno filius Borisus, princeps pietatis studiosus, quem frater eius Suadopolcus regno inhians, in cubiculo dormientem, de improuiso in eum irruens, lancea confodit, & vnà armigerum eius Gregorium, mox parricidium parricidio addens, alterum quoq; fratrem Hiobum pari impietate interfecit. Supererat è fratribus Iarossaus, qui indignam fratrum necem vlturus, copias aduersus parricidam educit, cæsoq; eius exercitu, ex quo complures paludibus submersi periêre, eum in fugam compellit, qui difficulter fuga elapsus, Polonorum Regi Craco salutem suam commendat. Sequenti anno denuò vterq; frater hostilibus concurrunt copiјs & animis, & quidem in eo loco, vbi fratrem suum Borisum parricida interfecerat. Certatumq; est pari fortuna, qua priore prælio, cumq; fuga salutem quærens Suadopolcus, in Poloniam rursus tenderet, in ipsa fuga graui morbo oppressus & extinctus est, in deserta ignotaq; regione miserè & ignominiosè sepultus. Chron. Polonor. libro 2. cap. 10.*

CRACVS Polonorum Rex, cùm plenus dierum *fatis concessisset, filios reliquit Cracum & Lechum. Cracus vt qui maior natu esset, patri in Regno succedit, quem Lechus regnandi impulsus libidine, in venatione interficit, totoq; fœdatum & laceratum corpore abјcit, à feris eum discerptum esse dictitans, adeoq; fictis lachrymis fratris sui mortem deplorans. Postquam autem consentientibus suffragiјs regnum ad eum delatum esset, paulò pòst parricidij veritas detecta est, propter quod omnibus inuisus esse cœpit,*

 regnoq;

regnoq́ eiectus, ex mœrore animi breui mortuus est. Ibidem libro 1. cap. 6.

Anno Christi 1231. Ludouicus dux Bauariæ à *Sarraceno quodam subitò in ipsum irruente, in conspectu aulicorum ministrorum confossus est. Sunt qui asserant sicarium à Friderico secundo subornatum fuisse. Quamprimùm autem & sicarius ab aulicis in minutulas partes membratim dissectus est.*

Anno quadragesimo septimo, supra millesimum *quadringentesimum, Iacobus Rex Scotiæ primus eius nominis, perfidè ex machinatione patrui sui Comitis Atholiæ, qui ad regnum aspirabat, plurimis ictus vulneribus interfectus est. Autores mortis à proceribus Regni capti, atrocibusq́ pœnis affecti sunt. Comes Edinburgi damnatus, per vrbem nudus raptatus est, funibus iam in altum eum attrahentibus, iam graui lapsu denuò eum deiicientibus, coronaq́ ferrea candens capiti eius imposita est: Postero deinde die, vnà cum socijs caudis equorum alligatus, & de vico in vicum tractus est. Tertio die Comes tabulæ impositus est, viuentiq́ intestina execta, & combusta sunt, pòst & cor exemptum & in flammas abiectum fuit. Post quæ supplicia caput ei carnifices amputârunt, corpusq́ in quatuor partes dissecuêre. Robertum verò Gramum præcipuum ex percussoribus currui impositum circumduxêre, dextra eius, qua Regem percusserat, alligata patibulo currui annexo, candentibusq́ forcipibus corpus eius pupugêre, & demum in quatuor partes dissecuêre. Alijs verò complicibus alias inflixêre pœnas.*

Parthenivs homicida noctu cum in strato *suo quiesceret, subitò per somnium vocem magnam emittebat, dicens: Heu, heu, succurrite qui adestis, & auxilium fer-*

um ferte pereunti. A quo clamore expergefacti qui aderant, interrogant quid hoc esset? Respondit ille, Ausanius amicus meus cum Papianilla coniuge, quos olim interfeci, ad iudicium me accersebant, dicentes: Veni ad respondendum, quia causaturus es nobiscum coram Domino. Zelo enim ductus ante annos aliquot coniugem innocentem amicumq́ peremerat. Paulò pòst à populo comprehensus, lapidibusq́ obrutus est. Sic diuinitus homicidium detectum & punitum est, iuxta regulam: Qui sanguinem effuderit, eius sanguis rursus effundetur. Gregorius Turonensis, libro 3. capite 36.

Artaxerxes Ochus, octauus Persarum *Rex, tanta fuit immanitate, vt impia cognatorum cæde, & principum strage Regiam funestam redderet. Sororem suam, eandem & socrum viuam capite defodit. Patruum cum centum liberis & nepotibus telis imperauit transfigi. Tandem ipse quoq; interfectus est à principe Bagoa, anno Imperij sexto & vigesimo, & sic crudelitatis & tyrannidis suæ pœnas luit.*

Ingens fuit crudelitas in supplicio scapha*rum, quo Mithridatem Artaxerxes Mnemon affecit, authore Plutarcho. Supplicium id tale fuit. Viuentes homines duabus thecis vel scaphis includebant, è quibus cum capite manus pedesq́ eminebant, adhibitis in hoc statu cibis, eos vitam protrahere cogebant; quæ vt grauior esset, lacte ac melle ipsos pascebant, atq; melle perunctos ora in Sole versabant, vt calore muscarumq́ morsu validius torquerentur. Cùm autem in thecis ipsis ventrem leuarent, & non modò à sordibus illis se purgare, sed ne mouere quidem corpora possent, innascentibus paruo spacio vermibus, viuorum corpora absumebantur. Hoc modò Mithridates, quòd*

gloriaretur, ab se Cyrum in acie dimicantem prostratum esse, septendecim diebus cruciatus, lenta morte absumptus est. Plutarchus in vita Artaxerxis.

Hircano defuncto, principatum Hierosolymis *suscepit Aristobulus, quem cùm in regnum mutare placuisset, diadema sumpsit, ac cæteros fratres ac matrem de principatu contendentem in vincula coniecit. Antigonum autem ætate sibi proximum dilexit, pari honore dignatus. Tandem matrem fame necauit, adiecit & Antigoni cædem calumnijs impulsus. Nam cùm is, ægrotante Aristobulo, victor ab expeditione reuersus, tabernaculorum festo magnificè ornatus cum suis satellitibus in templum ascendisset: id factum calumniatores ita interpretabantur, eum ad festum non more plebeio venisse, sed regio splendore vsum esse, & quia cum tanta militum manu ascenderit, consilia contra Regem agitare. Aristobulus satellitibus suis, in quodam obscuro subterraneo loco constitutis, mandat, vt fratri inermi parcant, armatum occidant. Mittit & ad Antigonum, eumq́; inermem venire iubet. Sed vxor Aristobuli, & qui cum ea contra Antigonum conspirârant, nuncio persuaserunt, vt diceret, fratrem, quod audierit eum noua arma parasse, petere, vt armatus se spectandum ipsi præbeat. At ille nihil mali suspicans, panopliam indutus abit. Et cum ad Stratonis turrim venisset, vbi obscurus ille locus erat, à satellitibus occiditur. Eo ad hunc modum sublato, vindicta statim fraternæ cædis pœnas exegit ab Aristobulo. Nam cum ex intestinis corruptis sanguinem reiecisset, eum minister efferens, in eo loco, vbi Antigonus cæsus erat, cruore adhuc consperso, lapsus effudit, vt cum illo misceretur. Quo Aristobulus, ex eorum qui illud viderunt, clamore cognito, lachrymans præter alia illud quoq́; effatus,*

effatus, impia sua facta vtiq; Deum latere non posse, moritur, cùm vnum regnasset annum. Ioseph. libr. 13. cap. 18. Antiq. Iud.

ARCHELAVM Macedoniæ Tyrannum (sic *enim eum Plato nominat, non Regem) Amasius ipsius Crateuas, qui non minus imperium deperibat, quàm Tyrannus amasium, interfecit amatorem suum, ea spe, quòd credebat, se Tyrannum beatumq; in posterum fore. Atqui cùm vix tres aut quatuor dies imperium tenuisset Amasius, ipse rursus ab alijs per insidias circumuentus & occisus est. Aptissimè sanè quadrat huic Macedonico dramati versus ille:*

Τεύχων ὡς ἑτέρῳ τις ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.

Nam perhibent Archelaum ei despondisse vnam ex filiabus, quam cum alij locâsset, Crateuas indignatione commotus, Archelaum occidit. Archelaus iste natus ex patre Perdicca, & Simicho ancilla Alcetæ, nothus, interfecerat auunculum Alcetam & eius filium Alexandrum, & germanum fratrem Perdiccæ filium. Cuius suæ crudelitatis pœnas luit, ab adolescente nobili, quem per libidinem contumelia affecerat, vt dictum est, interfectus. Extincto Archelao, tribusq; eius filijs, Oreste, Archelao, & Pausania, qui ordine regnum annos octo tenuerunt, redijt regnum ad legitimos hæredes, videlicet ad Amyntam filium Alcetæ, interfecti ab Archelao. Amyntas cùm regnasset annos sex, reliquit filios tres, Alexandrum, Perdiccam, & Philippum. Cumq; patri Amyntæ successisset Alexander natu maximus, interfectus est à Ptolemæo Alorite. Hunc non multò pòst interfecit Perdiccas, quem deinde in prælio cæperunt Illyrici. Sic diuina Nemesis inter Tyrannos se exerit, iuxta Regulam, Qui sanguinem fundit, eius sanguis rursus fundetur.

MANVEL Comnenus cùm imperio præfuisset *annos triginta octo, eo sponte relicto, Alexium filium puerum prorsus Andronici patruelis tutela mandauit. Hic Andronicus statim, vt in imperium ingressus est, amouit omnes, quos impedituros suspicabatur, vt quod animo conceperat de Imperij raptu perficeret, moxq́ omni metu liberatus, vir fraudulenta calliditate, & lupina sæuitia nulli secundus, Alexium quoq́ pupillum, Imperij hæredem, cùm vix annum attigisset decimumquintum, neruo arcu eliso immaniter strangulatum, inclusumq́ arca plumbea demersit in mare. Iugulato Alexio, & suos & Alexij patruelis consanguineos amicosq́ quoscunq́ arripuit vel crudelibus supplicijs tortos enecauit, vel oculis priuauit. Cùm itaq́ duos imperasset annos, cum ob immanem sæuitiam publico flagraret odio, populus, mota aduersus eum seditione, Isaicum Angelum Imperatorem creat. Andronicus ab omnibus destitutus, & è fuga retractus est, mutilatusq́ altera manu & oculo, & scabro Camelo facie ad posticam conuersa, per vrbem circumductus, vulgiq́ tumultu vncis & harpagonibus penè frustillatim concerptus, deinde pedibus suspensus pœnas dedit parricidij, rapta Tyrannidis, & iniustæ sæuitiæ. Odium quo laborauit pater, & crudelitatis ab illo vsurpatæ pœnas expiârunt & filij, Iohannes & Manuel oculis capti, nulla sua culpa, sed propter patris Tyrannidem. Vide Annales Nicetæ, qui hanc historiam prolixè describit.*

CÆSARIVS Borgias, Dux Valentinus, pontificis *Alexandri sexti filius, homo impurissimus, vel ... animo offensus verbo strictum gladium in quemuis torquebat. Scortationi, alea, helluationi addictus, atrocissimis indulgebat sceleribus. Cùm aliquando iactu aleæ centum coronatorum millia perdidisset, id pro nihilo ducens, Germanorum,*

excla-

exclamabat, hæc sunt peccata, pecuniam intelligens ex indulgentiarum venditione corrasam. Germanus quidam iuuenis egregiè ornatus, & facie insignis è Basilea oriundus, ædes concubinæ eius fortè transibat, quem illa præter Romanorum consuetudinem toto pectore per fenestram prominens, capta eius forma aspexit. Quod vbi resciuit nefarius iste latro insontem iuuenem ante ædes concubinæ è vestigio suspendi iussit. Cuius facinoris atrocitas ita Germanorum militum animos irritauit, vt obseruata occasione, nocte quadam impetu in eum facto, luxuriosum hunc latronem, vnà cum socijs suis trucidatum in Tyberim abiecerint.

ANNO supra sesquimillesimum, quadragesimo *septimo, Petrus Aloisius Tyrannus flagitijs & probris cumulatissimus, Pauli tertij filius, Placentiæ domi suæ à coniuratis viris nobilibus scelera eius exosis confoditur. Erat enim erga quosuis sæuitia eius lupina, & impietas nefanda. Factus Placentiæ Dux atq; Parmæ, Hieronymum Palauicinum virum illustrem spoliatum bonis eiecit, vxorem atq; liberos eius in carcerem compegit, & contra ius & æquum multa perpetrans asperitate sua nullum non ordinem offendit. Cosmum Cherium, Episcopum Fanensem per vim stuprauit, vsus opera suorum, qui illum distinerent, quod quidem facinus misero illi sic doluisse ferunt, vt præ mœrore & indignitate rei postea sit extinctus. Neq; desunt qui venenum ei datum ab illo fuisse putant, ne flagitium illud ad Cæsarem deferret. Itaq; sceleribus eius irritati quidam ex nobilitate, conductis aliquot sicarijs in ipsius caput atq; vitam coniurant. Cumq; decimo Septembris lectica deportatus arcem egressus esset, vt vrbis munitionem, quam instituerat, videret, eum in arcem redeuntem, coniurati tanquam officij causa comitantur, arcemq; vnà ingressi,*

conti-

continuò strictis mucronibus illum petunt, & acerbè Tyrannum increpantes in lectica confodiunt, & vnà sacrificum quendam, & stabuli præfectum, & satellites quinq; Germanos trucidant. Corpus deinde Aloisij exanime catena religatum ex muro suspendunt, & agitatum aliquamdiu præcipitant in fossam, quod populus accurrens pedibus atq; pugionibus petit. Tanta erat acerbitas odij. Vide Schleidanum libro 19.

THEMISTO fuit Critonis Oeanthi filia. Hanc *deperibat Phricodemi Tyranni filius Philo. Tyrannus postulauit in matrimonium virginem. Pater contradicebat. Tyrannus filios Critonis abstractos in conspectu patris ac matris feris esurientibus obiecit, virgineq; abrepta nuptias perfecit. Themisto necessitate compulsa dissimulans ensem sub tunica importauit, & sponsum dormientem in thalamo, collum petens, facilè interemit, vt ne vox quidem occisi audiretur. His omnibus per noctem clam patratis, ad mare progressa nauiculam inuenit, ventumq; nacta eam ab terra abstraxit, & sola soluens nauigauit in Græcam quandam Achaiæ ciuitatem, in qua sacrum erat Neptuni templum: In illud supplex confugit. Phricodemus alterum filium, occisi fratrem Heracontem misit, vt ab Elicensibus puellam reposceret. Qui eam tradiderunt. Cum autem soluissent, ingens coorta tempestas nauigium detulit ad Rhium Achaiæ, vbi appellentibus superuenerunt biremes duæ Acarnanorum summas inimicitias cum Tyranno exercentium, qui abreptam nauem deduxerunt in Acarnaniam. Vulgus Acarnanorum, re cognita, victum Heracontem puellæ potestati permiserunt. Tyrannus legationem ad eam pro filio mittit. Illa se, si parentes receperit, filium reddituram recepit. Phricodemus his promissis credens, transmisit*

misit ei parentes. At Acarnani Heracontem nihilominus acerbissimis verberibus confectum occiderunt. Phricodemo post non multos dies sui ciues mortem attulerunt. Qui verò Elicen incolebant, non longè post demersi sunt, tum ipsi, tum eorum ciuitas, facto terræ motu, pelagoq́ procellis exundante. Visumq́ est hoc Dei indignatione accidisse, quod supplicem virginem hostibus tradidissent.

CHILDERICVS qui Theodorico, ob igna-*uiam in claustra collegij Monachorum compulso, in Regno Francorum successit, cum barbarè sæuiret in suos, & quendam illustri loco natum palo religatum fustibus cædi iussisset, adeò omnium animos rei mouit atrocitas, vt is, in quem Childericus animaduerterat, haud parum multos inueniret, qui secum contra salutem tyranni coniurarent. Itaq́ redeuntem à venatione excipiunt insidijs, & simul cum vxore grauida obtruncant. Anno 697. Michaël Ritius libro 1. de Regibus Francorum.*

IVSTINIANVS eius nominis secundus, cum *multam crudelitatem ex nutu & consilio aulicorum Sycophantarum, Theodosij Monachi, & Stephani Sacellarij. in Duces exerceret, Leontius, cum euasisset ex carcere, imperium arripuit, Iustiniano nares præcidit, eumq́ in Chersonesum relegauit. Sycophantas duos aulicos funibus ad pedes alligatos per vrbem traxit, posteà combussit. Rursus Leontium post triennium Tiberius Apsimarus imperio deiectum truncatis naribus in monasterium inclusit. Qui cùm septem annis imperium tenuisset, Iustinianus auxilio Bulgarorum redijt, victorq́ & Leontium & Apsimarum ignominiosè per forum raptatos occidit. In Imperium restitutus Iustinianus, de pristina crudelitate nihil remisit. Cumq́ aduersus Chersonios immaniter admodum sæuiret, minare-*

turq́; se regionem illorum ita vastaturum, vt quibus in locis vrbes fuissent, arua colerentur: Exercitus Philippicum Bardanem Imperatorem fecit, Elia principe adiuuante. Quibus Iustinianus cognitis, Eliæ liberos in sinu matris iugulauit, & ipsam seruo eius Indo coquo copulauit. Quam crudelitatem vltus Philippicus, Iustinianum & filium eius Tiberium abstractos ab ara occidit. Zonaras libro 3.

Ex Theodosij Imperatoris decreto, quod præ*cipitis iracundiæ impetu promulgatum fuerat, magna & miserabili clade Thessalonicenses affecti sunt. Rapuerat Auriga gubernator Ludorum Circensium adolescentem ad stuprum. Hunc Aurigam Præfectus incluserat carceri. Instante autem solenni equestri certamine, populus Thessalonicensis illum, velut ad eam concertationem necessarium, dimitti postulabat. Quod quoniam non impetrabat, in grauem seditionem efferbuit, ac tandem Præfectum ipsum interfecit. Qua re nunciata, Imperator præter modum excanduit, & certum eorum numerum, qui adfuerant, interfici præcepit, ex quo ciuitas multis iniustis cædibus impleta fuit, cæsis hominum septem millibus. Siquidem peregrini, qui modò vel adnauigârant, vel de via aduenerant, ex improuiso apprehendebantur, fiebantq́; miserabiles clades, in quibus & hæc quoq́;: Mercator pro filijs duobus captis seipsum offerens, orabat vt filijs seruatis, ipse interficeretur, & in eius facti mercedem, auri quicquid habebat, militibus pollicebatur. Illi calamitatem hominis miserati, pro vno ex filijs, quemcunq́; vellet, supplicationem admittunt, duos enim dimittere tutum sibi non esse dicunt, ob id quod numerus deficeret. Pater itaq́; vtrumq́; lamentabundus ac plorans intuitus, neutrius electionem facere sustinuit, sed in continua hæsitatione, donec interficerentur ambo, suspensus*

spensus mansit, æquali vtriusque amore victus. Quin etiam frugi quendam seruum pro domino suo, qui ad lanienam raptabatur, alacriter tunc oppetiisse mortem ferunt.

HAC inter Thessalonicenses perpetrata cæde, Imperator *cùm Mediolani templum ingressurus esset, occurrit ei Ambrosius eius ciuitatis Episcopus, & apprehensa illius purpura, in præsentia populi, Siste gradum, inquit; homini enim propter peccata prophano, & manus innoxio sanguine commaculatas habenti, fas non est, antequam pœnitentiam egerit, vel sacrum ingredi solium, vel ad diuinorum mysteriorum communionem admitti. Imperator libertatem Sacerdotis admiratus, cogitationibus conscientiam accusantibus, regressus est, pœnitentia compunctus, lamentisque ostendens pœnitentiam, octo mensibus ab Ecclesiæ mysteriis abstinuit, peccatum suum in Palatio deplorans. Cum autem instaret festus dies mense Decembri, quo publicè celebratur recordatio natiuitatis Christi, accessit ad templum, & reuerenter petiuit absolutionem, quam etiam ei Ambrosius pronunciauit. Addit autem commonefactionem, vt ferret legem: vt post rescripta Imperatoris differantur supplicia capitalia dies triginta, ne rei iniusta ira rebus non satis inquisitis interficerentur. Theodoretus libro 5. cap. 17. Sozomenus libro 7. cap. 24.*

CALO Iohannes Comnenus, Imperator Con*stantinopolitanus, cùm occupaturus Antiochiam, quam à Raimundo Principe Antiocheno emerat, ab Episcopo Gabulensi prohiberetur, iratus Syriam depopulatus, & suburbana Antiochiæ militibus populanda & auferenda omnia quæ manibus corripi possunt, concessit. Cuius iracundiæ qua Antiochiam violârat, eum statim pœnas expendisse perhibent. Nam in reditu, vbi Cilicum fines attigisset, memora-*

M 2 bili

bili exitu vitam finijt, manu ad digitum minimum venenatæ sagittæ illapsu strictim læsa, quam vnà cum alijs aper ab eo sauciatus subito insultu pharetra excusserat, ex læsa parte veneno celeriter in omnes corporis partes discurrente. Nicetas in Annalib.

SVB Traiano crudelissimæ Iudæorum seditiones *Cyrenen, Cyprum, & Aegyptum infestârunt, vbi quadraginta hominum millia tanta immanitate trucidârunt Iudæi, vt carnes interfectorum comederint, & cruore eorum facies suas pinxerint. Quæ seditiones mortuo Traiano Adrianum exceperunt. Dux seditiosorum tribuit sibi titulum Messiæ: Et vt alluderet aa vaticinium, Orietur stella ex Iacob, nominatus est Bencochab, id est, filius stellæ. Hic annos aliquot in ipsa Iudæa tenuit quinquaginta castella, & nongentos & octoginta vicos, & munijt oppidum Bethoron, multumq́ ex arce ea tum Romanis tum vicinis gentibus incommodauit, donec ab Adriano post obsidionem trium annorum & sex mensium, oppido vi capto, dux seditionis interfectus est, quem nominârunt postea Iudæi Bencozba, id est, filium mendacij. Numerus interfectorum scribitur fuisse quinquies centena millia hominum. Alij qui pestilentia & fame periêrunt, non potuerunt numerari. Euseb. lib. 4. cap. 7.*

CATILINA, seditiosorum apud Romanos *princeps, Senatum confodere, consules trucidare, extinguere incendijs vrbem, diripere ærarium, totam deniq́ Rempublicam funditus tollere aggressus est. Verum proditis eius consilijs per Fuluiam vilissimum scortum, sed parricidij innocens, socij coniurationis in carcere strangulantur. Ipse Catilina infestis ab Hetruria signis patriam petens, obuio Antonij exercitu, opprimitur. Quàm atrociter dimicatum*

tum

tum sit, exitus docuit. Nemo hostium bello superfuit, quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina longè à suis inter hostium cadauera repertus est, pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset.

GALBA cum omnes auaritia, sæuitia, segnitiaq́ offenderet, *vnà cum Pisone, quem in filium atq; in regnum adoptârat, septimo mense Imperij sui ab Otthone iugulatus est. Ottho à Vitellianis victus, mense tertio imperij sui seipsum interfecit. Vitellius victor Romam venit, vbi cum multa crudeliter ac nequiter ageret, Vespasiani (quem ab exercitu in Syria Imperatorem creatum esse audierat) fratrem Sabinum, nihil mali tum suspicantem, cum cæteris Flauianis in Capitolium compulit, succensoq́ templo, & mixta simul flamma ruinaq́ omnes in vnum pariter interitum ac tumulum dedit. Post deficiente in Vespasiani nomen exercitu suo destitutus, appropinquantibus iam hostibus trepidus, cùm se in quandam proximam palatio cellulam contrusisset, turpissimè inde protractus, cum per viam sacram nudus duceretur, passim cunctis fimum in os eius coniectantibus, in forum deductus, octauo quàm regnum præsumpserat mense, apud Gemonias scalas minutissimorum ictuum crebris punctionibus excarnificatus, atq; inde vnco tractus, & in Tyberim mersus, etiam communi caruit sepultura.*

ANNO millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo *sexto, Austriaci quidam milites inita conspiratione, qua firmissimam sibi inuicem fidem pollicebantur, rapinis & latrocinijs multis passim magnam inferebant cladem, occupatisq́ oppidis aliquot, omnium se hominum profitebantur hostes. Hæc ipsorum conspiratio decem annis durauit. Oppressi virtute Imperatoris Friderici, serò delictorum suorum*

rum petebant veniam: Partim enim in acie trucidati sunt, partim in flumina præcipitati, partim etiam laqueo necati. Vocârunt latronum istorum exercitum Nigrum, cuius partem multò maximam Albertus frater Imperatoris antea sustulerat.

ANNO supra sesquimillesimum vicesimo quinto, *magnam Europæ partem horrenda seditio peruagata est, paßim in pagis, oppidis, & ciuitatibus plebe & ciuibus aduersus Magistratum ciuilem & Ecclesiasticum insurgentibus. In quibus tumultibus multæ arces munitißimæ, monasteria complura, pagi, oppida, castella diruta, & in fauillas redacta sunt. Paßim videre erat sacri ordinis homines miserè iugulari, viros nobiles per fenestras ex ædibus præcipitari, alios laqueo strangulari, aut alio quouis modo crudeliter interfici. Hæc seditio immanis admodum, aliquamdiu ex permissu Dei Magistratui in officio suo minus strenuo interminantis, sæuijt, donec tandem mutata fortuna, agminatim hinc inde trucidarentur Rustici, comburerentur, vel ad prunas asserentur, alijsq́ innumeris suppliciorum generibus è medio tollerentur. Nec dubium est, vel centum Rusticorum millia per Germaniam in isto tumultu paßim interijsse.*

OTTHO III. Vxorem habuit Mariam de Aragonia, *fœminam impudicam & sterilem, virorum appetentißimam, quæ secum muliebri habitu circumduxit iuuenem, quo cum congrediebatur quotidie, quandoquidem eo pro cubicularia vtebatur. Quod cùm innotuisset Imperatori, iuuenis multis præsentibus vestibus est spoliatus, inuentusq́ pro fœmina masculus, viuus deinde combustus est. Sed & Imperatrix cùm sæpius viros peteret, quàm peteretur, amatore suo extincto, cùm ab Imperatore veniam meruisset, in Italia cir-*

lia circa Mutinam Comitem quendam elegantis formæ, & virum optimum cæpit deperire, multisq́ blanditijs conata est eum in sui amorem pellicere: Cui cum assentiri nollet, falsis delationibus ab ea est apud Imperatorem accusatus, & pœna capitis damnatus. Vxor verò Comitis conscia sibi innocentiæ mariti sui, caput eius abscissum deosculatur, & secum ablatum diligenter recondit. Deinde ad Imperatorem in tribunali sedentem properans, magno clamore & eiulatu petit causam suam rectè cognosci, & legum authoritate defendi. Sciscitanti itaque Imperatori à quónam læsa esset? Tu, inquit, ô Imperator, iste es, à quo sum læsa, simulq́ in medium proijciens mariti sui caput, hunc maritum meum, exclamat, contra ius & fas capite multâsti, & statim candens ferrum illæsis manibus apprehendens, mariti sui innocentiam cum stupore omnium, qui aderant, comprobauit. Ibi Imperator, detecta rei veritate, grauiter commotus, viduam multis muneribus, & quatuor castris donauit: suam verò vxorem flammis addixit. Munst. in sua Cosmographia, libro 3.

GENVA à Caroli quinti Cæsaris militibus capta, *omnia plena erant fœminarum eiulatu & horribili strepitu militum effringentium fores, & domos opulentas truculento impetu, immaniq́ auaritia diripientium, & erant qui omissa præda, in oblatas fœminas sæua libidine grassarentur. Sed Alphonsus Daualus Piscarius peditum Dux in equum sublatus, fœminarum pudorem atroci, sed præclaro admodum facto peregregiè defendit. Quum enim vir Genuensis aspectu nobilis ab ipso transeunte tanquam à milite insigni auxilium postularet, quòd vxori à duobus Hispanis inter lachrymas vis inferretur, extemplo ad eum solus*

ingres-

ingressus, alterum paßis crinibus matronam attrectantem gladio transfixit, alteri verò per scalas euadere conanti immani ictu tempora discidit. His interfectis, & in publicum è fenestra præcipitatis, & Præcone circumemisso, nemo domum vllam ingenuam violauit. Iouius libro 3.

TREBONIVS adolescens, cùm à Caio Lucio *Marij Consulis & copiarum Imperatoris propinquo ad stuprum sollicitaretur, & iam non procul abesset, quia pollicitationibus nullis flecti poterat, vt vim pateretur, auctorem iniuriæ ferro obtruncauit. Cognouit causam C. Marius, ac manifestæ cædis reum non modò non aliquo affecit supplicio, sed pro concione laudatum corona donauit.*

TROIANI Regni deuastatio ex adulterio promanauit. *Paris, filius Priami, Menelai Spartani Regis (à quo hospitio exceptus fuerat) vxorem Helenam rapuerat. Quam iniuriam vindicaturi Græci principes, maximis copijs Phrygiam occupârunt, & decimo tandem anno post grauißimas vtrinque acceptas clades Troiam expugnatam funditùs euertêrunt. Ferunt durante isto bello, ex Græcis octingenta & octuaginta millia perijsse, ex Troianis sexcenta octuaginta sex millia.*

TROIANO bello Thebanum antiquius, plenum *horribilium exemplorum, ex prohibito & incesto concubitu ortum est. Laius immemor Oraculi, quod vetuerat ne cum vxore Iocasta concumberet, ebrius cum ea rem habuit, vnde natus est Oedipus, qui mirabili fortuna seruatus, cùm adoleuisset, patrem ignarus interfecit, matremque vxorem duxit, & tandem terræ hiatu absorptus est. Filij ex incesto concubitu nati, de regno dimicantes, mutuis vulneribus interfecti sunt. Mater autem iacens inter filios vulneratos sibi ipsi mortem consciscit.*

Leuctri-

LEVCTRICA Lacedæmoniorum calamitas *impiæ libidinis pœna fuit. Nam aliquanto ante pugnam Leuctricam, qua Lacedæmoniorum vires attritæ fuerunt, duo ex Spartana nobilitate, hoſpitaliter excepti in Leuctris à Scedaſo, poſtea redeuntes abſente patre, filias eius duas vi ſtupratas interfecerunt, membratimq́ diſſectas in puteum abiecêre. Pater deinde Spartam profectus, ac petens ſceleris autores puniri, deriſus eſt. Quare dira precatus Lacedæmoniis, ſeipſum ad ſepulchrum filiarum occidit. Deus itaq́ in eo ipſo loco, qui ſceleris veſtigium fuerat, Lacedæmonios puniuit, ſic & de magnitudine perpetrati ſceleris, & de iudicio diuino homines commonefaciens. Vide Plutarchum in vita Pelopidæ.*

TIBERIO regnante, Romæ Paulina quædam, *& generis ſplendore, & morum integritate præſtans, & opibus abundans, & vultu venuſto, & ætate integra, & modeſtia ornata, nupta erat Saturnino, viro nullo bonorum genera ipſa inferiori. Huius amore captus Decius Mundus, inter equites dignitate præſtans, mulieris pudicitiam muneribus ſolicitabat, CC. millia drachmarum Atticarum pro vno concubitu pollicens, eaq́ recuſante, amore magis inflammabatur, adeò vt abſtinentia ciborum necem ſibi conſciſcere inſtitueret. Habebat autem paternam libertam nomine Iden, omnis generis malorum peritam. Ea adoleſcentem ſic affectum verbis confirmat, & pollicitationibus refocillat, ac ſibi duntaxat quinquagies mille drachmis opus eſſe dicit ad rem conficiendam: quibus acceptis, cum illam pecunia non expugnari poſſe cerneret, ſed cultui Iſidis (ea tum à Romanis pro Diua colebatur) eſſe deditiſſimam: quoſdam falſæ illius Deæ Sacerdotes conuenit, pecuniam offert, vt Paulinam quibus poſſint dolis circumuentam Mundo*

sui copiam facere cogant. Illi pecunia deliniti, facinus aggrediuntur, eorum natu maximus Paulinam seorsum conuenit, se ab Anubide ipsius amore captum missum esse profitetur, vt eam accerseret. Mulieri ea verba optatissima acciderunt, si à Deo amaretur, & nuncium illud cum marito communicat, qui gnarus modestiæ coniugis, eam ad locum à Sacerdote monstratum, vt Abnubidis libidini seruiret, abire sinit. Cum in lucum venisset sub somni tempus, mulieri in ipsa æde lectus paratus, lucernæ extinguuntur. Mundus iam antea ibi abditus, per totam noctem sub Abnubidis nomine, libidine sua expleta, discedit. Illa reuersa Abnubidis apparitionem marito narrat, apud familiares de congressu Dei gloriatur. Sed tertio post id facinus die, Mundus ei obuiam factus, Paulina, inquit, & ducenta millia habeo, & tu mihi gratis gessisti morem. E quibus verbis mulier intellecto facinore, vestibus laceratis marito insidias indicat. Is apud Cæsarem conqueritur. Imperator facinore comperto, Sacerdotes & Iden in crucem tollit, Isidis simulachrum in Tyberim demergit, Mundum in exilium agit, pœnam grauiorem, ob amoris vim, clementia moderatus. Ioseph. libro 18. cap. 7. Antiquit.

BRYAS Dux græcus alienam sponsam, cum iam *in domum Sponsi sui duceretur, per vim ex insolentia barbarica rapuit, statimq; nocte ista cum ea concubuit. Illa vero dormienti oculos effodit, vimq; & iniuriam sibi illatam ciuibus conquesta est, Qui rei indignitate moti, Ducem istum, quamuis militum & numero & robore fretum eiecerunt. Pausanias libro 2.*

RODERICVS Gothorum Rex in Hispania, *Comitis cuiusdam Iuliani filiam per vim stuprârat. Qua iniuria motus pater, aduersus eum ingentes Saracenorum &*

Mauro-

Maurorum copias in Hispaniam attraxit, à quibus Rodericus cum filio interfectus est, regnoq; Gothorum finis in Hispania impositus. Feruntur cæsa ex vtraq; parte septies centena millia virorum. Ita ruina & mutatio regni Gothici extitit à libidinis pœna, Anno Christi septingentesimo decimo quarto. Iohannes Magnus.

IOHANNES eius nominis XIII. Romanus *Pontifex in adulterio deprehensus, ab adulteræ marito confossus est, anno 964. Platina.*

SVB Carolo Siciliæ Rege, Galli effrænata quadam *libidine, paßim in Siculorum vxores ferebantur. Qua iniuria irritati Siculi, inita conspiratione, authore Iohanne Prochyto, qui à Petro Rege Aragonum ad hoc paratus erat, certo constituto die, ad campanæ pulsum, per omnes totius regni ciuitates, omnes Gallos in quoscunq; inciderent, crudelißimè vno vespere trucidabant, & excusso eorum imperio, Siciliæ regnum hæreditario iure Constantiæ vxori Imperatoris Friderici deberi profitebantur. Anno Christi 1282.*

RODOALDVS octauus Longobardorum Rex, *in adulterio deprehensus, à marito adulteræ interfectus est. Anno Domini 659. Paulus Diaconus.*

TIMOCLEA matrona nobilissima, cùm The*bis ab Alexandro captis, domo excisa, direptisq; penatibus, violentum etiam stuprum passa esset, à Duce quodam Thracum, qui in Macedonum exercitu erat, rem commenta est non vulgaris exempli, ad iniuriam vlciscendam, testata se locum scire, vbi multum esset auri defossum. Credidit Barbarus, perductusq; ab ea est ad profundißimum puteum qui in remotiore fuit parte domus. Hic cùm Thrax explorabundus prono in lapsum statu, puteo immineret, vt quid*

in eo fundo esset melius prospiceret, à Timoclea, quæ à tergo stabat, repente impulsus, præceps ad ima corruit, saxisq; supernè iniectis hostem exanimauit. Rapitur illa confestim in iudicium, & ad Regis conspectum destituta, & quænam esset fœmina iussa dicere, Fuisse se, intrepide respondit Theaginis sororem, qui aduersus Macedones ad Charoneam Thebanam instruxit aciem, oppetijtq; mortem pro libertate Græciæ. Mulieris constantiam miratus Alexander, præclarumq; facinus, liberam cum tota domo esse iussit. Plutarchus in vita Alexandri.

DARIVS missis Legatis ad Amyntam Regem Macedonicum, terram & aquam sibi tradi petijt. Amyntas, metuens potentiam Persicam, placidè respondet, & Persas in conuiuium vocat. Hic Barbari superbè petiêrunt etiam nobiles mulieres adduci, & inter conuiuas collocari, qui ebrij iam & basia dabant honestis mulieribus, & attrectabant sinus. Hæc cùm iustè ægrè ferrent pater Amyntas, & filius Alexander, filius patrem hortatur, vt ex conuiuio discedat, dormiturus. Qui cùm abijsset, simulabat hilaritatem Alexander, ac aliquanto pòst hortatur, vt concedant mulieribus vt aliquantisper surgant, & ait moxredituras esse. Quibus dimissis, iubet adolescentes nobiles totidem earum induere vestes, & gladios sumere abditos sub vestibus, & cum Persæ eos attrectarent, ipsos confodere. Hæc ita facta sunt, & lasciuiæ ac petulantiæ pœnas Legati iustas dedêre. Herodotus & Iustinus.

PELOPIDARVM domus horribilium exemplorum, & tristissimarum pœnarum ex libidinum confusione promanantium longam nobis exhibet seriem. Thyestes cum vxore fratris sui Atrei adulterium committit, propter quod Atreus in odium Thyestis vehementer exarsit, nec contentus

tentus quòd occupato Regno fratrem egisset in exilium, sed volens in eum crudeliùs desæuire, fingit se velle ei reconciliari, & ab eo filijs in obsides acceptis, partitus cum eo Regnum est, quem postea vocauit ad conuiuium, & interfectis filijs obsidibus, dedit eos patri vescendos, & eorum cruorem vino commiscuit, quod dedit ei bibere. Thyestes deinde, ne vllus flagitiorum modus esset, Satanico motus Oraculo, ex filia sua Pelopeia genuit Aegysthum, qui Atreum interfecit, & deinde Agamemnonis (qui filius erat Atrei) vxore Clytemnestra stuprata, ipsum quoq; Agamemnonem ex Troiano bello reducem, consilio Clytemnestra occidit. Vide Seneca Thyestem & Agamemnonem.

HIPPOMENES Atheniensium Princeps, filiam *Lymonem in adulterio deprehensam, vnà cum equo feroci conclusit, nec huic nec illi cibum præbens. Equus igitur fame in rabiem actus puellam deuorauit.*

PHAON cum esset hominum pulcherrimus, à *Mitylenæorum mulieribus ardenter appetebatur, vnde factum, vt in adulterio deprehensus iugularetur. Cælius.*

TIGELLINVM Præfectum vigilum & prætorij, *inter stupra concubinarum & oscula, sectis nouacula faucibus, inhonestam clausisse vitam, Cornelius Tacitus scribit.*

IOHANNES Malatesta, vxorem nomine Franciscam, *in complexu Pauli, Malatesta fratris sui deprehensam gladio transfixit vnà cum adultero. Rauisius.*

LVDOVICVS quoq; Normanniæ Seneschalus, *Carlotam vxorem cum Iohanne Lauerno eius adultero in concubitu deprehensam occidit. Idem ibidem.*

RVDOLPHVS quoq; Gonzaga, cum vxorem *adulterij compertam haberet, eam vnà cum adultero in*

concubitu deprehensam occidit.

ARVNTIVS in ebrietatem lapsus, filiam Medulinam *corrupit, Quod agrè ferens puella, patrem ipsum interfecit. Idem Cyanippo contigit, qui item ebrietate effascinatus, Cyanen filiam stuprauit, à qua postea interfectus est. Cum enim graui peste Syracusani laborarent, Oraculaq́ue respondissent, De scelerato sacrificandum esse, cùm nemo intelligeret ad quem ea res pertineret, Cyane parentem capillis apprehensum ad aram traxit, illicq́ue manu sua eum pro victima mactauit, atque super occisi corpus se quoque interemit. Plutarch. in parall.*

VALERIA Thusculana Valerio patri, quem *deperibat, fraude ancillæ concubuit. Quod vbi resciuit Valerius intulit sibi mortem. Idem Author.*

SECVNDVS Philosophus, cum matri nescienti *esse filium se commiscuisset, & illa facto cognito, sceleris horrore intulisset sibi mortem, ipse quoque cum incestus pœnitentia, tum dolore maternæ mortis æternùm tacuit, vt vlcisceretur vocem, quæ in concubitu matri innotuerat.*

NAVSIMENIS viri Atheniensis vxor, cum filij *ac filiæ suæ stupro interuenisset, inopinati monstri perculsa conspectu, & in præsens tempus ad indignandum, & in posterum ad loquendum obmutuit. Illi verò nefarium concubitum voluntaria morte pensârunt. Valerius.*

ORCHANVS Leucothoam filiam ab Apolline *stupratam, viuam defodit. Progne, Pandionis Athenarum Regis filia, Ityn filium marito suo Tereo Thracum Regi apposuit comedendum, quòd stuprum intulisset Philomelæ Prognes sorori. Perimele puella, vim & stuprum ab Acheloo passa, ab Hippodamante detestante facinus præcipitata est.*

De

De adulterij pœna apud Saxones hæc Bonifacius *scribit in Epistola ad Ethibaldum Regem, teste Gulielmo Malmesburiense libro 1. cap. 64. de Anglis. Pagani verum Deum, inquit, ignorantes, naturaliter quæ legis sunt, & quod ab initio Deus constituit, custodiunt: quia proprijs vxoribus matrimonij fœdera seruantes, fornicatores & adulteros puniunt. Nam in antiqua Saxonia, si virgo paternam domum adulterio maculauerit, vel si mulier maritata adulterium perpetrauerit, aliquando cogunt eam propria manu per laqueum suspensam, vitam finire, & super bustum illius incensæ & concrematæ corruptorem eius suspendunt. Aliquando congregato cœtu fœmineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaq; ducunt, virgis cædentes, & vestimenta eius abscindentes iuxta cingulum, & cultellis totum corpus eius secantes, & pugnantes minutis vulneribus, cruentatam & laceratam de villa ad villam mittunt, & occurrunt semper nouæ flagellatrices, Zelo pudicitiæ adductæ, vsq; quò eam aut mortuam aut vix viuam derelinquant, vt cæteræ timorem adulterandi & luxuriandi habeant.*

Olim moris fuit apud Anglos, vt virgo in fornicatione *deprehensa, de rupe præcipitaretur. Virginis verò corruptor, decollaretur. Balæus de Scriptoribus Britanniæ.*

Andreas Rex Vngariæ, suscepta cum alijs *Principibus & Regibus expeditione in Syriam, ad recuperandam terram sanctam, regni sui curam & administrationem commisit viro strenuo, magnaq; prudentia & fide conspicuo Banebanno, eiq; vt & Reginæ & liberorum sedulò curam ageret præcepit. Quod ille munus sibi commissum magno animo suscepit, eiq; qua potuit fide & diligentia præfuit. Verùm plaudentis fortunæ successibus diu vti non*

non potuit. Frater ſiquidem Reginæ Gertrudis è Germania in Vngariam profectus, apud ſororem Reginam, vt eam ob mariti abſentiam mœrentem conſolaretur, diutius hæſit. Cumq́ Præfecti Regij vxorem, ob ſingularem qua prædita erat virtutem, aſsiduè ſibi adeſſe vellet Regina, deperire eam cœpit egregia eius forma captus Reginæ frater, tantosq́ amoris æſtus perſenſit, vt eos reſtinguere nulla vi vel arte poſſet, adeoq́ morbum ſibi ex affectus vehementia ingruere animaduerteret. Regina fratris ſui morbum vbi cognouit, ei quouis modo ſuccurrendum eſſe putauit, ſed viam certiorem nullam eſſe exiſtimauit, quàm vt Iuuenis voti ſui compos redderetur. Itaq; ſæpius eum præſente matrona illa ad ſe vocauit, cauſam illis colloquendi vndiquaque deſumptam præbuit, compoſitò etiam ſæpe ſeceſsit, vt ijs ſine teſte & arbitrio colloqui liceret. Verùm vbi ad omnes illecebras & inſidias generoſum honeſtiſsimæ matronæ animum inuictum eſſe animaduertit Regius iuuenis, tandem conceptis animo furijs, in remotiore conclaui, in quod aſtu Reginæ deducti fuerant, vim corpori eius intulit. Quam illatam ſibi iniuriam matrona animo ferens iniquiſsimo, vt primum domum reuerſa eſt, grauiſsimis querelis marito ſuo expoſuit. Nam cum eam pro more maritus amplecti vellet, illa amplexum eius fugiens, Quid, inquit, mulierem me & infelicem & execrabilem amplecti ſuſtines? Non enim pudicam coniugem aſpicis, ſed turpe proſtibulum. Pollutum habes thorum iugalem, Hunc nempe fructum habemus Regiæ amicitiæ. Reginæ me meumq́ honorem credidiſti, ſed nefaria fraude fratri ſuo me ſtuprandam tradidit.

His eius verbis licet ſæuiſsimam conciperet iracundiam vir generoſus, diſsimulato tamen dolore, quibus potuit verbis mœſtam coniugem conſolatus eſt. Cumq́ illa

corpus morti vltrò offerret, maritus eam amplexus, per fidem amoremq́; coniugalem obtestatus est, ne quid grauius in seipsam decerneret, iniuriamq́; inuitæ sibi illatam tegeret, se captaturum occasionem, quî exemplum satis horrendum in authorem huius flagitij statuat. Quibus alijsq́; pluribus verbis, cum aliquo modo animum turbatæ coniugis sedasset, furorem tacitè conceptum non diu frenare potuit. Nam paulò post assumptis aliquot comitibus in Regiam progressus Reginam, cum asperis prius verbis iniuriam coniugi suæ illatam ei exprobrasset, stricto gladio confodit. Quem stillantem sanguine manu tenens, grauibus verbis testatus est, se animo prædeliberato, iustaq́; de causa hac in Reginam vsum esse atrocitate, quippe quæ suæ coniugis pudicitiam nefariè polluerit. Cumq́; seditiosis animis plebs tumultuaretur, coram omnibus est professus, se nullam sui facti postulare veniam, sed postridie, assumptis aliquot ex procerum numero, ad Regem ipsum proficisci, eiusq́; iudicio causam suam subijcere velle. Nec mora adiunctis aliquot sibi comitibus Regem secutus est, quem Constantinopoli morantem inuenit, in cuius conspectum vbi prodijt, impauidus his verbis allocutus esse fertur: Tua fretus iusticia, Rex clementissime, huc in conspectum tuum prodeo, & licet multi me vt homicidam & latronem execrentur, attamen haud quaquam moliri fugam, aut tuum subterfugere iudicium volui, sed meipsum coràm tibi sisto, æquissimi, sanctissimiq́; tribunalis iusticiam quærens, te accedo vt meum Dominum, competentemq́; Iudicem, vt si quid deliquerim, protinus te iudice pœnam subeam. Reginam vxorem tuam, cui thesaurum preciosissimam vxorem meam vt ministram credideram, sed eam Regina fratri suo stuprandam obtulit, hoc gladio occidi. Mori siquidem præstabat, quam talem ferre

iniuriam & contumeliam. En hic, Iudex iustißime, gladius est tuæ coniugis sanguine pollutus. Quod si facinus tolerandum commisi, eodem è vestigio me rursus interficito. Sin autem agnoscis nihil à me aduersum iusticiæ commissum esse, tu me vt iustus iudex tua sententia absoluito. Quæ tua iusticia apud omnes gentes erit memorabilis, eaq́ fretus coram tua maiestate hic appareo, meamq́ ipsemet causam in medium profero.

Hæc Præfecti sui verba magno constantiq́ animo Rex audiens, nec vultum quidem aut oculos immutauit, & animo nihil perturbato, Tua, inquit, Banebanne, fiducia, qua iusto meo iudicio te tuamq́ salutem committis, nequaquam te fallet. Quare in Regnum meum reuertere, & munus à me tibi commissum sedulò administra. Vbi domum & ego reuersus fuero, causa penitus cognita, sententiam feram. Quibus dictis præfectum in Vngariam remisit, ipse expeditioni Asiaticæ intentus.

Reuersus deinde in Regnum, & à primatibus Vngariæ, omnibusq́ ciuibus gratulabundis exceptus, licet coniugis suæ interitu grauiter turbaretur: à constantia tamen animum nequaquam dimoueri passus est. Banebanno enim statim diem dixit, cognitoq́ coniugis scelere, sententiam tulit: Iustè sibi videri vxorem interfectam esse, Præfectumq́ ab omni pœna liberum pronunciauit. Bonfinius.

ECKEMBALDVS Brabantus, vir nobilitate *insignis ac præpotens in Germania, cùm graui valetudine laboraret, & à cubiculo strepitum exaudiuisset, quo resonare ædes videbantur, eius rei petijt causam, & cùm tandem accepisset, sororis suæ filium, vim cuidam mulierum domesticarum voluisse inferre, vehementer indignatus, ministris imperauit, vt nepotem suspenderent, quod cum Mi-*

nistri agere distulissent, dissimulauit dolorem, quoad iuuenis arbitratus auunculum rei immemorem factum, cubiculo cœpit obuersari. Itaque conspectum in cubiculum ad se vocauit, lætumque se simulans, assidere sibi iuuenem coëgit, & altero brachio eum complexus, altero gladium, quem habebat, clam eduxit, ac in iugulum eius infixit. Fulgosus libro 6. cap. 1.

TISO de campo sancti Petri, cùm matrem Co*nizam in adulterio cum Aymo Burgundione deprehendisset, hortante matris fratre Marsilio Carrariense, ambos occidit. Ibidem.*

COMES quidam in venatione rusticam puellam *vi compresserat. Pater Carolo Burgundo Duci facinus indicat, neque tamen authorem nominare potest. Dux mane suos omnes eodem quo pridie habitu indutos adesse iubet. Parent illi, puella ex vestitu & equo corruptorem agnoscit. Dux seueris obiurgatum verbis, rusticam splendidè vestitam in vxorem ducere cogit. Mox in ius raptum, ob vim ingenuæ illatam, capitali supplicio afficit, patrimonio Comitis in alimenta quoad viueret puellæ concesso. Seueritatem tantam non obscurè plærique aulicorum reprehendebant quòd matrimonij disparitas per se satis supplicij videretur esse. Quibus ille: priuata iniuria priuato, at publica supplicio fuit eluenda publico. Simile fermè exemplum recitat Diuus Augustinus de Sermone Domini in monte. Cyriacus Spangenberg. de recto venationis vsu.*

ANNO quadragesimo septimo supra millesimum *quingentesimum, ciuis Comensis homicidij reus, in vinculis tenebatur. Vxor eius egregia forma mulier, de salute viri sui vehementer sollicita, Ducem Hispanum, qui captiuum tenebat virum, supplex adit, & quascunque potest im-*

petrandæ ſalutis marito ſuo rationes init. Cui Dux facilem ei eſſe liberandi maritum viam, inquit, ſi ſuæ vellet parére libidini. Mulier intelligens non citra pudicitiæ ſuæ iacturam virum liberatum iri, magno cum animi dolore maritum de voluntate Ducis certiorem facit. Ille vitæ deſiderio coniugi eſt autor, ne occaſionem oblatam reijciat. Dux itaq; cum ſuam expleuiſſet libidinem, iubet præterea ducentos ſibi numerari Ducatos. Quibus acceptis, cum certam de mariti libertate ſpem læta concepiſſet, Dux perfidus virum è carcere emiſſum, protinus in vincula reduci, & capite plecti iubet. Mulier mœſtiſſima omnem rem, vt ordine geſta erat, primùm amicis, deinde Duci Ferrarienſi Gonzagæ plorabunda exponit. Gonzaga execratus illud facinus Ducem nefarium ad ſe accerſit, nequitioſæ libidinis & turpis perfidiæ accuſat. Conſcius iſte flagitij, ſupplex veniam petit, quam non impetrat. Mandat enim Gonzaga primùm, vt ducentos Ducatos mulieri viduæ Centurio redderet, & ſeptingentos deinde Coronatos adderet. Deinde accerſito Sacerdote, mulierem Centurioni nubere cogit. Quo facto, cum nouum ille cum noua nupta ſperaret concubitum, abductum inde in crucem agi Gonzaga imperat.

VLMÆ honeſti ciuis impudica vxor, ſæpè quidem *ſed fruſtra à marito, vt morum vitæq; probitatem amplecteretur, admonebatur. Tandem itaq; ſimulato diſceſſu maritus, clam ſub veſperam ædes ingreſſus, ſub gradibus latuit. Famulas heræ libidini inſeruientes, in luxurioſi conuiuij apparatu occupatas eſſe animaduertit, mox etiam amatorem ædes ingredi, & ab adultera blandè excipi, animo exacerbato conſpicatus eſt, diſſimulato tamen dolore, donec peracta cœna, cubile peterent, ibi delituit, tumq; proſiliens, ſimul cum adultera irrupit, interfectoq; adultero,*

tero, vxorem quoq; occidit. Magistratus iustam viri indignationem fuisse iudicans, eum à pœna immunem esse pronunciauit.

In bello Mediolanensi, Gallus quidam, viri nobilis *& honesti hospes, cœpit cum vxore eius liberius colludere, & inhonesta ab ea flagitare. Mulier indicat hæc marito suo, ego, inquiens, conuiuium apparabo, illiq; dabo potum soporiferum, tu vide, vt fortiter eum occidas. Quæ res ita successit. Nec disputatio est de Iure. Mulier honestè fecit, & vir generosè & fortiter illum occidit.*

Anno supra sesquimillesimum sextum, circa *festum Natiuitatis Christi, Iuris quidam Doctor & Aduocatus Constantiæ, Procuratoris Aulici vxorem amabat. Procurator cùm eos vnà in balneo collusisse resciuisset, simulans negotia & discessum, eos in balneo in vicinæ anus domo rursus conuenisse comperit, assumptaq; dentata strigili in balneum ad eos accessit, tribus alijs ante fores relictis, qui ne alij irruerent obseruabant. Prioremq; Doctorem aggressus eo modo pectebat, vt oculis è fronte euulsis, totaq; cute & genitali[illegible] laceratus, triduò pòst moreretur. Nec minore deinde sæu[illegible] erga vxorem vsus est, quam quo minus ad necem vsq; dilaceraret, prohibebat fœtus, quem ferebat vtero. Horrendis sanè pœnis Deus Iudex iustissimus in hac etiam terra persequitur adulteria, multò grauioribus post hanc vitam etiam ea affecturus nisi vera pœnitentia eluantur. Chronic. Hedionis parte 4.*

Canonicus quidam puellam, quam à teneris *educauerat, pistori cùm elocasset, quotidie eius ædes frequentes, maiori quàm decebat humanitate vxori pistoris se insinuabat. Maritus fraude intellecta, ad ædes suas itare Canonico prohibuit. Quod illle interdictum flocci faciens,*

mariti absentiam obseruabat, & pro sua consuetudine adultera se adiungebat. Tandem Pistor iter sese aliò facturum, frumentumq́ue empturum simulat, interiùs in abditum domus locum se abscondens, ex quo facilè, quid rerum in ædibus gereretur, obseruare posset. Nec mora adulter ingreditur, & accumbens iuxta adulteram genio indulget. Pistor, cum videretur esse commodum, importuno aduentu in eos irruit, excitato clamore vicinos conuocat, mox & iudices accersit, deprehensumq́ue adulterum in carcerem compingi curat. Cæterùm capituli authoritas effecit, vt impuniti dimitterentur tam adulter quàm adultera. Qua iniuria exasperatus Pistor, diuenditis omnibus bonis suis, ex oppido isto discedit, seq́ue palàm totius Capituli hostem profitetur. Duo anni iam elapsi erant, cùm in pagum quendam, vbi celebrabantur Encænia, Canonicus animi gratia se confert, quod vbi resciuit Pistor, adiunctis sibi duodecim viris, subitaq́ue in pagum facta impreßione Canonicum occidit.

IN Voitlandia quatuor cædes simul patratæ sunt *causa adulterij. Nam cùm amatores vnà cum adultera securè conuiuarentur, maritus* [illegible] *venabulo in hypocaustum irruit, eumq́ue, qui* [illegible] *aßidebat adulteræ, occidit: Reliqui duo consterna*[illegible] *terga vertunt, & è sublimi, vt vitæ consulerent, saltu se demittentes, ambo fractis ceruicibus extincti sunt.*

IN ciuitate quadam Germaniæ, quidam patricio *natus sanguine cum alterius ciuis vxore clam rem habebat. Ciuis id persentiscens, simulato discessu, clam in ædes redijt, & in ornithotrophio sese abscondit. Circa meridiem adulter adest, cum adultera ex animi sui sententia poculis libidiniq́ue indulgent. Qua prandij, eadem & cœnæ ipsis est ratio, qua peracta, in cubile ambo se conferunt. Ibi maritus*

prore-

prorepens, hypocaustum ingressus est, seq; galea & thorace muniuit: Mulier audito armorum strepitu, surrexit, exploratura quid rei adesset, tacente verò marito, cubiculum rursus petit. In quod paulo pòst maritus quoq; summa vi vsus, irruit, primoq; adulterum, quamuis fortiter resistentem, & venabulo quod lecto adiunctum habebat, sese tuentem, interfecit. Deinde ad vxorem conuersus, quæ sub lecto latitabat, prodi, inquit, adultera, vel isthic iacens à me confodieris. Quæ prorepens cùm virum nullis precibus flectere posset, Quæso, inquit, parcas mihi, donec & peccata mea Sacerdoti confitear, & Sacramenti particeps fiam. Ergóne ex animo, inquit ille, doles ob admissum scelus? Doleo, respondet vxor. Quo audito verbo, citra moram gladio eam confodit maritus, adulterumq; adulteræ adiungens lateri, inde discedit. Cumq; ab omnibus passim hoc viri facinus probaretur, facilis illi in vrbem factus est reditus. Consuluerunt autem ei amici, vt diuenditis omnibus inde emigraret, propter interfecti amicos. Ex colloquijs Lutheri.

COMES quidam illustris, & inter cætera quidem *vir præclarus, sed libidini seruiens, cùm Cancellarium suum aliò amandasset, sub prætextu quidem certorum negotiorum, reuera autem vt liberum ad eius vxorem haberet aditum. Cancellarius fraudem præsentiens, clam domi remansit, Comitemq; in adulterio deprehensum, de improuiso telis obruit, & occidit.*

CAIASSY Haueci minoris Armeniæ in regno *Turcico Præfectus filiam habebat forma præstantissimam, quam cum deperiret Præfectus summus Belerbey, nec vlla fraude sui voti compos fieri posset, tandem fraudulenter venationem instituit, inter ciuitates Carachmit & Meridim, Caiassyq; Præfecto, qui in ciuitate Meridim morabatur*

denun-

denunciat, se post venationem apud ipsum velle diuertere. Aduentus sub vesperam perhumaniter exceptus cum esset, ijs blanditijs filiam Præfecti amplexus est, vt cum ea tum ante cœnam, tum in cœna sic locutus, vt facile improbum eius desiderium puellæ pater agnosceret. A cœna deinde choreas institui & duci petijt, quod cum facile impetraret, ipseq́ue cum puella adamata minus decenter & honestè saltaret: Pater Caiassy, trecentos viros ante palatium in armis esse, hospitisq́ue mores obseruare iussit. Ductis choreis, cùm hora dormiendi iam ingrueret, petijt Belerbey à Præfecto Caiassy, vt filiam sibi concumbere iuberet. Quod cùm ei perhumaniter negaretur, minabundus inquit Belerbey ad puellæ parentem: nisi mea voluntati acquieueris, te extractis è corpore neruis interficiam, canibusq́ue deuorandum obijciam, simulq́ue ad matrem conuersus, vt puellam sibi adducat præcipit. Ad quam necessitatem redactus Caiassy, arreptum ex vehementi indignatione pugionem in viscera Belerbey adigit, eoq́ue prostrato, trecenti qui in armis erant, famulos Belerbey, quorum erant sexaginta, trucidant. Quo commisso facinore, Caiassy præsidijs munita vrbe Meridim cum magno equitatu ad Regem Sophi in Persidem contendit, eiusq́ue implorato auxilio, ei sese & vniuersam dedit Regionem. Vnde non exiguæ vires regno Turcarum decesserunt, Anno quadragesimo, supra millesimum quingentesimum.

IN Thuringia quidam nobili prognatus genere, *vir magnæ authoritatis & existimationis, Nobilem cum vxore sua in adulterio deprehensum, atroci admodum mortis genere interfecit. Manus arctissimè constrictum in carcerem coniecit, omniq́ue cibo & potu ei negato, quotidie carnes tostas & delicatè apparatas apponi iussit, vt nidor vehemen-*

hementius edendi desiderium in eo excitaret. Quo cruciatu excarnificatus homo miserrimus, humeros sibi ipsi, cùm nec manus nec pedes ori admouere posset, mordicùs absumpsit, donec vndecimo die fame extinctus est. Quæ pœna nimium quidem atrocitatis in se habet, veruntamen certa & immota est Regula: Atrocia scelera atrocibus puniuntur supplicijs. Testatur Lutherus se puero hæc gesta esse, & vtrumq; nobilem sibi notum fuisse.

CAROLVS gibbosus cum ingressus Italiam *Neapolim occupasset, Duces quidam in domo principis, honestarum & nobilium matronarum pudicitiæ insidiabantur, de qua Ducum libidine viros suos, qui secesserant in arces, illæ certiores fecerunt. Qui clam in vrbem reuersi, iubent vxores splendidum apparare conuiuium, in quo cùm securè potarent Galli cum mulieribus, à viris subitò interuenientibus interficiuntur, mulieres illæsa pudicitia viros suos inde fugientes optata fuga comitantur.*

IN ciuitate quadam non incelebri, Chirurgus *neglecta vxore sua alienam sectabatur, cumq; aliquando ad adulteram equitare animum induxisset, interrogatus ab vxore sua, quónam tenderet? cum irrisione ei respondit, in lupanar se tendere. Quam verborum leuitatem ex iusto Dei iudicio Nemesis excepit. Nam cùm apud adulteram ex animi sui sententia se oblectâsset, equum quem domum reuersurus conscenderat, in gyrum duxit, à quo excussus, altero pede habenis inuolutus pependit, pendentem equus quasi æstro percitus per plateas raptauit, tantaq; vi caput eius saxis illisit, vt viam cerebro conspergeret, nec à cursu priùs destitit, quàm in lupanar delatus, verba quæ impius sessor per leuitatem effuderat, impleret.*

BASILEÆ mercator quidam prædiues, vxorem cum haberet honestißimam, ex Satanæ instinctu in Zelotypiam incidit. Cum enim tibialium ligamina byßina iam vetustate attrita abijceret, vxor ea arrepta, famulo qui fortè astabat, obiecit, is nihil mali suspicans, ea grato animo accepit, tibijsq; adaptauit. Inde protinus herus peßima queq; de vxore suspicari cœpit, Satanaq; augente suspiciones, tandem in die Dominico, cùm familia sacræ concioni interesset, stricto ense in vxorem irruit, adulterij arguit, insontemq;, nulla excusatione audita, interficit. Cædes vix patrata erat, cùm ductus pœnitentia grauißimos dolores animo concipit, vitaq; longioris pertæsus, in schedula perscribit, se ex Satanæ instigatione, falsis motum suspicionibus vxorem innoxiam occidisse, ea ad sinistrum brachium alligata, è fastigio domus sese in plateam dat præcipitem.

LANDGRAVIVS Thuringiæ Albertus vxorem habuit matronam honestißimam, Friderici secundi Imperatoris filiam, ex qua duos sustulit filios, Theodericum & Fridericum. Immemor deinde fidei coniugalis, non solum factus est adulter, sed etiam vitæ coniugis insidiatus est. Itaq; paciscitur cum mulione, qui aquam vehebat in arcem Isenacensem, vt eam interficeret. Ille promittit quidem hac in re suam operam Landgrauio, interim Consiliario Dominæ rem omnem detegit, se metu mortis id promisisse testatus. Ex consilio itaq; Præfecti, clàm sese per funem demisit ex fenestra non admodum alta, in subiectum scopulum, vnde occultè aufugere posset. Delata inde Francofordiam, cùm ibi biennium in monasterio exegisset, mortua est. Antequam è cubiculo egrederetur, valedictura infantibus, maioris natu è filijs genam mordicus apprehendens, notam ei dentibus impreßit. Præfectus clamore infantis motus, cùm eam increpares,

pares.

paret, Putásne, inquit, me sine magno dolore animi posse discedere? relinquam filio notam discessus in gena. Filij isti cùm adoleuissent, pater eos per seditionem ex Misnia eijcere voluit, sed patrem filij mutata fortuna eiecerunt, qui Erphordia tandẽ in summa miseria & paupertate exul mortuus est.

CHILPERICVS Francorum Rex, repudiata, & demum *interfecta vxore sua, pia & pudica Galfonda, improbam & impudicam duxit Fredegundam Athanaidis Hispaniæ Regis filiam, à qua perfidè structis ei insidijs, tandem hac occasione neci datus est. Amabat Fredegonda Landericum Præfectum prætorio. Quodam autem die accidit, vt venatum egressurus Chilpericus, antequam equum conscenderet, tacitus Reginæ cubiculum ingrederetur, eiusq́; tergum ferula, quam manu tenebat, per iocum blandè feriret. Illa Landericum adesse rata, antequam respiceret, Cur, inquit, verberas me Landerice? Quæ verba audiens Rex, vehementer animo turbabatur, Reginamq́; de adulterio suspectam habere incipiens, ira dissimulata tacitus recessit, & venatum, vt constituerat, exit, deliberaturus interim, quid in hac causa agendum sibi esset. Regina autem cum intellexisset, Regem ipsum præstò adfuisse, & verba, quibus Landericum nominasset, audiuisse, suæ & Landerici vitæ timẽs, cũ Landerico consiliũ init de Rege trucidando. Nec mora noctu cùm rediret à venatione Chilpericꝰ, lapsus in insidias, à Lãderico obtruncatur in saltu quodã, Fredegondæ coniugis abominãdo scelere.*

HEINRICO quarto Imperij habenas administrante, *Fridericus Palatinus in meridionali Saxonia arcẽ Schiplitz, ad Vnstrutum fluuium, incoluisse fertur, cuius vxor Adelheidis, mulier coniugalis fidei & amoris parum memor, maritum exosa, Ludouici Thuringiæ & Hassiæ Comitis amore exarsit, cũ quo clam colludens, consiliũ init de interficiẽdo*

 viro

viro suo, vt Comiti Ludouico nuberet. Iubet igitur vt Comes constituto die propè arcem Schiplitz in finibus ditionis mariti sui venationem instituat, tum se curaturam, vt imparatum & inermem sibi obuiam habeat Fridericum maritum suum, quem tum sine labore & periculo obruere, & è medio tollere possit. Placet consilium Comiti Ludouico, qui die constituto venatum exit, & alieni Domini ius sibi petulanter vsurpat. De industria eodem die Balineum adultera apparârat, quod cùm ingressus esset Dominus, ipsa audito venatorum clamore, indignationem magnam simulans, ad herum festinat, & ei indicat, Comitem Thuringiæ satis superbè & petulanter ei insultare, dum in territorij sui finibus proximè arcem feras insectari audeat. Quibus verbis exasperatus Fridericus, iniecta humeris penula, inermis equum conscendit, assumptisq́ aliquot equitibus, Comitem Ludouicum festinanter persequitur, asperisq́ verbis eius insolentiam reprehendit. Ludouicus oblatam occasionem arripiens, lancea Comitem Fridericum transfixum occidit, qui magno cum luctu suorum sepultus est.

Anno deinde supra millesimum septuagesimo, Albertus Friderici interfecti frater, Episcopus Bremensis, vnà cum reliquis eius amicis, apud Imperatorem Heinricum quartum Thuringiæ Comitem Ludouicum accusârunt efflictim petentes, homicidium ab eo perpetratum vindicari, effeceruntq́ vt Ludouicus, cum Magdeburgum versus aliquando tenderet, comprehenderetur, captiuusq́ in arcem Gebichenstein abduceretur, vbi cum vltra biennium detentus fuisset, tandem elusis custodibus euasit.

DVX quidam graui morbo Zelotypiæ laborans, *cum coniugem suam de adulterio suspectam haberet, eam innocentem, nec sceleris conuictam, publicè damnari, &*

capite

capite plecti iußit. Magistram verò curiæ è turri præcipitari, tum virginem quandam ex Gynæceo sua ipse manu confodit.

EADEM sæuitia nostris temporibus vsus est *Angliæ Rex Heinricus VIII. qui vxorem suam Catharinam capitis supplicio affecit, quòd cùm eam pro virgine duxisset, anteà fuisse corruptam & vitiatam comperisset, anno millesimo, quingentesimo, quadragesimo secundo. Anno deinde quinquagesimo quarto supra sesquimillesimum, Iohanna Suffolcia Eduardi Angliæ Regis consobrina, & hæres eius testamento scripta, ob non repudiatum Regnum, cum marito Northumbriј filio, capite truncatur.*

QVIDAM cùm pietati sedulò studeret, assiduis *Diaboli tentationibus infestabatur, suadentis vt ex tribus peccatis vnum quod perpetraret sibi eligeret, vel vt semel se inebriaret, vel cum vicini vxore concumberet, vel vicinum occideret. Victus tandem consensit in primum peccatum, quòd iudicaret illud minùs atrox esse tum adulterio, tum homicidio. Verùm inebriatus cum esset, facili momento ad reliqua etiam peccata impellebatur. Excitata enim ex luxuria libidinis flamma, vicini vxorem stuprare per ebrietatem haud veritus est. Nec quidem à tertio immunis tum esse potuit: Interuenientem namq; vxoris maritum, flagitiumq; illud vlcisci volentem, dum vim eius reprimere laborat, occidit. Sic ebrietati locum qui dabat, reliquis etiam sceleribus atrocißimis se inuoluit.*

HONESTI ciuis vxor, mulier superba, vt fastui *suo consuleret, marito autor erat, vt mercaturam exerceret, quippe quæ ad corradendas diuitias facilem & planam monstraret viam, nec prius instare apud maritum destitit, quàm eum ad amplectendum vitæ genus desideratum*

perpelleret. Qui cum amplas admodum per mercaturam collegisset diuitias, vt nihil eorum quæ ad splendorem & superbiam faciunt vxori deesset, tandem in morbum incidit: Ibi cum à coniuge & amicis monitus testamentum conderet, Satanæ, inquit, lego animam meam, vt eam secum in abyssum hinc arripiat. Et tu vxor mea, quoniam impietatis autor mihi extitisti, vnà mecum in igne gehennæ in æternum cruciaberis. Deinde ad Diaconum conuersus: Et tu, inquit, cùm mensæ nostræ quotidie assederis, nec tamen impietatem nostram sis ausus reprehendere, eosdem nobiscum cruciatus sustinebis. Et sic in summa desperatione animam efflauit.

QVIDAM cum alienam rapuisset coniugem, eam *impuro cuidam mœcho vendidit. Raptor à muliere accusatus, in vincula à Magistratu coniÿcitur. Ibi ex desperatione, cùm vinctus teneretur compedibus, Diabolo se tradidit, vt illius opera liberaretur. Quod eius cum Satana pactum cum quidam ex captiuis animaduertisset, quin etiam candelas duas, duosq́ lapides ei allatos esse vidisset, quibus & seras & vincula ferrea confregerat, excepto vno, quod disrumpere nulla arte poterat, eius machinationes prodidit. Quibus detectis, custodes & lictores vinctum è carcere eduxerunt, protinusq́ turbo vehemens ex manibus eorum arreptum, in sublimem aërem abduxit, nec postea à quoquam est visus.*

ANNO tricesimo tertio, supra sesquimillesimum *Prettenburgi mulier grauida, citta laborans admodum immani, virum suum deuorandi desiderium concepit, cui cum firmiter resistere non posset, noctu fauces ei incidit, statimq́ sinistrum brachium, & latus ad vmbilicum vsq́ deuorauit, & reliquam partem sale conditam asseruauit.*

Ternos

Ternos deinde liberos vno partu, eosq́ viuentes edidit. Ne autem impunè ferret horrendum adeò facinus, ad perpetuos damnata est carceres.

ANNO 1562. Drossingæ mulier venefica virum *suum malleo occidit, manus, pedes, caput, in feruenti lebete coxit, corpus deinde minutatim dissecuit, carnesq́ intra domum suspensas fumo siccauit. Cumq́ fumus densior inde per ligellum exiret, concursu facto vicinorum, periculum incendij metuentium, in scelere deprehensa, candentibusq́ forcipibus discerpta, & deinde rotæ est imposita.*

ALBOINVS primus Rex Longobardorum, in *Italia, ex Cunimundi Gepidarum Regis bello victi cranio poculum sibi fecerat, cumq́ Rosimundam coniugem, Cunimundi filiam, in conuiuio ex patris sui cranio bibere iussisset, illa tunc dissimulato dolore, postea hortatur Helmechildum nobilem Longobardum, vt Alboinum interficiat, & promittit ei Regnum. Helmechildus dormientem Alboinum interfecit, deinde coactus fugere cum Rosimunda coniuge Alboini, accessit Rauennam ad Longinum, vbi cum aliquamdiu fuissent, Longinus nouas spes concepit, potiturum se muliere & Longobardorum societate, quam adeptus velit se nominare Regem Italiæ, persuadet mulieri, vt venenum det Helmichildo, eiq́ promittit coniugium. Illa præbet marito egredienti ex balneo venenum, quod cùm auidè hausisset, veneni vim sentiens, cogit Rosimundam reliquum haurire, quo exhausto, simul cum Helmichildo extincta est.*

GREGORIVS Quintus, patria Germanus, ab Ot*thone III. cui sanguine iunctus erat, post schismata & lites, quibus Romana Ecclesia distrahebatur, cùm Pontifex creatus esset, populus Romanus ægrè ferens Germanum hominem*

Impe-

Imperatoris authoritate ordinatum esse Papam, Duce Crescentio consule de Papali illum sede deijciebat. Imperator indignè ferens eam contumeliam, in Italiam cum exercitu rediјt, vrbem oppugnauit, Crescentium consulem, & Iohannem nouum Pontificem cepit. Quorum Iohannes effossis prius oculis pontificatu simul & vita priuabatur. Crescentius vili iumento imponebatur, & vultu ad caudam verso, nasoq; cum auribus abscisso, vt spectaculo esset omnibus, per plateas circumducebatur, ac truncatis membris ante vrbis mœnia patibulo suspendebatur, mille vulneribus à militibus confossus. Porrò vxor Crescentij, mulier callida & pulchritudinis suæ conscia, Imperatorem pellexit in amorem, vindictam de priore marito quærens, cumq; reditum in Germaniam eum maturare videret, chirothecis miro ingenio affabrè factis venenum insuisse fertur, & Cæsari muneris loco dedisse. Quo paulatim intoxicatus & consumptus, inter remeandum in Italia periјt, decimo nono anno Imperij.

PAVSANIAS primis pubertatis annis stuprum *per iniuriam passus ab Attalo fuerat: Cuius indignitati hæc etiam fœditas accesserat. Nam perductum in conuiuio solutumq; mero Attalus, non suæ tantum, verùm & conuiuarum libidini velut scortum vile subiecerat, ludibriumq; omnium inter coæquales reddiderat. Hanc rem ægrè ferens Pausanias, querelam Regi Philippo sæpe detulerat. Cùm varijs frustrationibus non sine risu deferretur, & honoratum insuper Ducatu aduersarium cerneret, iram in ipsum Philippum vertit, vltionemq;, quam ab aduersario non poterat, ab iniquo Iudice exegit. Nam cum ad ludorum spectaculum Rex Philippus contenderet, Pausanias occupatum angustijs in transitu obtruncat, diemq; lætitiæ destinatum, fœdum luctu funeris fecit.*

Mar-

MARCVS Crassus Imperator Romanus, Iudæam ingressus, templi Hierosolymitani pecuniam, quæ bis mille talenta erant, abstulit, atq; omnem templi ornatum spoliauit, qui ad talenta auri octies mille æstimabatur. Rapuit & trabem ex auri trecentis minis fabrefactam. Mina porrò Iudaica libras binas & semissem pendit. Itaq; cum perpetrati sacrilegij diræ eum insectarentur, haud multò pòst conserto cum Parthis prælio superatus, cum malè partis opibus, & nomen & vitam cum filio casus amisit: Inuentoq; ab hostibus capiti eius infusum quod liquefecerant aurum, auaritiam scelusq; simul exprobrauit.

ANTIOCHVS Epiphanes parum ducens thesauris atq; ornamentis omnibus templum Hierosolymitanum spoliasse, sanxisseq; ne in posterum in eo veteri cultu sacra fierent, Olympio Ioui templum dicauit, & vt Iudæorum legem cæremoniasq; penitus deleret, perquisitas omni cura sacras Iudæorum scripturas omnes combussit. Quamobrem concitata in se diuina iusticia, in sæuum incidit morbum, ex putrida eius carne subinde nascentibus, ceu in aquarum scaturigine, vermibus: Vnde cùm in omnium odium fastidiumq; simul venisset, ac post longos grauesq; cruciatus à charioribus quoq; deuitaretur, rabie atq; ira plenus, mortem obijt, cùm ante obitum & agnouisset & fassus esset, propter contemptum Dei, & violatum Iudæorum templum id se perpessum esse.

ANNO vrbis sexcentesimo, quadragesimo nono, Manlius & Seruilius Cepio Proconsules à Cimbris in aditu Alpium victi sunt, & trucidata ciuium & sociorum Romanorum octoginta millia. Cepio cùm ei Imperium abrogatum esset, in carcerem ductus est, & à carnifice necatus, & cadauer ad Scalas Gemonias abiectum, triste spectacu-

lum fuit, & insigne exemplum inconstantis fortunæ. Nam antea & Consul & Pontifex Maximus fuerat. Narrant autem punitum esse, quòd aurum ex templis Tolosanis abstulerat, quod ante Galli ex Delphis rapuerant. Et Prouerbium, Tolosanum aurum, accommodatur ad pœnas sacrilegij.

IVLIANVS, Imperatoris auunculus, cùm seriò moliretur *preciosissima monimenta Antiochenæ Ecclesiæ in Syria positæ in Imperatoris æraria transferre, Ecclesias quoque occluderet omnesque earum ministros eijceret: solus Theodoretus presbyter minimè ab vrbe secessit, quem, quoniam thesaurum istum, vtpote eius custos, indicare poterat, Iulianus primùm comprehendit: deinde verberibus grauiter cædit: Postremò cum quæstione de illo omni tormentorum genere habita, forti animo & virili respondisset, seque in confessione fidei præclarum virum ostendisset, securi feriri mandauit. Vbi verò sacra vasa abripuerat, proiectis illis in terram, cepit petulanter in Christum illudere, blasphemias pro sua libidine iacere, sicque factam iam contumeliam adaugere. At illicò pòst membrum genitale, & meatus illi, quos natura ad necessitatem circa illud locauit, ei contabescunt: & carnes illis corporis partibus circumdatæ, putrescentes in vermes conuertuntur, morbusque denique ita creuit, vt artem Medicorum longè superaret. Nihilominus tamen Medici, partim reuerentia erga Imperatorem, partim metu adducti, nullum non medicamenti genus in eo experti sunt. Et quanquam complures aues magno precio comparatas mactantes, pinguedines earum ad partes putredine exesas applicabant, & vermes ad cutis euocabant extremitatem, nihil tamen profecerunt. Nam in intimis partibus abditi, ad carnes viuas integrasque serpsere, & nunquam à rodēdo destitēre, donec hominem enecâssent. Itaque hanc cladē ira diuina ei inflixit. Quod etiam accidit tum thesauri Regij custodi, tum alijs nonnullis ad am-*

ad amplos dignitatis gradus in aula Imperatoris elatis: qui contra Ecclesiam iuueniliter insultantes, velut ab ira diuina condemnati, exitum vitæ vt mirandum, ita vt Sozomenus scribit, planè miserabilem consecuti sunt.

POENA quæ Vrrachiæ Reginæ in Hispania sacrilegium *secuta est, admiranda prorsus, ac celeritatis plena fuit. Nam cùm in bello quod aduersus filium Alphonsum gerebat, pecunia ei deesset, & sancti Isidori in Legione vrbe Hispaniæ fanum spoliare decreuisset, cæteris contingere sacros thesauros reformidantibus, ipsa manu sua multa auferens, dum templo egreditur, mortua concidit.*

IN Iudicio Amphictyonico damnati erant Phocenses, *& Thessalis & Thebanis petentibus, vt magnam multam penderent. Hanc mulctam cùm dare nollent, quia & agri eis adempti erant, Lacedæmonijs clam eos incitantibus, qui & ipsi magnam mulctam debebant, Philomelus Phocensis collecto exercitu columnas Amphictyonum euertit, in quibus decreta mulcta perscripta erant, & agros consecratos recipit, aurum & argentum ex templo aufert. Vt igitur opem ferrent iudicio Amphictyonico & templo vicini, Locri, Thebani, & Thessali, bellum Phocensibus inferunt. Bellum hoc dictum fuit sacrum, & per decem annos durauit, donec Philippo Macedonum Rege in Græciam accersito, Phocenses victi & oppressi sunt. Philomelus victor tribus magnis prælijs, quarto victus, sese de rupe præcipitem deiecit. Hic primi Ducis Phocensium exitus fuit. Secundus Dux fuit Onomarchus, qui tandē prælia suspensus est. Tertius Phocensium Dux Phayllus, phtisi mortuus est. Phalecus, qui Phayllo successit, finito bello sacro in Creta militans, in quadam oppugnatione fulmine ictus perijt, & incensis machinis multi eius milites fulmine perierunt. Phocenses in seruitutem redacti sunt,*

omnia oppida destructa sunt, & multitudo in villas distributa est, & agri eis traditi sunt, sed ita, vt quotannis penderent sexaginta talenta. Sic pœnas luerunt, quicunque templum Delphicum violare, thesaurosque sacros diripere ausi fuerunt.

VITEBERGÆ tres fures ciborium argenteum *aurificis, cui Christiano nomen, vxori obtulerunt, quæ iussit vt post horam reuerterentur, interim rē Magistratui significauit, qui fures missis lictoribus iussit cōprehendi. Illi se proditos esse videntes, lictorum vim propulsare animum inducunt, strictis gladijs se ijs opponunt, primum ex ijs vulnerant: Verùm oppressi lictorum turba, fuga euadere conati sunt. Vnus ex ipsis captus est, alter fuga se inde proripuit. Tertius per pontem festinans, cùm ibi à custode detineretur, eo vulnerato in Albim se præcipitauit & submersus est. Erat autem iste homo nefarius, & parricida, qui patri suo duos digitos præciderat. Fortè autem accidit eodem die, vt de filio interrogatus pater, vbínam ageret? responderit: Vtinam filius meus in Albi submersus perijsset. Quod votum reipsa impletum est. Fuit enim vox iræ diuinæ ex ore patris. Anno 1531.*

CVM Principes quidam Germani, iunctis viribus *capto suburbano Reginoburgensium oppido, castra ad Stauff, arcem Danubianam mouissent, quidam ex equitibus Boijs Andreas cum duobus socijs, in altera ripa templum Sultzbachij intrant, sacrarium vi effringunt, sacra, hostiamque (thecam auream rati) sacrilegis manibus suffurantur, pròxime arcem, vbi nunc templum extat, quod accolæ eius rei gratia venerantur, condunt. Holosericam crumenulam, qua victima seruari solita, septem assibus scorto diobolari vendunt. Sed sacrilegij pœnas mox eodem die pendunt.*

pendunt. Andreas subito furijs actus, miserè in castris quiritando, omnibusq; ad huiuscemodi spectaculum conuolantibus, expirauit. Alter sceleris socius, dum aquatum equitat, ab equo excussus, aquis obruitur. Tertius ferro cæsus occubuit. Facta sunt hæc, vt in Annalibus Boiorum Auentinus annotauit, sub VVenceslao Imperatore, Caroli quarti filio.

ANNO Christi millesimo, trecentesimo, octuagesimo quarto, *cum tota Saxonia latronibus infesta esset, conuenêre terræ istius Principes, Comites, Episcopi, alijq; proceres, decernentes omni studio, & seueritate securitatem per omnia itinera mercatoribus alijsq; viatoribus præstandam esse: grauissimasq; pœnas in violatores Decreti istius constituêre, initoq; fœdere, se inuicem obligârunt, quòd iunctis viribus communiq; autoritate in omnes prædones & latrones, eosq; omnes, qui illos hospitio tectoq; dignarentur, velint animaduertere. Quod fœdus cùm violâsse insimularetur Theodericus Comes à VVernigerode, conuenêre principes & reliqui magnates, quibus ius executionis commissum fuerat, accersitumq; Comitem, suspendij supplicio afficiendum esse sententiam tulerunt. Cuius supplicij ratio in Comite talis fuit: Vnum ex ministris eius aulicis in medium progredi iusserunt, primumq; vulnus in capite Comiti infligere mandârunt: Quod cum ille, quamuis inuitus, fecisset, qui aderant reliqui, strictis eum gladijs confodêre. Hunc ad modum interfectum equi freno alligârunt. Hæc supplicij ratio ipsis cum suspendio eadem fuit. Vide Crantzium in sua Saxonia.*

ANNO Christi millesimo, quadringentesimo, *decimo, Heinricus Dux Luneburgensis, iusticiæ assertor valde rigidus, omni studio ad id intentus erat, vt à latronibus,*

nibus, prædonibusq́; regio Ducatus sui immunis esset; nec quidem ad ullius vel leuißimum crimen, quo publicam pacem violari iudicabat, conniuere sustinebat. Properè aliquando tendebat Luneburgum Præfectus arcis Cellæ, vir industrius, Principi eodem aduenturo paraturus necessaria. Cumq́; eum tenui vestitu amictum venti penetrabilis frigus adureret, fortè rustici aratro terram proscindentis pallium humi iuxta viam iacens conspicatus, illud sibi vtendum tradi, donec reuerteretur, petijt, se certò illud redditurum pollicitus. Rusticus, vt qui Nobilium insolentiam suspectam haberet, petitioni eius annuere nolebat: Quod Præfectus non magni pendens, assumpta rustici tunica, celeri cursu iter suum confecit. Præfectum sequebatur eodem itinere Dux ipse, cuius aduentum rusticus obseruans, in via astans de pallio sibi per vim ablato querebatur, & audiri se à Duce petens. Quid prodest, inquit, Princeps clementißime, magna vi iniuriam latronum prædonumq́; compesci, cùm hîc à tuo Præfecto, qui modo hâc iter fecit, mea veste ego nudus & pauper spolior? Dux audita rustici querela, quomodo ei vestis ablata sit sciscitatur. Quam cùm reluctanti ademptam esse intelligeret, dißimulato quod animo agitabat consilio, in vrbem perrexit. Regressus deinde, cùm ad eundem rursus locum, quo rustici querelam audiuerat, peruenisset, accersit Præfectum, grauibusq́; verbis eum increpans, Cur, inquit, viro isti inopi reluctanti vestem suam abstulisti? Publicæ pacis hostes latronesq́; omni studio & labore inquisitos è medio tollo, tuaq́; hac in re opera vtor: & tu es, qui non minora illis in meos patrâsti. Multa parantem in sui purgationem dicere, ipse equi detracto capistro, alligatum in arborem appendit iugulandum. Mira seueritas iusticiæ, & Zelus incredibilis in Principe

Saxo-

Saxoniæ, vix, ut idem inquit Crantzius, fidem apud exteros habitura narratio.

GEBEHARDVS Dominus de Schrapelauu, vir magni animi, *vicesimus natus fuit Mersburgi Episcopus, præsulatum obtinuit annos viginti quatuor, menses quinq. Hoc Episcopo rerum potiente, Nobiles Contones dicti,* (die Cotzen) *in Episcopatu Merseburgensi aliquot arces munitas tenuêre, quibus freti, tum Episcopum, tum clerum, quibus potuerunt, iniurijs affecerunt, usi ad hanc rem opera equitum, quibus rapto viuere moris est, quos & hospitio & tecto excipiebant. Qua Nobilium motus insolentia Episcopus Gebehardus, quatuor eorum arces obsidione cinxit, expugnatas solo æquauit, omnem Nobilium istorum stirpem è ditione Episcopatus sui eiecit, bonisq. omnibus, propter rebellionis crimen, priuauit.*

SVB hoc quoq; Episcopo, circa annum millesimum, *trecentesimum, vicesimum sextum, Arx Neoburgensis prope flumen Vnstrotum, hodie Friburgum vocant, Ecclesiæ cathedrali Mersburgensi pro grandi pecunia erat oppignorata per Albertum Landgrauium Thuringiæ. Arci isti Præfectum constituerat Episcopus Gebehardus cognatum suum Dominum de Schrapelauu, is mercatores aliquot & aurigas Landgrauij Thuringiæ conductu gaudentes, non procul à Porta cœnobio, in arundineto quodam, ubi iam piscina constructa est, spoliauit, ipsumq. Polonorũ Regis Secretarium occidit, cuius cadauer Portæ sepultum est. Huius facti atrocitate motus Thuringiæ Landgrauius Fridericus, cognomento Seuerus, filius Friderici, cognomento Alacris, arcem Friburgensem obsidione cinxit, expugnauit, diripuit, prædones captos supplicio merito affecit, arcemq. sibi vendicauit. Vide Chronicon Merseburgense.*

Cum

CVM ingens esset annonæ caritas, Rusticus quidam in Salinis Saxonicis frumentum spe lucri in vrbem auexerat, quod cùm vilius spe sua vendidisset, graues inde animi dolores concepit, cumq; mœstus in curru sedens ex vrbe domum reuerteretur, seruus eius equo interea insidens, læta mente cantilenis se oblectabat, obiurgatus ab hero, Cur non exultem animo, inquit, cum ex Dei benignitate facta sit annonæ relaxatio? Qua serui hilaritate vehementius turbatus Rusticus, retrò de curru, seruo non obseruante, se suspendit, circiter annum millesimum, quingentesimum, quadragesimum tertium.

FRVMENTVM in ciuitatem quandam vexerat Rusticus, illud venditurus, cumq; precij, quod poscebat, magnitudine omnes emptores deterreret, tandem ciuibus viliori illud precio licitantibus, in hæc verba prorumpit: Minoris, quam dixi, frumentum non vendo, & priusquam vt vos licitamini diuendam, domum reueham, ipsumq; à muribus deuorari patiar. Quibus dictis, frumentum secum rursus auehit, Nec mora cateruatim mures eius granarium inuadunt, & quicquid aderat frumenti absumunt. Nec tantum in granario pestis ista sæuit, sed etiam agros eius depopulata est, cùm vicinorum interim agri à muribus intacti manerent.

RVSTICVS cui frumenti erant ingentes acerui, sic totus auaritiæ inhiabat, vt & maiorem indies speraret annonæ caritatem, & quotidie ingressus granarium, oculos contemplando frumentum pasceret. Qui cum aliquando apud amicam in cœna largius potâsset, vesperi domum reuersus, more solito, quamuis dehortante vxore & liberis cum lucerna horreum ingressus est: Vbi cùm admiraretur suam felicitatem & diuitias, imprudens ex temulentia labitur,

bitur, candelamq; è manibus abijcit, ex cuius flamma horreum frumentumq; incensum in vniuersum perijt, vt miser ægrè fuga sine vitæ dispendio euadere potuerit.

Item alius Rusticus prædiues, & magna frumenti *copia abundans, cùm maiorem annonæ caritatem speraret, ingens animo lucrum, amplißimasq; diuitias conceperat. Qui cum ascendisset aliquando granarium, oculos suos & animum aspectu frumenti oblectaturus, ex Diaboli effascinatione caligo quædam oculis ipsius effusa est, vt nihil ibi frumenti videret, ex qua tentatione terrore perculsus est, & seipsum in granario suspendit.*

ANNO quinquagesimo nono, supra sesquimil*lesimum, vir quidam prædiues in Misnia, cùm magnos frumenti aceruos in granarijs reconditos haberet, nec adduci posset, vt aliorum inopiæ succurreret, grana nouo, & tum inaudito exemplo spiritu vitali animata, in vniuersum omnia auolârunt.*

EODEM anno in Franciæ pago Steinhaussen/ cùm *à Præfecto quidam è pauperioribus subditis frumentum sibi pro certo precio diuendi peteret: Respondit ille, nihil sibi quod diuendat, superesse frumenti, & quod adhuc sibi adsit, id vix porcis sufficere. Quæ eius verba diuina excepit vltio. Non multò pòst vxor eius septem viuos porcellos peperit, qui à multis fide dignis viris conspecti sunt.*

IN Marchia Rusticus graui paupertate pressus, *fœminam nobilem, pagi istius Dominam accesßit, pauperiem suam conquestus est, vxorem suam graui morbo vexatam decumbere, tum numerosam sibi prolem esse, quæ fame pereat, indicauit, itaq; petijt, medimnum frumenti sibi suppeditari: Sed à muliere superba & auara nihil aliud extorquere potuit, nisi quòd subministrare ei velit frumentum,*

mentum, quatenus pecuniam illi afferat. Rusticus itaq; vndecunq; potest pecuniam vnciatim mutuatur, quam cùm offerret mulieri, & vnicus adhuc deesset denarius, repulsam denuò passus est, iussusq; summam integram tradere, si frumenti particeps fieri desideret. Cùm ergo precibus frustra tentâsset immisericordem mitigare mulierẽ, abijt vndecunq; posset, denarium mutuo accepturus. Quem cum ægrè tandem accepisset, ad auaram redijt Dominam, eiq; pecuniam, quam exegerat, numerat; sed denarius iste postremus fortè in terram decidit, quem cùm sublatura esset mulier, protinus in serpentem conuersus, eius brachio se circumuoluit, nec vlla vi vel arte inde auelli potuit, sed morsibus eam immaniter afflixit, donec miseranda morte inter summos cruciatus eam extingueret. Hæc exempla omnia recitantur à Fincelio, in secundo & tertio libro de miraculis.

CRATO, præpositus Goslariensis, cùm suscepto *Episcopatu Misnensi Gostariam venisset, post refectionem in cubiculum, vbi thesauros suos, quorum nimis amator erat, nullo conscio infoderat, quasi paululum requiescere volens, sese inclusit. Cumq; iam die vergente in vesperam, præter morem consuetudinemq; suam somno indulgere videretur, rem insolitam mirantes cubicularij, pulsare ostium cœperunt, sed nec pulsantibus nec vociferantibus vllum dabatur responsum, tandem effractis foribus irrumpentes, inuenerunt eum fractis ceruicibus, colore tetro, exanimem ipsis thesauris suis miserabilem in modum incubantem. Anno 1066. Lambertus Schaffnaburgensis.*

ANNO quadragesimo primo, supra sesquimillesi*mum, mulier quædam prædiues & nobilis in Franconia, tantis auaritiæ sordibus fuit obsita, vt extrema etiam fame pressis ne exili quidem panis buccella succurrere dignaretur,*

quin

quin adeò immitem erga pauperes se præberet, vt panem petentibus grauiter succenseret, eosq́ stercora vorare iuberet. Mulier ista ob inexplebilem pecuniæ sitim, Auaritia dicta fuit: cumq́ nullis admonitionibus ab impietate sua deduci posset, ex diuina tandem iusticia graui supplicio correpta, omnibus alijs exemplo diuinæ vindictæ erga auarorum hominum duritiem fuit. Grauißimam siquidem famem experta, quicquid demum cibi ingereret, satiari nequiuit, omnibusq́ esculentis citò alta ventris voragine absumptis nec ab argilla nec terra abstinuit, quin etiam ex horrendo appetitu, fimum, stercora, adeoq́ excrementa hominum deuorare non cessauit. Cumq́ hominum præsentiam ferre non posset, miserando spectaculo hinc inde circumuagari cœpit, donec tandem in itinere Dresdam versus ducente, miseranda morte perijt, cùm iam hominis speciem præ se amplius non ferret. Idem ibidem.

MANVELE Constantinopolitano Imperatore, circa partes Antiochiæ cum exercitu morante, vnus de seruis palatij, Caniclinus videlicet, quem nos Cancellarium dicere possumus, principi suo fraudem molitus est. Tres siquidem audacißimæ temeritatis iuuenes, infinita corruptos pecunia, ad occidendum Imperatorē pellexerat. Ipseq́ statuta die, quando id facinus patrari debuerat, ad occupandum apud vrbem simul cum Imperiali palatio imperium magnis instructus copijs præstolabatur. Tantum Regis periculum cum Imperatrici per occultum indicē reuelatum fuisset, illa magnitudine sceleris perterrita, quàm velocißimè marito proditionē significat. Sicq́ detecto dolo, comprehensis sicarijs, præuento criminis autore & capto, de omnibus cōdigna sumuntur supplica. Caniclinus primò effoßis oculis, lingua perforato gutturi trāsmissa, sine miseratione miserabili morte vitam

 fini-

finiuit. Otto Frisingensis, de rebus gestis Friderici primi, libro 1. cap. 47.

OBSIDENTIBVS Albam Græcam Turcis, milites quidam de vrbe tradenda, auri spe facta, consilium cepêre. Eos Paulus Kinisius, inferioris Vngariæ præfectus comprehensos, se mutuò deuorare coëgit, singulis diebus singulos assos socijs apponens. Qui ordine vltimus erat, famis rabie ipse seipsum dentibus laniasse fertur. Bonfin. libro 3. Decad. 5.

ANNO 1471. Machometes secundus Eubœam insulam, quam Nigropontem hodie vocant, Chalcidemq́ ciuitatem, ex proditione Thomæ cuiusdam Liburnici occupauit. Horribiliter in ea vrbe sæuitum est, ne vllus Italorum & Venetorum (sub quorum imperio Insula fuerat) qui annum vicesimum attigisset, seruaretur, omnes vt palis infigerentur mandauit. Irritatum autem clade suorum fuisse constat, cum supra quadraginta millia hominum diuersis circa mœnia prælijs amisisset.

IN Metensi Lotharingiæ ciuitate, Mercator quidam cùm abesset peregrè, noctu in domus eius cellam carnifex se insinuauit, primoq́ ancillam, cùm allatum vinum ex iussu heræ suæ descendisset, interficit, hinc ijsdem insidijs heram, cùm & illa mirata ancillæ moram descenderet, exceptam trucidat, & securus deinde scrinia rimatur & spoliat. Mercator reuersus, vbi atrocem suorum interitum domusq́ direptionem offendisset, animo perturbationis & mœroris pleno, rem ad Senatum refert, cùm varij de nefario homicidio sermones spargerentur, ipse quoq́ carnifex in curia turbæ se immiscens, hæc verba subinde alijs immurmurat. Cùm manifestum sit, frequentibus conflictatos esse rixis mercatorem eiusq́ coniugem, facile inde cuiuis appa-

rere,

rere, neminem præter ipsum mercatorem, homicidiorum, quæ in domo eius perpetrata sint, autorem esse. Et sanè facilè, inquit, verum ex eo extorserim, si mihi examinandus traderetur. Quibus aliisq; similibus verbis tantum effectum est, vt mercator comprehensus in vincula conijceretur, immanibusq; subiectus tormentis, & crudelem in modum à carnifice distractus, se quamuis insons parricidij commissi authorem fateretur, horrendoq; supplicio afficeretur. Iam securus & ociosus in vtramuis aurem dormire videbatur carnifex, cùm diuina vigilante iusticia scelus eius proditur. Argenteum namq; scyphum æris egens carnifex Iudæo oppignerabat, is cum mercatoris supplicio nuper affecti signum ei insculptum animaduerteret, Scyphum Magistratui offert, & mercatoris se in eo agnoscere insignia indicauit. Nec mora & carnifex ipse in vincula conijcitur, quæstionibusq; subiectus, vndénam cyathi istius hæres factus esset interrogatur, ibi rem omnem, vt gesta erat, parricidiumq; à se commissum esse confessus est. Hunc ad modum detecta mercatoris innocentia, carnifex dignas sceleris pœnas sustinuit.

OTTO Magnus cùm Imperator electus esset, *initia gubernationis, quæ difficilia habuit & periculorum plena, exorsus est à bellis domesticis, quæ vndiq; se commouerant tanta, vt videretur tum Europa in caput perniciemq; Ottonis conspirâsse. Arma aduersus eum expedierant Tanguardus frater Ottonis ex concubina, & Eberhardus Dux Franconiæ, qui in belli societatem pertraxerant Giselbertum Lotharingiæ Ducem, simulata pollicitatione inductum in spem regni. Eberhardus armatus suis & socijs auxilijs subsidio venturus Tanguardo obsesso Horesburgi, à copijs Ottonis, in itinere expugnata arce, quam Scriptores nominant*

minant Basilicum, cœpit Heinricum Ottonis fratrem, & captiuum abduxit. Occupato etiam Heresburgo copias Ottonis crebris eruptionibus afflixit. Magnis itaq; Otto conscriptis copijs seditiosos intra mœnia Brandenburgensium obsidet, & dedentibus se Brandenburgensibus, Tanguardus à militibus in templo, in quod confugerat, interficitur. Eberhardus interitu Tanguardi, & Imperatoris successu territus, Heinricum spe regni incensum dimisit. Conspirârunt ergò in Imperatorem Heinricus frater, Eberhardus Francus, & Giselbertus Lotharingus, Imperij decus sibi promittentes. Sed malè ipsis cessit ambitio. Vicit enim fortuna Imperatoris, Eberhardo ad Andernacum oppidum in acie cæso, Giselberto submerso in Rheno, Heinrico fratre coniecto in fugam. Adest enim ordinaria & legitimæ potestati Deus, & hanc tuetur, huius dirigit & fortunat consilia, conatus & industriam, cumq; scriptum sit, Qui potestati resistit, Deo resistit, non dubium est, sicut & hoc Ottonis exemplum testatur, seditiosos puniri diuinitùs etiam in hac vita. Vide Crantzium in sua Saxonia, libro 3. cap. 14.

POPILIVS Macrinus Præfectus prætorio, post *Basiani necem factus est Imperator ab exercitu, qui in Assyria erat, ne milites tam procul ab Italia sine Principe essent. Regnauit menses quatuordecim. Initio imperij sibi & Reipublicæ consulens, pacem emit à Parthis data pecunia. Inter cætera facta hoc narratur: Cùm duo milites hospitam vi compreßissent, inclusit eos in duos boues, exertis capitibus, vt colloqui possent, donec extincti sunt. Postea Macrinus ipse quoq; interfectus est.*

IVSTINIANVS Imperator pecuniam & temerè *profundebat, & per fas nefasq; comparabat, annua sub ipso tributa exaggerabantur, & noua excogitabantur.*

Quin

Quin ipsa etiam Imperatrix maritum longo interuallo potentia superabat, & nouos eosq́; varios quæstus ingeniosissimè reperiebat. Quibus de causis grauis aduersus eum seditio Constantinopoli exarsit, in qua non solùm præclarißima tum vrbis tum Imperij monumenta incendijs ex furore præliantium excitatis consumpta sunt, verum etiam ciuium quadraginta millia cæsa feruntur.

OSTENDITVR Lutetiæ in foro frumentario *os cloacæ, in qua sepeliri se iußit quidam, quem serò pœnituit mali consilij. Viderat Regem tristem ac sollicitum: Causa mœroris erat angustia rei pecuniariæ. Is quo regem subleuaret, suasit vt ex minutis etiam rebus, quas Rustici deferunt in vrbem, vnum aut alterum æreum numulum exigeret, idq́; in biennium duntaxat. Et ex eo cùm viderent in vrbe frequentißima colligi pecuniæ vim non modicam, ad hoc exemplum plures exactiones excogitatæ sunt. Qui dederat consilium, cùm videret se non idem authoritatis habere in dissuadendo, quod habuerat in suadendo, in maximos animi mœrores incidit, adeò vt de salute quoq; sua desperaret, & vt de seipso pœnas sumeret inconsulti consilij, simulq́; moneret alios, ne ad eundem impingerent lapidem, testamento cauit, vt in ea cloaca sepeliretur, in quam totius illius fori sordes confluunt, in quo manet etiamnum in hunc vsque diem exactionis executio. Erasmus in lingua.*

BARNABÆ Mediolanensis Vicecomitis in gra*uandis subditis tyrannidem Paulus Iouius in eius vita describit, vbi inter cætera, Euaserat, inquit, Barnabas inexpiabile odium populi, seipso acerbior & sæuior, durum & atrox eius ingenium senecta nihil molliente,*

quippe

quippe qui inopia rapax, infamis auaritiæ nomen immani crudelitate cumularet. Nam præter perpetua inclementer imperatæ atq; exactæ pecuniæ detrimenta illata populis, noua etiam atq; atrocissima lege promulgata, inquiri, comprehendiq; eos iusserat, qui quinquennio antè contra vetus edictum apros occidisset, aut ex his vel in aliena mensa comedissent, vsq; adeò inexorabili denunciatione, vt supra centum ex miseris agricolis laqueo suspenderentur, reliqui vniuersa substantia mulctati, exilio solum verterent. Diuiserat enim per pagos venationibus opportunos multa millia venaticorum canum, grauissimo incolarum sumptu alenda curandaq;, cum vicatim per familias distribuerentur, & præfecti venatorio apparatui multis cum ministris passim regiones circuirent, tremendo superbæ censuræ instituto singulos canes ex indicis volumine inspectantes, vt insolenti iudicio, quos vellent verberibus pecuniaq; punirent, cùm pari mulcta damnarentur, qui strigosos & graciles, tanquam inedia malignè eneruatos, & contra obesos, tanquam nimia pinguedine inertes factos, aut impexis villis malè curatos produxissent. Tyrannus hic à Iohanne Galeacio Vicecomite captus, & in Tritianam arcem ab se ædificatam deductus, septimo carceris mense, veneno extinctus est.

MAVRITIVM Imperatorem excellentem & *gloriosum, auaritia tandem perdidit, eumq; & vita & imperio exuit. Cùm induciæ inter ipsum & Caganum Regem Auarum factæ essent, breui post violatæ sunt, Ducesq; Mauritij trucidârunt triginta millia Auarum, Sclauorum & Gepidarum, & ceperunt tredecim millia hominum, quos Mauritius ad Caganum remisit. Deinde Caganus cepit duodecim millia Romanorum militum, seu Ducis Commen-*

tioli

tioli Thracis perfidia, seu alio casu. Caganus pestilentia exercitum eius infestante, domum redire properans, ostendit posse redimi captiuos, & pro singulis vnum aureum petit. Negat Mauritius, seu auaritia, vt scribitur, seu pertinacia, se redempturum esse captiuos. Iratus igitur Caganus omnes trucidari iussit. Horum interitus cùm magnum dolorem multis adferret, ortæ sunt in reliquis exercitibus seditiones, præsertim, quia & Petrus frater Mauritij Dux stipendia indignè pendebat, & in tantum odium venit Mauritius, vt in die Natali Christi ingrediens in templum, penè lapidibus obrutus sit. Cumq; varij essent in vrbe & in castris tumultus, milites ad Istrum Centurionem Phocam virum Thracium sublatum in clypeum iubent Imperatorem à toto exercitu nominari. Hic cum turbæ militaris acclamationibus nominatus esset Imperator, properat Constantinopolim, vbi eum in suburbano coronat Patriarcha Cyriacus. Ingressum in vrbem populus recipit. Et quia ad Chalcedonem Mauritius ægrotus cum coniuge & paruis filijs & filiabus fugerat, sequi eum Phocas Tyrannus iussit. Suntq; in portu spectante Phoca primùm duo iuniores filij Mauritij necati, deinde tres filiæ, post has mater Constantina, filia boni Principis Tiberij. Spectauerat Mauritius filiorum & filiarum neces mirando silentio. Sed cùm videt sanctam coniugem etiam feriri, hanc edidit confessionem suorum delictorum: Iustus es Domine, & rectum est iudicium tuum. Posteà & ipsi Mauritio caput præcisum est. Cadauera in littore abiecta sunt, vt à populo conspicerentur, quæ deinde ab Eunucho quodam in templo sepulta sunt. Hæc aliaq; atrocissima mala auaritiam Mauritij secuta sunt.

Nec verò diuinam vindictam Tyrannus effugit. Cùm Mauritium interfici iussisset, mox crudelitatem in eius

amicos exercuit. Posteà toto Imperij tempore, vt homo ignobilis iniustè nactus potentiam, tantùm ea ad priuatam vsus nequitiam & crudelitatem, deditus luxui & libidinibus, rapuit aliorum coniuges, multos innocentes interfecit, exhausit prouincias tributis. Domi igitur temulentia & stupris retentus, sinebat imperium alibi à Persis, alibi ab Hunnis & Cagano vastari, ac sceleratus exercitus, qui conspersus fuit sanguine Mauritij, mox in Oriente pœnas dedit. Victor enim Cosroës duobus magnis prælijs, trucidata magna multitudine, reliquos abduxit captiuos. Cùm igitur Tyrannus Phocas in odio esset, non solùm populi, sed etiam principum, coniungunt se Priscus, qui Mauritij tempore inter præcipuos Duces fuerat, & tunc Phocæ gener factus erat, & Heraclianus Africæ præses, & Photius, cuius vxorem Phocas rapuerat: resq; ita instruitur, vt eodem tempore Briscus Thracium exercitum, & Heraclianus Africanum ad Constantinopolim adducant, & Photius cum parte militum Regiam occupet. Quanquam autem Prætoriani arcere venientes conati sunt: tamen Africanus exercitus, trucidatis paucis, temulentos illos dissipauit, & vrbem ingressus est. Photius occupata Regia cepit Phocam, & ad Heraclium filium Heracliani Ducem Africani exercitus adducit. Ibi milites adducto Phoca brachia & pedes mutilârunt. Scribunt & execta esse pudenda, posteà caput præcisum est. Hic fuit exitus Tyranni, qui Imperatorem suum Mauritium interfecerat, & postea multa scelera addidit. Agnoscatur ergo & in hoc exemplo ira Dei, denunciata in his Regulis: Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit. Item: Omnis anima, quæ fecerit has abominationes, eradicabitur.

Fuisse

FVISSE tetras libidinum confusiones in Tyrrhenia, narrat Timæus. Occasio autem, qua Celtæ & Senones in Tyrrheniam adducti sunt, hæc fuit:

Adolescens nobilis Clusinus, Lucumon, tutoris coniugem rapuit. Tutor hoc iusto dolore incensus, inuitauit Celtas, vt sedes quærerent in ea parte Italiæ vberrima, & scelus Lucumonis punirent. Ita cùm Deus vniuersæ gentis Tyrrhenæ scelera puniturus esset, egreßi ex horridioribus locis Celtæ & alij, Tyrrhenos oppresserunt.

PAVSANIÆ Spartani, qui Dux ad Plateas fuit, tanta fuit modestia in victoria, vt cum eum adhortarentur quidam, vt capita interfectorum ducum Persicorum affigeret cruci, sicut Persæ caput Leonidæ simili pœna affecerant, responderit, se mortuos nulla contumelia affecturum esse, ac satis sibi esse, si iusta faciens & dicens Spartanis suis placeat. Fecit & alia modestè. Remisit captiuam nobilem ad suos. Sed idem Pausanias, cùm postea Byzantium Græci occupassent, factus superbus & crudelis, rapuit filiam præcipui ciuis Bizantij, & hanc noctu insubita consternatione interfecit. Id cùm fecisset, ex statua editus est hic versus, pœnam denuncians

Στεῖχε δίκης ἆσσον μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.

Deinde cum Persis fœdera facere conatus est, ad opprimendam patriam, hac conditione, vt daretur sibi vxor filia Xerxis, & vt adiutus auxilijs Persicis Rex Græciæ fieret, eamq́; Persico imperio subijceret. Reuocatus igitur ex Byzantio, cùm Ephori eum deprehensuri, & in carcerem ducturi essent, fugit in templum. Ibi cùm audissent Ephori ipsum fatentem crimen, inclusus fame perijt. Et mater Alcithea, cùm muro fores obstruerentur, primum lapidem in ea obstructione locauit.

XERXES post bellum Græciæ illatum reuersus *in Asiam, cùm fratris uxorem & filiam amaret, fratrem interfecit. Secuta igitur est pœna incestas libidines & crudelitatem. Aliquantò enim pòst Xerxes ab Artabano interfectus est.*

NE inter fratres de Regno certamina orirentur, *Darius Nothus ante suam mortem filium natu maximum Artaxerxem Regem constituit. Tradidit autem secundo filio Cyro sine regio nomine gubernandam Lydiam & Ioniam. Sed post mortem patris Cyrus, siue à matre incitatus, quæ oderat coniugem Artaxerxis, siue alioqui ardens cupiditate dominationis, bellum fratri intulit, & magnum exercitum ex minore Asia aduersus fratrem vltra Euphratem duxit. Interea & Artaxerxes contraxit magnum exercitum, & cum Cyro dimicauit. Eo prælio victo & interfecto Cyro, capta est in castris Aspasia, mulier Ionica, quam Cyrus magis amauit quàm cæteras concubinas: adeò enim & forma & ingenio excelluit, vt nominata sit σοφὴ καὶ καλή. Hanc captam Artaxerxes valde amare cœpit. Cùm autem filium Darium Regem creâsset, & consuetudo esset, vt die, quo pater filium Regem renunciauerat, liceret filio donum petere à patre, quodcunque vellet, idque patrem largiri oporteret, filius Aspasiam petiuit. Etsi dolebat eam pater ab se abduci, dedit tamen: nec multò pòst rursus eripuit. Inde inter filium & patrem orta simultate, filius incitatus, & adiutus à Tiribazo, constituto tempore cum armatis irrumpit in cubiculum patris, vt eum interficiat: Sed præmonitus pater effugit insidias, & ibi Tiribazus, & cæteri Comites armati à patris satellitibus interficiuntur, filius Darius capitur, & postea re iudicata in Principum consilio (quia pater solus de filio statuere noluit) interficitur.*

Hæc

Hac pœna secuta est incestas libidines. Duxit autem pater uxorem filiam Atossam. Et cùm iam Ochus filius regnum appeteret, fratrem Arsamen ipse interfecit. Alteri fratri tantum incußit terrorem, vt ipse sibi mortem consciuerit. Hic aditus fuit Ocho ad regnum, qui postea cum filijs perijt, & Cyri posteritas prorsus extincta est. Et calamitas filiorum Artaxerxis Mnemonis incesta consuetudine polluti ostendit, peccata in semine postea in sobole puniri. &c.

ANTONINVS Bassianus Caracalla crudelissimus & incestus. *Initio Imperij fratrem Getam natum ex Iulia, quem pater voluerat fratris collegam esse, interfecit, pendentem de collo matris Iulia, & clamantem: Mater opem fer mihi, interficior. Ac mater non tantum sanguine filij respersa est, sed etiam vulnus in manu accepit. Hæc tamen postea priuigno Baßiano nupsit, & quidem inuitans eum. Cùm enim quasi per negligentiam coram eo nudâsset sinum, & ille diceret, Vellem, si liceret. Illa contra ait: Si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? publicè igitur eam duxit, & vxoris loco habuit. Tandem cùm multa turpiter & crudeliter fecisset, consilio Macrini præfecti prætorio, à satellite Martiali, cuius fratrem interfecerat, occisus est. Cadauer missum est nouercæ & vxori Iuliæ, quæ Antiochiæ erat. Illa super corpus Baßiani iacens, sibi mortem consciuit. Hic fuit exitus incestæ consuetudinis.*

IN historia Heraclij considerandа etiam est incesti coniugij pœna. *Prior coniunx Heraclij fuit Fabia Eudoxia, ex qua natus est filius, qui nominatus est Constantinus Iunior, cuius posteri aliquot retinuerunt imperium, quanquam nouerca ipsum veneno necauit, vt Imperium ad filium natum in coniugio incesto transferret. Nam Heraclius*

clius post mortem Fabiæ duxit fratris filiam Martinam, ex qua natus est Heraclionas. Hunc vt faceret Imperatorem mater, veneno tollit Constantinum, sexto mense postquam patri Heraclio successerat. Adiuuit hæc consilia Pyrrhus Patriarcha, qui oderat Constantinum rectè sentientem. Tenuerunt Imperium Martina & filius Heraclionas non toto biennio. Nam Senatus eos cepit, & matri linguam præcidit, ne oratione populum concitaret: Filio nares præcisæ sunt, & missi in exilium in Cappadociam, ibi miserabiliter in carcere mortui sunt. Pyrrhus Patriarcha ex fuga retractus & interfectus est.

APPIVS Claudius Decemuir, Virginiam ingenu*am puellam, Virginij honesti & strenui ciuis filiam, Icilio iuueni egregio iam desponsatam, non ex Virginio, sed ex Liberti sui serua natam esse asserere audens, Virgini diem dicit insanoq́; erga eam amore incensus, per vim, sub iuris tamen prætextu, frustra Virginio patre, sponsoq́; Icilio, omnibus eorum amicis, & quotquot honestatis amantes erant ciuibus rei indignitatem fœditatemq́; deplorantibus, ad stuprum rapere conatur. Cumq́; Tyrannidi & viribus Decemuiri, iusticia, leges, & honestas cederent, & nihil vsquam auxilij videret Virginius, Quæso, inquit, Appi, primùm ignosce patrio dolori, si inclementius in te sum inuectus: Deinde sinas hîc coram virgine nutricem percontari, quid hoc rei sit? vt si falsò pater dictus sum, æquiore hinc animo discedam. Data venia, seducit filiam ac nutricem prope Cloacina ad tabernas, quibus nunc Nouis est nomen, atq́; ibi ab lanio arrepto cultro: Hoc te vno quo possum, ait, modo filia in libertatem vindico, pectus deinde puellæ transfigit, respectansq́; ad tribunal: Te, inquit, Appi, tuumq́; caput sanguine hoc consecro. Clamore ad tam atrox facinus excitus Appius, comprehendi*

Virgi-

Virginium iubet. Ille ferro quacunque ibat viam facere, donec multitudine etiam prosequentium ruente ad portam perrexit. Icilius, Numitoriusque exangue corpus sublatum ostentant populo, scelus Appij puellaeque infelicem fortunam, necessitatem patris deplorant. Orto deinde & in vrbe & in castris tumultu, Decemuiri Magistratu se abdicare coacti sunt, ciuitati libertas restituta, & Appius in carcere mortem sibi consciuit; Et post eum Sp. quoque Oppius collega Appij in carcerem coniectus, ante diem Iudicij finem sibi vitae fecit. Bona vtriusque à Tribunis publicata sunt. Reliqui eorum collegae exilij causa solum verterunt, bona publicata sunt. M. Claudius Appij libertus, assertor Virginij die dicta damnatus, Tybur exulatum abijt: manesque Virginiae mortuae, quàm viuae feliciores per tot domos ad poenas petendas vagati nullo relicto sonte, tandem quieuerunt.

BELLVM Troianum, quod ex adulterio prognatum est, *incidit in tempora Sampsonis Israëlitarum Iudicis. Laomedon Rex Phrygiae annos regnauit triginta tres, huic successit Priamus, qui quadraginta annos regnauit. Cuius sororem Hesionē cùm Graeci rapuissent, interfecto patre Rege Laomedonte, Priamus iniuriam sibi illatam vindicaturus, & par pari relaturus, filium suum Paridem Alexandrum classe & iuuenum flore instructum in Graeciam mittit, frustra illud dissuadentibus eius liberis, Hectore, Helena, Cassandra, quae vaticinabatur ex Paridis expeditione, Ilij, totiusque regni Phrygiae, plurimorumque virorū excidium, quod etiam Sibylla Erythraea suis canebat Oraculis. In Graeciam delatus Paris, Menelai Spartani Regis vxorem Helenam, mulierem eius temporis formosissimam, violato iure hospitij, raptam in Phrygiam secum auexit. Qua irritati iniuria Graeci, magnis conscriptis copijs in Asiam expeditionem suscepêre,*

deci-

decimoque belli anno per proditionem Ilium noctu occupârunt, ciuitatem direptam incendijs deuastârunt, sicq; ob vnius mulieris raptum, exitiali bello Europa & Asia collisa est, & innumeri incerta victoria vtrinq; periêre. Agamemnon domum reuersus, ab vxore Clytemnestra, & adultero Aegystho perfidè & crudeliter interfectus. Patris deinde sui mortem vlciscens Orestes, Aegysthum matremq; suam Clytemnestram occidit, adiuuante eius conatum & consilia sorore Electra. Triseclis Nestor amisso omni comitatu domum redijt. Diomedes exul in Iapygia, quæ est pars Apuliæ, sedem sibi legit, cùm regnum eius obsideret adulter Sthenelus, qui vxorem eius Aegyalen adulteram duxerat. Teucer in patris conspectum prodire, ob Aiacis mortem, qui furore percitus, proprio incubuerat gladio, ausus non fuit. Vlysses amißis omnibus socijs, domum sub habitu mendici post annum vicesimum in patriam procorum insolentia afflictam redijt, & à filio deinde Telegono occisus est. Achilles cũ nuptias Polyxenæ Priami filiæ iam sibi polliceretur, ex insidijs à Paride in templo Apollinis Thymbræi sagitta confixus est. Filius eius Pyrrhus nuptias parans cum Hermione, Menelai Regis filia, ab Oreste Agamemnonis filio in templo Apollinis Delphici trucidatus est. Menelaus in Aegyptum vsq; ventorum impetu delatus, post exhaustas multiplices ærumnas, tandem in patriam reuersus est, vbi ex cæde Agamemnonis omnia turbarum & mœroris plena offendit. Aiax Oilei fluctibus submersus perijt.

CONSTANTINVS Ducas ante mortem Imperium *commendauit Eudociæ coniugi iuramento obligatæ, ne id cuipiam concederet, nisi natis ex ipso filijs, Micaëli, Andronico, & Constantino. Eudocia ergo suscepta administratione, etsi imperium filijs impuberibus conseruare*

potuisset, tamen oblita iuramenti, quo marito viduitatem spoponderat, maritum sibi delegit alterum, Romanum Diogenem, sex post obitum prioris mensibus, & aliquot diebus elapsis. Romanus Diogenes propter connubium Eudociæ Imperio potitus, mox contra datam fidem, exclusa Eudocia, suo consilio & arbitrio omnia administrare cœpit. Moto deinde aduersus Turcos bello, ipse tandem ad Theodosiopolin pugnans, equo ex lethali vulnere collapso, venit in hostium potestatem. Interea quòd in odio esset apud Eudociam coniugem, & liberos ex priore marito natos, Bizantini absenti Imperium abrogatum Micaëli natu maximo Constantini Ducis filio tradiderunt: qui Diogeni reduci (nam Axan Sultanus, pactus cum eo fœdus certis conditionibus eum dimiserat) præter iurisiurandi fidem capto, oculos eruit, ex qua re, cùm vulneris curatio negligeretur, capite toto intumescente, & verminante, miserè mortuus est, post annum tertium, & mensem octauum Imperij. &c.

Senacherib, seu Sanheribis vrbes turritas *Iudæ obsidet, & ad expugnandam Hierosolymam omnes vires intendit, atrocia etiam in ipsum Deum cœli terrarumque creatorem per Rabsalen insolenter euomit. Verùm vna nocte exercitus eius maximus ab Angelo extinguitur, in qua clade Rabsaces audax ille conuiciator simul perit. Imperator cum dedecore Niniuen vrbem imperialem rediens, ad reparandum Numinum fauorem, superstitione crudeli duos paruos filios immolat, ideoque à duobus natu maioribus inter sacra immanissima, ferro transfoditur.*

Antiochi, Demetrij, Nicanoris, &c. alio*rumque complurium, quorum libris Machabæorum fit mentio, tristis exitus, quàm sit iustum Dei iudicium manifestè ostendunt. Antiochus enim Magnus, cùm templa quædam*

ſpoliare noctu aggrederetur, incolarum concurſu in ſacrilegio interimitur. Huius filius Antiochus Epiphanes, cùm tyrannide & faſtu intolerabili extrema genti Iſraëlitarum minaretur, ex Aegypto re malè geſta rediens, in itinere excuſſus ab auriga, morbo fœdiſsimo affligitur, ita vt vermes è corpore putrefacti ereptarent, & carnes oſsibus defluerent tanto fœtore, vt ferre eum nemo ſeruus vellet. In qua miſeria extra patriam in agro moritur, cum regnaſſet annos 12.

ANTIOCHVS Eupator, Epiphanis filius, noua in*ſolentia Iudaeos infeſtans, iiſq́; tantis viribus bellum inferens quantis antehac Graecorum nemo fecerat, anno regni ſui ſecundo à militibus capitur, & ab agnato ſuo Demetrio interficitur.*

DEMETRIVS Seleuci filius, Roma, vbi obſes fue*rat, fugiens, Antiochum Regem ſuum Patruelem interficit, Alcimo proditori Sacerdotium decernit, per Nicanorem & Bacchidem in Iudaeos praeter omnem modum ſaeuit. Cùm annis vndecim ſuperbè & impiè regnaſſet, victus à Iudaeis Alexandro Syro ſe coniungentibus, & regno & vita ſpoliatur: nam in palude vliginoſa & profunda cum equo haeſitantem milites telis & miſsilibus obruunt.*

NICANOR Demetrij in Romana cuſtodia ſocius, *& mox in bello legatus, ad gentem Iudaeorum extirpandam cum alijs coniurat, rem initiò inſidijs, deinde armorũ agens violentia, cumq́; toti genti exitium minaretur, praelio cum Iuda commiſſo, ipſe inter cadauera exanimis repertus eſt, cui & lingua praeſecta eſt, & caput, humeri, brachium & dextera amputata & publicè ſuſpenſa ſunt.*

APRIES Rex Ægyptiorum blandientis fortunae ap*plauſu elatus, à nullo neq; Deorum neq; hominum regnum ſibi adimi poſſe temerè ſibi perſuadebat. Sed tandẽ ab Amaſi*

praelio

prælio victus, Aegyptijsq́; eum ad necem deposcentibus, strangulatus est.

PVNITÆ etiam superbiæ exemplum in Aiace Te- *lamoni poëtæ nobis exhibent. Is .n. à patre monitus, vt adiuuantibus Dijs speraret victoriam, superbè Deorum se nequaquã indigere auxilio respondit. Verùm is fuit superbiæ huius exitus, vt suo tandem gladio incumbẽs, tristi morte periret.*

THVLIS Rex Ægypti potentissimus, potentia ac *fœlici omnium rerum successu sublatus, cùm scire cuperet, an etiam Rex aliquis in mundo potentia & opibus ipsum superaret, accessit ad templum Serapidis, ibiq́; consulto ea de re Oraculo, responsum accepit his versibus:*

Πρῶτα θεὸς &c.
Primùm est Deus, postea Verbum, & Spiritus cum ipsis.
Eiusdem verò sunt essentiæ hæc omnia, in vnum euntia,
Cuius potentia æterna est. Tu verò pedib[9] velocibus abi
Mortalis, vitæ finem exigens obscurum.

Quo responso accepto Thulis mox inde digressus, à suis ministris interfectus miserè perijt, ac pœnam superbiæ dignam luit.

MACEDONVM Rex Philippus, cùm post nobilem *in Cheronæa victoriam insolentiùs extimuisset, factusq́; esset arrogantior, & veluti liberali iure adoptatus à fortuna de se magnificentius sentiret, paulò asperiorem, & quæ tyrannicum quiddam suboleret, ad Archidamum Agesilai filium Epistolam conscripserat. Qua is commotior, cogitansq́; (quod res erat) euentu prosperiore cristas homini surgere, ita demum censuit respondendum: Si vmbram tuam metiri volueris, haudquaquam nunc maiorem deprehendes, quàm fuerit ante victoriam. Responsum sanè elegans, & Spartano principe dignum.*

Post victoriam, cuius modò meminim[9], Philippus

conuocatis Græcarum ciuitatum Legatis Corinthum, ibi Dux Græcorum contra Persas nominatus est, & constituta pace Græciæ in Macedoniã rediit, ac translaturus bellum in Asiam, misit eò partem exercitus. Sed dum commoratur domi, & ostẽtat regium splendorem cùm aliis spectaculis, tùm vero etiam sacrificio, in quo suam statuam inter Deorum statuas collocauit, in spectaculo quodam à satellite Pausania interfectus est, sicut Oraculum prædixerat, victorem breui pòst moriturum esse: Flet victus, sed victor mortuus est: κλαίει νικηθεὶς, καὶ ὁ νικήσας ἀπόλωλε. *Ita Rex præstantissimus consilio & fortitudine, adhuc ætate florens, tantum enim vixit annos sex & quadraginta, interfectus est, cùm & inter Deos coli vellet, & obscœnis voluptatibus se dederet. Quæ delicta Deus horribilibus exemplis punit etiam in hac vita.*

ALEXANDER Magnus cùm omnium virtutum *Heroicarum excellentia præstantissimis etiam Regibus, & qui ante & post ipsum vixère, præferendus esset, facinoribus turpissimis, vt primùm rerum gestarum magnitudine elatus insolentior factus est, superbiæq; locum dedit, nominis sui gloriam defœdauit. Ante captam Babylonem fuit modestus, temperans, in imperio iustus, non indulgens iræ vt iniustam crudelitatem exerceret, sapiens in præficiendis gubernatoribus. Nihil igitur in illo imperio pulchrius erat ipso Rege propter virtutem. Posteà nihil turpius & deformius fuit. Nominari se Deum, & coli Diuinis honoribus voluit. Hoc tantum scelus pœnæ secutæ sunt, certamina in ebrietate, in quibus interfecit Clitum, à quo seruatus fuit in pugna ad Granicum, & alia multa turpissimè fecit. Adorari voluit, & Callisthenem Philosophum, natum ex consobrina Aristotelis, qui eum adorare recusauit, includi in caueam iussit, & circumduci spectandum, ac tandem interfici,*

terfici, versum addens, μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Hoc est, Odi sapientem, qui sibi non sapit. Et creuit furor adeò, vt interficeret senem Ducem optimè meritum Parmenionem, qui præcipuus inter Duces Philippi, & ipsius Alexandri fuerat. Cum Calani Indi Philosophi celebraret exequias, Musicum certamen & palæstram, item ob Indos vini studiosos, Meri certamen instituit, in quo primum præmium erat talentum, secundum Minæ triginta, tertium verò decem. Ex ijs qui vinum biberunt, triginta & quinq; continuò ob ingens gelu obortum interierunt: at sex pauco interuallo interposito mortui sunt in tentorijs. Qui primùm bibendo vicit, vini quatuor choas hausit, promachus Macedo, & propterea ab Alexandro talenti corona donatus est, sed triduò tantùm superuixit. Plurimum bibebat Proteas Macedo. Cum igitur poculum bicongium Alexander aliquando expetîsset, bibensq; Proteam prouocasset, ille accepit, atq; cùm Regem pluribus verbis laudasset, ita bibit, vt ei ab omnibus applauderetur. Postea verò, exiguo tempore interposito, idem poculum expetiuit Proteas, rursusq; bibit regem prouocans. Quod capiens Alexander, egregiè quidem bibit, non tamen potuit ferre, sed poculo manibus demisso in puluinar decubuit, cumq; sic & helluatione & libidine ardentissimam sibi febrim accersiuisset, ad vesperam Babylone est mortuus.

PLAVCIANVS ex tenui loco ad summam potentiam *& maximas opes à Seuero euectus est, adeoq; charus ei fuit, vt filiam eius dederit Seuerus Bassiano. Sed scribit Dion de Plauciano: Omnia concupiscebat, omnia petebat, omnia accipiebat, nec gentem nec vrbem vllam relinquebat non spoliatam, sed omnia & vndecunq; rapiebat. Cætera magis tetra omitto. Talis cùm esset, non potuit*

diuturna esse felicitas. Sed primùm hoc furore punitus est, vt vita Seueri & Baßiani insidias strueret, quibus deprehensis, Plaucianus à Seuero in palatium vocatus, ibi interfectus est, & cadauer monstratum Iuliæ, vt lætaretur, & filiæ Plauciani, vt dolore afficeretur. Hic fuit exitus hominis aulici, qui fiducia potentiæ suæ, nimiam licentiam sibi sumpserat, oblitus huius præcepti: Fortunam reuerenter habe, quicunque repentè Diues ab exili progrediêre loco. &c.

EVNVCHVS quoq; Eutropius in Arcadij aula, cuius *fuit summa potentia, iustas pœnas dedit. Hunc talem fuisse præstigiatorem scribunt, vt Gorgoni comparatus sit, vt sæpè in aulis regnant tales pestes, qualis apud Tiberium fuit Seianus, & apud Seuerum, vt dixi, Plaucianus. Hic Eutropius cùm venderet Magistratus & Sententias, daret ac eriperet prouincias quibus vellet, & tandem Consul factus esset, transferre in se Imperium conatus est. Sed in ipso consulatu Arcadius ei caput præcidi iußit. Scribunt autem hunc ipsum Eutropium fuisse ante id tempus suasorem legis, vt liceret sontes ex templis vi abducere, qua lege postea & ipse ex templo extractus est.*

LVDOVICVS Rex Francorum, Tornaco præfecerat *Oluerium ex barbitonsore auratum militem, hominem minoris ab ortu fortunæ, nunc magnis principibus coæquatum, quòd Regem magnis obsequijs demeruisset. Sed exitus compar erat natalibus. Nam filius Ludouici, patre mortuo, vix regnum ingressus, in noua & magna furca, quam ipse iußit extrui, mandauit suspendi hominem, qui per superbiam omnium in se principum odia conciuit. &c.*

TRYZVS tyrannus volens omnes insidiarum & *coniurationum contra se vias intercludere, legem suæ Regionis incolis posuit, vt nemo cum altero neque priuatim neque publi-*

publicè sermones misceret. Itaq; dolo eludentes tyranni mandatum, nutu gestibusq; animi sensa inuicem significabant & accipiebant. Quod cùm idem tyrannus prohibuisset, in forum progressi ciues profusè lachrymati sunt. Sed eam oculorum libertatem compressurus tyrannus, quanta potuit celeritate cum stipatoribus & satellitibus accurrit. At illi iusta moti indignatione conspecto tyranno, arma satellitibus eripientes, eum interfecerunt, & cadauer dilaniatum in partes deuorandum obiecerunt canibus.

BODINVS scribit, se audiuisse ex Insulano Abbate *Nouallorum Domino, & ex nobili Polono, cui nomen Priuinski Legato in Galliam, vnum ex maximis Christiani orbis Regibus auidum sui exitus cognoscendi, Iacobitam Necromantē ad se accersiuisse, qui cōfecta Missa & sacrata hostia, primogenitum quendam decennem puerum, ad hoc comparatum, truncari iussit capite: eo hostiæ imposito certas voces pronunciasse, characteras, quos scire non attinet, adhibuisse, ac tum roganti quid vellet, caput duobus verbis respondisse: vim patior: Illicò furibundum Regem indesinenter clamauisse, tollite caput istud, & in eo furore expirasse. Non dissimilis huic historia Theodorici Imperatoris legitur, cuius supra quoq; mentionem fecimus, qui postquam Symmacho ceruices præscindi curauisset, apposito ad mensam ingente pisce, visus est sibi videre caput Symmachi, & furore correptus paulo post vita defunctus est. Quis autem duas illas voces in os pueri inditas fuisse à Deo dubitet? Græcè enim Latineq; puer nesciuerat, & repentina tum horrendi sceleris vltio certè à Deo sumpta est: nisi quis forte dixerit, Spiritum pueri aut Angelum prolocutum esse, & Regem excarnificasse ad vindictam sceleris. Nam quò innocentior est sanguis, eò vindicta grauior.*

Homi-

HOMINVM interfectorum animos plerunque *instare vindicandis occisoribus veteres affirmârunt. Pausaniam Lacedæmoniorum Regem in Plutarcho legimus, cum esset Constantinopoli, generosam adolescentulam munere accepisse: vt autem puellam virginem ad ipsum pudebat accedere nisi digressis omnibus, solam cubiculum ingredientem noctu lucernam abiecisse, cuius casu Pausaniam repentè excitatum, & tanquam si vita ipsius in tenebris peteretur attonitum arripuisse pugionem, & incognitam adolescentulam occidisse: Ex eo tempore sine intermissione Pausaniam à spiritu vexatum esse ad mortem vsq;, quem spiritum adolescentulæ narrabat esse persimilem.*

HOMINEM in vinculis vidi, anno millesimo, *quingentesimo, sexagesimo nono, quòd ira percitus vxorem occidisset, qui data sibi & confirmata venia maleficij, conquerebatur sibi nullam quietem esse: se enim singulis noctibus ab ea cædi. Bodinus.*

INSIGNE exemplum punitæ blasphemiæ recitat *Bodinus, Dæmonomaniæ libro 3. cap. 1. Cætera, inquit, maleficia in homines primò committuntur, vt ait Samuel, blasphemiæ verò honori Dei directè aduersantur, & pertinent ad contemptum eius. Cùm autem ista impietas regnante Carolo nono, in Gallia obtinuisset, vt cùm maximè, Rex Heinricus III. aduenieus, sanctissimum edictum contra blasphemos promulgauit: sed neglecta illius executio est in maximam Dei contumeliam; & continuata blasphemis impunitas. Sed anno 1569. quidam Campanus Trecensis, nomine Bursarius, die Veneris ante Pascha blasphemus fuit comprehensus, sententiaq; in eum lata, vt labium eius candente ferro finderetur, honorariam pœnitentiam profiteretur, & mulctam 500. librarum solueret: prouocauit ad Cu-*

ad Curiam, & è vinculis euasit. Verum post dies septem captus, & in vincula retractus est: Placuit curiæ prius iudicium improbare, vt indusiatus honorariam profiteretur pœnitentiam, lingua candenti ferro perfoderetur, & laqueo finiret vitam.

APVD Gregorium Turonensem, libro 6. capite 35. *legimus, Childeberti Regis vxorem, vt filiolum suum ex maleficio audiuit obijsse, muliebri rabie ingentem Sagarum numerum iussisse comprehendi, cremari, & rotis imponi: quæ Regis filium à se enectum fuisse agnouerunt vt Mummonem magnum Magistrum seruarent incolumem. Captus itaq; Mummo & equuleo impositus certas pinguedines sibi potionesq; à Sagis datas fuisse dixit ad conciliandam principum gratiam, & carnificem, qui torquebat ipsum, indicare iußit Regi, nullum à se dolorem percipi. Tunc imperauit Rex eum distendi trochleis, stylosq; ferreos vnguibus pedum & manuum interseri, prout est in Oriente ratio torquendi, qua sine membrorum fractura, dolor fit intolerabilis. Post dies aliquot ad suos Burdegalenses deportatus obijt.*

PLVRIMVM apud veteres fuit dubitatum, *quod genus mortis in eum institueretur, qui patrem aut matrem occidisset, vt ex lege Pompeia in parricidas constat, cuius nouum & accuratum supplicium lenius postea visum est. Quamobrem Tarquezium maiorem, qui parentem suum Pictauiensem Electum occidi curauerat, Curia Parlamenti voluit discerpi candente forfice, diffringi artus ad rotam, ac postremò concremari: & si ne hoc quidem pacto condignas pro merito pœnas is perferre videbatur, qui vitam ademit ei, à quo acceperat.*

ALTERO quoq; Aresto eiusdem Curiæ nobilis quædam fœmina, quæ virum suum interfici curauerat, viua exusta est: quod illa satis patienter tulit, cruentam subuculã viri sui ante oculos habens. *Hæc Bodinus, lib. 4. c. 4.*

LVTETIÆ dulciarius pistor è suspensorum carne faciens artocreata, viuus crematus est, domus euersa, & interdictum ne ædificetur denuò: sic locus perdiu in icuncularum vico desertus mansit.

CYNOPS Magus, D. Iohanni resistens, fingebat se suscitare mortuos, & Dæmonibus colloqui, in Pathmo insula quæ est vna ex Sporadibus. Is tandem precibus Apostoli fluctibus absorptus periit.

ARPHAXAT & Zaroës Magi, se pro Dijs venditârunt, in Naddauer vrbe Aethiopiæ, fictis miraculis clari. Duos Dracones in vrbe circumducebant. Eos Matthæum Apostolum sopiisse, & vrbe excedere iussisse: tandem ipsa hora martyrij Simonis & Iudæ Apostolorum, fulguris ictu exustos fuisse tradit Abdias Babylonius Episcopus, libro 6. certaminum Apostolorum.

AARON cum gratia & auctoritate plurimum apud Manuelem Comnenum Imperatorem posset, magiæ accusatus est, & excæcatus, cum simulachrum testudinis prolatum esset, in quo erat imago hominis, qui ambos pedes habebat in compedibus, & pectus clauo transfixum. Est & librum Salomonium euoluere deprehensus, qui cum legebatur, legiones Dæmonum adducebat. &c. meritas igitur pœnas luit.

IDEM Manuel Comnenus Imp. Sethum, & Michaëlem Siciditem excæcari iussit, qui sub Astronomiæ professione, magiæ & Dæmonum imposturis operã dabant. Nicetas lib. 4.

METHOTIS sacerdos apud Septentrionales præstigiosa arte diuinitatis famam sibi conciliauit. Tandem de-

tectis

tectis fraudibus, à populo occiditur, & quia cadauer eius suo contago plurimos necabat, tumulo extractus, paloq́ affixus computruit. Olaus Magnus, libro 3. cap, 4.

HOLLERVS armorum magico vsu apud eosdem *clarus euasit, & diuinitatis opinionem adeptus est. Osse consecrato tanquam nauigio vastißima maria superabat. Ab æmulis tandem dira morte peremptus. Idem.*

ANTIQVVS Britannorum Rex Badudus, magica *arte, quam paßim docuit, fretus, præstigijsq́ Dæmonum actus eò insaniæ venit, vt sibi alas volandi gratia aptauerit. Cùm in altum tolli cœpisset, repentè cecidit, eoq́ casu collisus ad inferos descendit. Polyd. libro I.*

MVLIER maga apud Berheliam Angliæ villam, *dum conuiuaretur cum suis, corniculam, quam in delicijs habebat, vocalius nescio quid cornicantem audiens, fatalem diem sibi adesse dixit, filiosq́ rogauit, vt corpus maternum corio ceruino insutum includerent in theca lapidea, operculum deinde ferro plumboq́ constringerent, & lapidem tribus magnis circũdarent catenis. Si tribus noctibus ita securè iacuisset, quarto die eam sepelirent. Cantari ꝓ se Psalmos quinquaginta noctibus, & missas celebrari totidẽ præcepit. Matris voluntatem exequuntur liberi. Primis duabus noctibus, cùm Clericorum chori Psalmos canerent circa corpus, Dæmones ostium templi confringentes, duas extremas thecæ funeralis diruperunt catenas, media autem operosior permansit illæsa. Tertia nocte circa gallicinium, strepitu eorum q ostio appropinquabant, totius monasterij fundamenta videbantur succuti. Vnus autem cæteris vultu terribilior, & statura celsior, ianuas collisas in frusta deiecit, inclamatoq́ mortuæ nomine, vt surgeret imperauit, Ea respondente, Nequeo ob vincula: statim catenã, veluti stupam infregit, thecæq́ funeralis*

 oper-

operculum pede detrusit, & apprehensa manu palàm omnibus eam ad templi fores protraxit, vbi in procinctu stabat equus niger horrendum hinniens, vndiquaq; prominentibus vncis ferreis: quibus imposita misera, ab intuentium oculis cum vniuerso comitatu euanuit. Suppetias tamen orantis clamores miserabiles per quatuor ferè audiebantur miliaria. Hæc Vincentius in Speculo histor. libr. 25. cap. 26. ex Guilermo.

HADINGVS Danorum rex, is qui Sildagerum *Gothorum & Sueonum Regem, eiusq; filium Asmundum interfecit, ab incunabulis traditus fuit præceptoribus magiæ peritissimis, Vagnopto & Haphilo Sueticis gigantibus. Ductus est ab illis viuus ad inferna loca, in quibus plurima arcana mortalibus incognita contemplatus est. Didicit quoq; ab Hartgrepa Vagnopti filia in Dæmonum auxilio spem omnem collocare. Conuersatus est familiariter Othino omnium Dæmoniorum nequissimo qui huic primùm in humana specie apparens, bellum in Curetes mouere præcepit, victumq; ex eo prælio suauissimæ cuiusdam potionis beneficio, fortiorem vegetioremq; effecit. Deinde à sene quodam instruendi exercitus industriam assecutus, victor euasit. Sic fallacissimi Dæmones ipsum plurimis ac varijs bellorum casibus exposuerunt, nunc victorem efferendo, nunc rursus victum omni ope destituendo. Seipsum tandem suspendio publicè necandum curauit, cùm Huningi Sueonum Regis amicissimi mortem audiuisset. Iohan. Magnus libro 2.*

RVDOLPHO Habspurgense imperante, Frideri*cus Stuphius, manium eliciendorum gnarus vultu Imperatorem Fridericum II. referens se eundem esse prædicabat, opesq; ingentes, quas Dæmones subministrabant, veteranis*

ad se

ad se confluentibus distribuens magnam hominum multitudinem coëgerat. Cùm ea auctus potentia Coloniæ conuentus agere inciperet, Cæsar cum exercitu Colonia Fridericum abigit, & in Cattorum regionem elapsum persequitur, & à VVetzlariensibus traditumque concremari iubet. Auentinus libro 7. Annalium Boiorum.

MEDIOLANENSIS quædam prope portam *Comensem puerum strangulauit & deuorauit. Cùm super sceleris immanitate torqueretur, ab ipsis Dijs inferis sibi persuasum aiebat, si trimum vel quadrimum puerum immolasset, omnia quæcunque vellet, consecuturam. Proinde grauißimum de ea supplicium sumptum est, rotarumque radijs cancellatim inflexam, ægreque collisis oßibus defractam, mors lenta sæuaque confecit. Arlunus Hist. Mediol. suo tempore hoc accidisse scribit.*

ALLOCVTVM se plurimos asseuerat Iohannes *Franciscus Picus de prænot. superst. libro 4. cap. 9. qui vana spe futurorum delusi ab apparente sibi Dæmone, per inita pacta vocato, vsque adeò vexati fuerunt, postremò vt optimè secum putârint actum, ne vitam amiserint. Alium quoque à Dæmone viuum ablatum nusquam comparuisse, dum curioso cuidam Principi, Troiæ oppugnationem repræsentare, quasi in scena, pollicitus esset, Achillemque & Hectorem introducere prœliantes. Comes item Matisconensis magicæ factionis, hora prandij coram multis Baronibus & militibus abreptus à Dæmonibus legitur, ac ter circa ciuitatem Matisconensem velocißimè vectus cunctis videntibus, atque ter miserabiliter clamasse: Succurrite ciues, succurrite, vti docet Hugo Cluniacensis. Recenti adhuc memoria, anno 1530.*

In excidio Hierosolymitano, Simon Gerasenus, & Iohannes Giscalensis, seditionum authores & tyranni, miseram plebem pseudophrophetis subornatis ad obsidionem fortiter perferendam hortabantur, & obstinationem illorum augebant. Quinimò incenso iam templo, pseudopropheta quidam populum hortatus, vt in eam, quæ de templo supererat, porticum ascenderent, singa salutis à Deo accepturi: Cùm illic congregati essent ad sex millia mulierum & puerorum, igni subiecto omnes concremati sunt. Ioseph. lib. 7. cap. 11. belli Iudaici.

IONATHAN Iudæus, textor, sicariorum vnus, qui è bello Iudaico in Cyrenaicam prouinciam perfugerat, plebi se prophetam esse persuasit, & in solitudinem perduxit, miracula multa se editurum pollicitus. Cyrenenses Iudæi Catullo Pentapolitanæ Libyæ Præsidi motum hunc nunciant, ne illius culpæ & ipsi aliquando arguerentur. Catullus misso exercitu profligauit seditiosos, Ionathanem cepit. Is pœnæ moram quærens, locupletissimos quosq; Iudæorum Cyrenensium falsò accusans, Catulli auaritiæ & crudelitati occasionem subministrauit amplissimam, qui nominatos tantum à sicarijs trucidabat, eorumq; bona publicabat. Sic ad tria millia peremit. Persuasit autem Catullus Ionathæ & sicarijs, vt Iudæorum quoq; Alexandriæ & Romæ degentium nobilissimos accusarent. Paruerunt illi & Romam à Catullo perducti sunt. Vespasiano tamen cognitore mendacij conuicti, pœnas dederunt. Ionathas virgis cæsus, viuus exustus est. Catullus veniam ab Imperatore consecutus non multò pòst morbo insanabili correptus, diris agitabatur, & vmbra eorum quos necauerat, faces sibi intentare clamans, è stratis exiliebat: Tandem defluentibus extis, & intestinis exhaustis, sceleratam euomuit animam, digno tyrannidis supplicio. Iosephus lib. 7. capite vltimo belli Iudaici:

Adria-

ADRIANVS II. finitis ceremonijs Missæ, his verbis *Lotharium Regem inuitauit ad mensam Christi: Si obnoxium te recognoscis à prohibito atq; interdicto tibi à Nicolao Pontifice adulterij scelere, & hoc fixa mente statutum habes, vt nunquam diebus vitæ tuæ VValdradæ pellicis tuæ dudum à te repudiatæ miscearis nefario concubitu, fiducialiter accede, & Sacramentum salutis æternæ tibi ad remissionem peccatorum profuturum percipe: Sin autem conscientia tua te accusat, & lethali vulnere sauciatum proclamat, aut iterum redire mente disponis in mœchiæ volutabro, nequaquã sumere præsumas, ne fortè ad iudicium & condemnationem tibi adueniat, quod fidelibus ad remedium præparauit diuina prouidentia. Lotharius Placentiæ in itinere moritur, & omnes eius proceres eodem anno interierunt, quod plerique diuinæ vindictæ tribuebant. Anno 870. Sigebertus.*

GANGOLPHI Burgundionis vxor, adulterio *commaculata cùm probare vellet innoxiam se esse, in frigido fonte demersa manu adiurauit, ne eam sine prodigij specie, si culpam ferret, inde posset leuare. Mira, & à Deo res facta fuit: cùm à fonte manum tolleret, desiccatam extraxit, non aliter, quàm si in medijs eam ignibus tenuisset. Itaq; ob prodigium à viro separata fuit. Fulgos. lib. 8. cap. 1.*

CVM tempore Heinrici IIII. Imp. Romanorum, *Meginherus Herueldensis antistes, & Burcardus Halberstadensis Episcopus, ob decimas decertarent, inuicem ad tribunal Christi supremi Prætoris prouocantes ambo die dicto subita morte absumpti sunt. Auent. lib. 4. Annal. Boiorum.*

HEINRICVS Moguntinus Archiepiscopus, *cum Canonicorum suorum dissolutos mores ferre nollet, ab ijs apud pontificem accusatur Eugenium III. Mittit ille Arnoldum suum Camerarium Romam.*

Perfidus

Perfidus homo crimina auget. Papa Legatos duos mittit ad cognoscendam causam. A quibus Heinricus deiectus, Arnoldus suffectus est. Heinricus prouocatione ad Pontificem omissa, Ad iustum iudicem Christum prouoco, inquit, Altero anno obijt. Eius morte audita, Cardinales duo eodem die periêre, alter in latrina animam exacans, alter digitos manuum instar feræ arrodens, circa annum salutis 1155. Chronicum Moguntinum.

FERDINANDVS IIII. Hispaniæ Rex Sanctij *4. filius, parentis in regno puer nonum tantum annum agens, successor, per matrem fœminam prudentissimam omnia gerebat. Cùm iam quindecim annis regnasset, duosq; non obscuro loco natos, perduellionis reos ex altissima turri præcipites dari iussisset, ijq; constanter crimen negarent, nec aliquid profecissent: eò confugerunt, vt dicerent se diuinum tribunal appellare, proindeq; meminisset ad dies triginta iudicio sistere. Ferdinandus trigesimo die, cùm dormire crederetur in fata corruit. Ricius lib. 3. de Regibus Hispaniæ, & Fulgos. lib. 1. cap. 6.*

CVM Philippi Pulchri Gallorum Regis consilio, *Clemens V. Pontifex Templariorum equitum religionem damnasset, atq; eorum multos varijs in locis supplicio affecisset, postremò ad eum deductus est Eques Neapolitanus, damnatusq; ad ignem in vrbe Burdegala, conspectis in fenestra Pontifice ac Rege, magna voce in hac verba prorupit: Postquam mihi inter mortales nullus iam superest ad quem appellem, pro graui morte, qua me per iniuriam afficitis, ad iustum Iudicem Christum, qui nos redemit, appello, ante cuius tribunal vos voco, vt intra annum diemq; ambo illic compareatis, vbi causam meam exponam, & ius sine prauo vllo affectu ministrabitur. Intra id tempus*

Cle-

Clemens repentè morte est correptus: nec multò pòst Philippus quoq; interijt. Fulgosus libro 1. cap. 6.

BRITANNIÆ Ducem, qui diu sobole caruisset, *votum fouisse ferunt, liberos si haberet, priores duos alterum Minorum, alterum Prædicatorum religioni consecraturum. Exin voti compotem, primum qui sibi natus est Franciscum appellauit, secundum Dominicum. Natus est ei & tertius filius, quem in Angliam nutriendum misit. Is cum mortuo patre in Britanniam Francisco regnante rediisset, ab eo captus, & in carcere necatus est. Fama est eum cùm neci traderetur, impietatem fratris accusando, qui non contentus Regnum occupasse, animam quoq; sibi eriperet, Franciscum coram diuino iudicio de parricidio responsurum, infra annum citasse. Intra quod tempus Franciscus hydropisi laborans obijt, Dominicus ei successit. Qui cum sine liberis decessisset, Arurum Francorum militiæ principem patruum suum successorem habuit. Aeneas Syluius cap. 43. Europæ.*

APVD Vestrogothos Iohannes Turson, pater *Turonis Ienson equitis aurati, & supremi Iudicis, quendam capite plecti iusserat. Is genibus innixus: En morior iniustè, inquit, teq; voco hac hora ad tribunal Dei, vt respondeas, cur me innocentem morti condemnes. Vix miser ille carnificis manu obtruncatus fuerat, cum etiam Iudex de equo corruit exanimis. Olaus lib. 4. cap. 20.*

CVM Genuensium triremes, aduersus piratas *instructæ, biremem Catelanam cepissent, extra Drepanum vrbem, in Catelanorum atq; Siciliæ insulæ contemptum: Genuenses biremis rectorem furcis noctu appenderunt. At cum miser iniquè se id pati à Genuensibus cõquereretur, cum nunquam eos violasset: Posteaquam perspexit frustra à se*

ea dici apud eos, qui plus odio Gentis, quàm hominis causa mouerentur, pro iniuria ad Deum appellauit, citato patrono Genuensium eo, penes quem grauior mortis suæ culpa videbatur, vt intra sextum mensem coram Deo compareret. Intra quod tempus is quem citauerat, mortuus est. Fulgosus libro 1. cap. 6.

VALENTINVS quidam Mediolanensis Ecclesiæ Episcopus, *Arianorum defensor, homo valde leuis, cùm in Ecclesia B. Martyris Syri sepultus esset, noctu ibi exauditi sunt horrendi clamores. Duo custodes exciti, accurrunt & duos Cacodæmones vident Valentinum pedibus ligatum & vociferantem ex templo trahere. Manè cadauer Valentini extra templum in alio loco conditum inuenerunt. Gregor. Turonens. libro 4. Dialog. capite 53. Vixit sub Iustino Imp.*

CONSTANTINVS Imp. Arianus, infelix in bellis *fuit. Nicephorus lib. 9. cap. 28. In vitæ exitu conquestus est de innouata religione, & in ijs gemitibus expirauit. Theodoret. libro secundo, cap. 32. & libro 3. cap. 1.*

QVO tempore Gothi Italiam vastabant, Reparatus *Romanus, improbus magis quàm ignobilis vir, dum defunctus plangeretur, reuixit: Et mittite, inquit, ad Ecclesiam Laurentij martyris sciscitatum, quid Tiburtius presbyter agat? vidi enim eum rogo impositum acriter torreri: Vidi & alium rogum, qui flamma mucrone cœlū lambere videbatur: de flamma quoq; vocem erumpentem audiui, quæ indicaret quis ille esset, cui pœna hæc parabatur. His enarratis repentè obmutuit, non sidere, sed morte percussus, atq; iterum illuc, vnde redierat, abijt. Tiburtius etiam infelicem animam tunc exhalasse compertus est, de quo hominum præiudicium factum fuerat, nemine non vitam*

illius

illius detestante. Cum enim presbyter esset, nihil presbyteri habebat, præter figuram ac nomen. Marulus libro 6. capite 14.

In Valeriæ prouinciæ regione fuisse Curialis *quidam perhibetur, qui cùm in vigilia Paschæ filiam cuiusdam sibi amicissimi iam adultam ad baptismum tenuisset: contracta spiritali necessitudine eam illo die secum manere petijt. Concessam lautè atq; oppiparè accepit, & quasi à se genitæ amoris signa ostendit, longè alium amorem celans in corde: nocte enim superueniente, misellam nihil tale timentem vitiauit. Cæterum cùm illuxisset, tanti sceleris conscius, ad Ecclesiam procedere verebatur. Ne tamen suspicionem alijs de se generaret, si tam solenni festo sacris non interesset, perrexit non cum modico diuinæ vindictæ timore. Die septimo repente concidit mortuus: Cumq; sepelîssent eum, flamma de tumulo erumpens ardere non desijt, donec cadauer simul cum conditorio consumpsit. Idem.*

Chrysaorium Romanum, opulentum quidem, *sed scelestissimum hominem fuisse constat, ita vt diuitijs an vitijs magis abundârit, incertum sit. Cùm autem graui valetudine quateretur, & iam expirans anxiaret, apparuêre illi teterrimi dæmones, ipsum certatim prehensantes, traherentq; ad inferos nitentes. Qui conterritus ac tremens, maximi filij sui opem flebiliter implorare, seq; super lectum in quo iacebat, huc atq; illuc vertere miseris cœpit modis. Nemo spiritus videbat, & tamen nemo illos ibi conuenisse dubitabat, cùm illius gesta lamentaq; considerasset. Postremò ipse cùm iam amicorum auxilium desperasset, ad hostes conuersus: Inducias oro, inquit, inducias vel vsq; tantùm manè. Dum hoc poscendo ingeminat, animam exhalauit. Idem.*

ROMÆ Tinctor quidam in beati Ianuarij Martyris ecclesia sepultus, nocte sequenti eiulare auditus est, & quòd arderet grauiter lamentari. Manè adaperta sepultura, vestimenta cum quibus positus fuerat, inuenerunt, corpus nusquam comparuit. Gregorius libro 4. Dialog. cap. 54.

IN Sabinorum prouincia Monialem quandam fuisse traditum est, quæ corporis castitatem seruans, linguam procacitatis vitio polluebat. Cumq́ diem obijsset extremum, & in Ecclesia sepulta esset, adituus nocte intempesta Ecclesiam ingressus, vidit illam ante altare distentam secari per medium, partemq́ superiorem igne cremari, inferiorem verò relinqui intactam. Manè igitur visa fratribus narrans, dum locum in quo eam vri conspexerat, ostendit, deprehensa sunt in marmoreo solo ardoris vestigia. Gregorius Magnus, libro 4. Dialog. cap. 50. & Marul. lib. 6. cap. 14. Vbi de horrendis damnatorum pœnis multa ex sacris promit literis.

CAROLVS Martellus Episcopum è sedibus eiecit, quòd Ramanfredo studuisse eum diceret. Is in sedem à Pipino Martelli filio restitutus, Fulradum ædis Dionysij Antistitem ad se vocatum ire ad sepulchrum Martelli iubet, ac corpus quærere, sicubi compareret, animam enim sempiternis supplicijs destinatam. In conditorio Martelli serpens inuentus est, siue quòd ex hominis spina id animantis genus enascatur, siue id diuinæ iræ testimonium eo certius fuit, quòd secundum tam recens funus, sepulchrum alioqui inane, & nullis humani corporis vestigijs reliquijsue apparuisse dicitur, intus vastitas, solitudo, horror, diraq́ species, ac velut incendio atrum, clauso de integro conditorium, ac suis redditum tenebris, Eucherioq́ de manibus

credi-

creditum, qui de corpore vates videretur. Aemilius libro 2.

IN Polonia homo quidam splendidus equestris ordinis, sed violentus & rapax, & suis iuxta ac alienis hominibus grauis, cùm grauiter aegrotaret, admonitus crebrò à religiosis quibusdam viris, vt ad Dei clementiam confugiens, animae suae saluti consuleret. Negauit sibi veniae locum relictum esse, iam enim diuino iudicio traditum se esse daemonum potestati. Nec mora, audiuntur à circumstantibus vehementium verberum & percussionum strepitus. Apparent in corpore aegroti foedi liuores atque vibices, ita vt omnes obstupescerent. Inter haec ille infelix nullam vocem, nullumque gemitum edens, infelicem animam exhalauit. Anno 1276. Cromerus de rebus Polonorum, libro nono.

VALENS Imperator Arianus, cùm Basilium Caesariensem Episcopum, propterea quòd Orthodoxus esset, in exilium vellet proscribere, grauibus ominibus prohibitus est. Primùm enim sella qua vehebatur Imperator, subitò dissoluta est. Deinde cùm vsitatam exilij notam in chartam sua manu scripturus esset, literam nullam, calamo non reddente, exprimere valuit. Postremò filius Imperatoris Galata, in morbum periculosum subitò incidit. Tunc Imperator Basilium accersit, & filius melius continuò habuit: sed cùm Arianos quoque Imperator vocasset, & ab Ariano sacerdote filium baptizari curasset, contra Basilij monita, paulò pòst mortuus est Galata. Theodoretus libro 4. cap. 19.

ERGINVM Minyarum Regem, magna congesta pecunia, cupiditas liberos suscipiendi cepit, quamuis iam senem. Cùm igitur Oraculi monitu adolescentulam vxorem duxisset, Trophonius & Agamedes ex eo matrimonio nati sunt. Ii cùm ad virilem aetatem peruenissent, so-

ſolertia in Deorum templis & hominum regalibus tectis ædificandis præſtiterunt. Erexerant itaq; Delphis Apollini templum, & Hirico ærarium. In eius pariete lapidem vnum ita collocauerunt, vt extrorſus eum, cùm vellent, adductum eximerent. Quoties itaq; libitum eſſet, clam introëuntes, aliquid repoſitæ pecuniæ auferebant. Ea res Hiricum vehementer ſollicitum habebat, præſertim cùm & claues, & ſigna cætera incorrupta cerneret, pecuniæ tamen numerum quotidie immminui animaduerteret. Ad vaſorum igitur ora, in quibus erat repoſita pecunia, laqueos diſpoſuit, quo ſimul ac pecuniam quis eſſet attingere conatus, captus teneretur. Ingreſſus itaq; Agamedes, in vinculis hæſit. Trophonius fratris caput ſtatim præcîdit: veritus nempe, ne cùm illuxiſſet, per tormenta quæſtione habita, & ipſe ab illo, quòd furti fuiſſet ſocius, indicaretur: Mox Trophonius eo ipſo in loco hiatu terræ abſorptus eſt. Pauſanias in Bœoticis.

DVO familiares Arcades iter vnà facientes, *Megaram venerunt, quorum alter ad hoſpitem ſe contulit, alter ad tabernam meritoriam diuertit. Is qui in hoſpitio erat vidit inſomnijs comitem ſuum orantem, vt ſibi cauponis inſidijs circumuento ſubueniret, poſſe enim celeri eius accurſu ſe imminenti periculo ſubtrahi. Quo viſo, excitatus proſilijt, tabernamq; in qua is diuerſabatur, petere conatus eſt. Peſtifero deinde fato eius humaniſsimum propoſitum tanquam ſuperuacuum damnauit, & lectum ac ſomnum repetijt. Tum idem ei ſaucius oblatus obſecrauit, vt qui vitæ ſuæ auxilium ferre neglexiſſet, necis ſaltem vltionem non negaret: corpus enim ſuum à caupone trucidatum, tum maximè plauſtro ferri ad portam ſtercore coopertum. Tam conſtantibus familiaris precibus compulſus, protinus ad portam*

tam

tam cucurrit, & plaustrum quod in quiete demonstratum erat, comprehēdit, cauponemq́ue ad capitale supplicium perduxit. Valerius Max. lib. 1. cap. 7. ex Cicerone lib. 1. de Diuinat.

OTTHO IIII. Dux Bauariæ, cùm multa perperam *& superbè ageret, tandem vilis agricola noctu Deum opt. max. pro tribunali sedentem videre visus est, & (accusatoribus Diuis) subitariæ mortis sententiam ferentē in Otthonem ducem cæterosq́ue principes qui pacem turbarent & insontes opprimerent. Somniū relaturus Otthoni Landshutam venit: sed ab aspectu principis prohibitus, quibusdam præsulibus, & potissimùm Berchtoldo D. Francisci sacerdoti, concionatori clarissimo rē enarrat. Berchtoldus aditum ad Otthonem impetrat, fatum imminens aperit, ac vt resipiscat commonefacit. Surdo fabula narratur. Non multò pòst Ottho filio Heinrico in Hungariā misso, ipse cum altero filio Landshutam rediit. Et cùm tertium diem ante Calend. Decembris cum vxore & liberis hilarē traduxisset, noctu subitò expirauit. Anno C. 1253. Zieglerus in historia illustriū virorum Germaniæ.*

SVB Philippo Valesio Rege, Delphinus Allobro*gum bellum cum Sabaudis (vt inter finitimos assolet) ob finium controuersiam gerebat, bello inclytus, sed alienarum vxorum pudicitiæ infestus. Bohemus Rex Iohannes auxilio illi socio amicoq́ue cùm ire constituisset, filius eius Carolus (vt pontifex Pius narrat cap. 33. hist. Bohem.) per quietem visus est sibi videre, viri diuina specie præditi iussu, præstanti iuuenem forma editiorem in locum raptum, detractaq́ue veste exectum: sibiq́ue interroganti, cur & quisnam tam egregia indole adolescens, tam fœdè atrociterq́ue haberetur? responsum: Delphinum aliena cubilia attrectare solitum, meritas pœnas Numini dare. Somnium filii præsentis elusit pater. Bidui viam progressus, certum nuncium accepit,*

Allo-

Allobrogem in oppugnatione oppidi vulnere accepto ſub idem tempus deceßiſſe. In agro Parmenſi, vbi nocturna quiete id obuerſatum fertur, ædem virginis, vt monumento foret, Bohemus ſtruxit, locupletauit vectigalibus, hancq́; rem teſtatam tabulis Bohemi Regis, legiſſe ſe pontifex tradit. Aemilius libro 8.

LEO Philoſophus Imp. Conſtantinum Andronici *filium, carcere Saracenorum elapſum, ad ſe vocat, doniſq́; varijs affecit, & à primo congreſſu, cùm aureo triclinio eſſet exiturus Conſtantinus, (ibi enim eum conuiuio exceperat Leo) reuocat eum, atq; oculis in imagines Chriſti & Deiparæ, quæ supernè erant collocatæ, defixis, ſic affatur: Conſtantine vide, ne imponat tibi nomen caue, néue ob id Romanis te imperaturum opineris, etenim filio meo Conſtantino id Imperium diuinitus eſt deſtinatum. Locum itaq; tuum tene, neq; te ſuperiora ſomniaueris, alioqui cito tuum, ſi tyrannidem affectaueris, caput, trunco relicto, per hanc portam illatum iri. Et hoc euentu eſt confirmatum. Mortuo enim Leone, Conſtantinus cum inuaſiſſet Imperium, ibi obtruncatus eſt, caputq́; tabo & cruore ſtillans, per dictam portam in Regiam allatum. Cedrenus.*

ERAT Conſtantio Auguſto, Conſtantini Magni *filio tribunus, nomine Amphilochius, conſpirationis in ſe vitamq́; ſuam ſuſpectus: iam ſæpius à multis delatum ad eum fuerat, tanquam ſceleris huius reus foret: Cumq́; ſæpe ad ipſum Auguſtum Amphilochij nomen de hac cauſa repeteretur, Deſinite, inquit, hoc apud me inculcare, breui enim futurum ſpero, vt præſentibus vobis omnibus, meritas luat criminis pœnas. Et cùm fortè in proximum diem ſpectaculum indictum eſſet, in quo Conſtantius, & vniuerſa fermè ciuitas, & Amphilochius aderat, accidit vt ſuggeſtus*

in quo

in quo ipse Amphilochius è Constantij regione ludos spectabat, incerto casu rueret, reliqui omnes collapsi, salui incolumesq; discessêre, ipse vnus ex cunctis acerbo functus est fato, non sine summo eorum admiratione, qui eum toties detulerant, quod Constantius præsentis Numinis vltionem prædixerat. Egnatius libro 1. cap. 6.

DIVVS Seuerinus, anno 476. Iuuauiensibus, *qui hodie sunt Salisburgenses, per Moderatum Psalten Bataviensem cladem nunciat, vt omnes sine mora oppido excedant, inexorabile fatum impendere vrbi nunciat. Illi parêre recusant. Rursum Quintasium quendam mittit, qui aperiat subsequenti nocte interituros, ni euestigio aufugiant. Maximum quoq; pontificem frustra admonet. Iuuauienses confisi viribus, & quòd hostes longius abessent, pro vano terriculamento ducebant. Quintasius, vbi obstinata mente in fata præcipites agitari vidit, ipse vrbem deuotam relinquit, fugam ad Seuerinum Bataviam capessit. Eadem nocte, inopinatò adsunt Germani, vrbem inuadunt, capiunt, diripiunt, incendunt, populum captiuum abducunt, Maximum in crucem agunt, amplius quinquaginta quinq; cum ipso symmistas contrucidant, è rupiumq; cauernis, quò fugerant, sicut adhuc monstratur, præcipites deturbant. Auentinus libro 2. Annalium Boiorum.*

ECELINVS cognomento Monachus, per quie-*tem filiorum vidit fortunam, ea nocte qua primùm cum vxore congressus est. Visus est enim sibi videre collem, in quo Romanum oppidum in agro Patauino situm erat (cui ille imperabat, & Romanus inde dicebatur) ita efferri exaltariq;, vt culmine cælum contingeret: eundemq; paulò pòst veluti niuem liquefieri, adeoq; demitti, vt amplius non extaret. Liberorum casus hunc effectum tulêre. Nam*

Y maior

maior natu filius, & ipse Ecelinus nomine, Veronæ, Pataui, Vincentiæ, Feltrij, Ciuidalisq; ac Marchiæ imperium occupauit. At minor Albericus Taruisij, aliorumq; locorum tyrannidem inuasit. Cæterum postea variante fortuna, salutis anno ducentesimo quinquagesimo sexto supra mille, cum Apostolicus legatus Guelphiq; simul in Ecelinum filium arma mouissent, Patauium cum toto agro amisit. Cùm autem confideret se astu Mediolanum vrbem occupaturum, & ob id Abduam amnem traiecisset, circumsessus ab hostibus, prælio victus, vulnere accepto, iuxta Soncinum captus, eo ipso in loco perijt, ac conditus est. Hoc casu frater Albericus perculsus, cùm diffideret Taruisium retinere posse, in sancti Zenonis arcem se recepit: vbi salutis anno 1200. à suis proditus, in hostium potestatem venit. Illic intuitus coram se sex filios occidi, vxoremq; Margaritam cum duabus puellis comburi, ipse minutatim per singulos artus cæsus, Romanam gentem suam, sicut in somnijs pater habuerat, finiri secum vidit. Fulgosus libro 1. capite 5.

ASTVRVM oppidum in confinio Norici ripensis & *Pannoniæ, à Germanis excisum est. Aperuerat Diuus Seuerinus ciuibus calamitatem in templo, horam quoq; indicans, vti resipiscerent obsecrabat. Verùm surdis cantat: Astures ipsum derident, eò magis voluptati operam dant, ne vt iam morituri genium defraudent. Effugit inde Seuerinus, Germani irruunt, capiunt, vastant, delent, omnes trucidant. Senex vnus, qui nuncius cladis foret, euasit ad Seuerinum Comagenas. Auentinus lib. 2. Annalium.*

AMANTIVS Aruspex ascitus esse dictus est ab *Hymetio, vt ob praua quædam perficienda numinibus sacrificaret. Quæstione diligentius habita, ex ædibus Amantij*

charta

chartæ allatæ sunt, quibus sua manu scribens Hymetius flagitabat, vt Amantius, aliiq; sacrorum solennium consecratores, numina geniumq; Imperatoris Valentiniani erga se delinirent: atq; in extremis tabulis nonnulla continebantur aduersus auaritiam & crudelitatem principis: deniq; & à Frontino legebatur imprecationis formula concepta. Ob id delati & peracti, Frontinus virgis cæsus in exilium ad Britannos ablegatus est. Amantius vltimo supplicio damnatus est. Hymetius ab Ampelio vrbi Præfecto & Maximino Vicario, cum ad Valentinianum prouocasset, Imperator Senatui negotium dedit. Senatus clementiorem sententiam secutus, ad Boas Dalmatiæ locum relegauit. Iisdem temporibus & Campensis quidam Aruspex flammis necatus est. Sed & Lollianus primæ lanuginis adolescens, ideò solùm accusatus, quòd noxiarum artium codicem descripsisse diceretur, & timor esset ne à Maximino in exilium mitteretur, Valentinianum appellauerat. Itaq; ad imperatoris comitatum duci iussus, acerbiorem sententiam nactus est, etenim capite pœnas luit. Aerodius ex Ammiano libro 8.

SVB Valentiniano, ad Apronium præfectum *vrbis Hilarius quidam auriga adductus est, quòd diceretur filium suum vix dum pubescentem tradidisse venefi[co] erudiendum, vt secretiora quædam & legibus interdicta ab eo edoctus, nullo alio conscio, filii artibus ad multa interna adminicula vteretur. Culpam similem esse, tam prohibita discere, quàm docere. Confessum ac conuictum capite damnauit. Is cum laxiùs à carnifice retineretur, elapsus, ad ritus Christiani sacrarium aufugerat, eo extractus, pœnas luit. Idem ex eodem.*

PERSES Macedoniæ Rex, à Paulo Æmilio in *triumpho ductus est. Priusquam Senatus de eo pronunciasset quid faciendum esset vrbano Prætori, coniecit eum in eum carcerem qui est Albæ, cum eius natis. Est autem carcer ille, antrum subterraneum, profundum, tenebrarum plenum & fœtoris, propter multitudinem hominum, rei capitalis damnatorum, qui in eum locum traduntur. Ille per dies septem eo loco miseriam pertulit, vt etiam extremæ conditionis homines eius infortuniorum magnitudinem dolentes, quæ ipsi accipiebant, hæc ei lachrymantes impertirent. Tandem ei gladius ad occisionem, restis ad strangulationem proiectus est data vtriusuis optione. Verùm nihil tam dulce miseris videtur quàm viuere, etiamsi morte dignam miseriam patiantur. In his necessitatibus vitam finiuisset, nisi M. Aemilius, curiæ Præses, & suam dignitatem, & patriæ æquitatem retinens, Senatum cum graui reprehensione commonefecisset, vt si humano metu non terrerentur, quæ in eos animaduertere soleat, qui potestatibus superbius vtuntur. Itaq; ille in mitiorem datus custodiam, & vanas spes fouens, postquam biennium vitæ cupidus durauit, cùm custodes barbaros offendisset, prohibitus est ab illis somno frui, atq; ita miserè finiuit, suæ seditionis, & parricidij, nam prius fratrem suum veneno sustulerat, condignas pœnas luens. Diodorus Siculus libro 31.*

RICARDVS Anglorum Rex, ob tyrannidem *desertus à suis omnibus, à nepote suo Henrico Duce Lancastrio captus, vitæ seruandæ causa regnum vltrò deposuit, id vnum, vt sibi priuato viuere liceret, magni loco beneficij petens. At ne hoc quidem consecutus est. Nam cum Proceres quidam conspiratione contra Henricum facta, ad concitandum populum iuuenem quendam Ricardo facie simillimum*

millimum circumducerent, ijs domitis, ne viuus Ricardus alijs quoq. occasionem daret seditionis, in arce Pontifractensi fame necatus est. Tradunt enim cibaria in singulos dies more regio apposita fuisse, quo sic facinus occultaretur sed esurienti non licuisse non modò non degustare, verùm etiam ne attingere quidem. Anno 1399. Demortui corpus aperta facie (ne quis viuum amplius Ricardum somniaret) ad Langleium cœnobium delatum, & ibi ad sepulturam datum est. Polydorus libro 21.

CAINVS primus protoplasti filius, primus quoque *parricida, & ob idipsum primus fuit exul. Agitabant illum scelerum suorum furiæ, ita vt per orbem terrarum solus vagaretur, metuens ne à quopiam interficeretur, cùm tamen nulli adhuc essent homines, præter Adami liberos. Tanta est conscientiæ vis, vt cum omnia sint tuta, ipsa seipsam persequatur. Genes. 4.*

ALEXANDER Magnus Clytum per temulentiam *interfecerat: Sed mox pœnitentia ductus, telum ex Clyti corpore eductum in se vertit, admoueratq. pectori cuspidem ferro incubiturus, ni subitò eorum, qui tum illi forte apparebant, ocursu, hasta ex eius manibus fuisset extorta. In tabernaculum inde delatus humi deiectum corpus affligit, gemitu eiulatuq. miserabili laniare os vnguibus, circumstantesq. rogare, ne tanto dedecori se superstitem esse sinerent. Per hæc nox tota acta est. Triduum inde clausus iacuit; quem milites vbi obstinato ad moriendum animo in mœrore perseuerantem viderunt, tabernaculum vi irrumpunt, multumq. ac diu illorum precibus reluctatum peruicerunt, vt cibum caperet. Sabellic. libro 6. Ennead 4.*

NERO Rom. Imperator, cùm Agrippinam matrem *clam atq. fraude ab Anicete occidi fecisset, nocturno*

tempore mali conscientia tactus, tanto metu conturbabatur vt de lecto repentè prosiliret. Interdiu perterrefaciebant eum tubicines auditi bellicum canere, cum maximo tumultu, quo in loco Agrippinæ ossa sepulta erant. Quamobrem aliò migrabat, cumq́ idipsum ei accideret, perterritus aliò proficiscebatur, nullibi se ab insidijs aliorum tutum putans. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Nerone.

CAROLVS iunior, Ludouici Germanorum Regis *filius, à Dæmonio grauiter in præsentia patris & optimatum eius vexatus est: & in ipsa vexatione confessus est, hoc sibi ideo contigisse, quòd contra patrem suum conspirationem facere moliebatur. Sigebertus in Chron.*

ODIT Aristides Locrensis insigniter tyranni nomen, *cuius filiam cùm Dionysius maior sibi vxorem deposceret: Mallem, inquit ille, filiam malè perditam videre, quàm tyranni matrimonio locatam. Dionysij vxorem & filias Locrenses in potestatem redactas, ad stuprum & libidinem multitudini obiecere in tyranni inuidiam, inde ad libidinis satietatem vexatas medijs merserunt fluctibus adhuc viuas. Sabell. libro 8. cap. 9.*

PETRVS Candianus, Venetorum Dux, qui le*gitimum magistratum in tyrannidem vertit, sibi & liberis superba regiminis forma exitium peperit. Populus suæ libertatis memor, domum eius iniecta flamma incendit, tyrannum inde deturbat, deturbatum trucidat: filium iugulat in nutricis gremio, amborum corpora ad macellum proijcit canibus lanianda. Idem ibidem.*

TYRANNORVM nullus fuit vnquam inuisior Ece*lino, qui crudelitate & sæuitia cum Phalaride certauit. Puberes ab eo mutilati, pueri concisi, virgines vitiatæ, matronis mammæ ademptæ, prægnantium vteri execti, partusq́ flammis deditus. Quæ scelerum diritas, eo extincto domesticis*

sticis est & necessarijs Taurisij repræsentata. Sex filij Alberti fratris subito populi Taruisini incursu interfecti sunt, Tyranni vxor & filia viuæ in ignem coniectæ. Idem.

SEIANVS à Tiberio in consulatu collega ascitus, *magnis laudibus à Cæsare & ab omni populo affectus, cùm superbiens multa contra Imperij dignitatem perpetrasset, à fortuna fluctuante in cinerem quasi coniectus est. De eo sic scribit Dion libro 58. Seiani casus, inquit, humanam imbecillitatem egregiè ob oculos ponit, monetq; nusquam inflatè se gerere. Quem enim vt præstantiorem se vniuersi ad curiam comitati fuere, tunc quasi nequaquam se meliorem in carcerem rapuerunt: quem coronis ante dignati fuerant, ei tum vincula induxerunt: quem tanquam dominum stipauerant, eum fugitiui instar custodiuerunt, tegimenq; obuelanti sese detraxerunt, alapis ingestis: quem ante prætexta purpura veste decorauerant, cui genua flexerant, ac vt Deo sacrificauerant, eum tum ad mortem duxerunt. Populus quoq; irruens, multo ei clamore hos quibus mortem intulerat exprobrauit, spes quas sibi propositas habuerat, ludibrio iactauit: omnes eius statuas deiecit, confregit, raptauit, quasi ipsum ea contumelia mulctarent. Ita spectator eorum quæ passurus esset Seianus fuit, dum in carcerem cõijcitur. Nulla interiecta mora, eadem die prope carcerem in ædem Concordiæ conuenit Senatus, ac morte eum damnârunt. Itaq; capite mulctatus, in Gemonias proiectus est, eumq; totum triduum populus ludibrio habitum in Tiberim misit: Liberi eius ex Senatus consulto necati sunt. Filia quam pactus erat Claudij filio, constuprata priùs à carnifice, quasi impium esset virginem in carcere perire, &c. Decreuerunt, vt quoniam Domino exonerati essent, nemo Seianum lugeret, vt Libertatis effigies in foro poneretur,*

festua

festus dies ab omnibus Magistratibus & Pontificibus celebraretur: Dies quo is pœnas morte dedisset, annuis Circensibus ludis & venationibus per quatuor collegia Pontificum & Augusti sacerdotes ornandus indiceretur. Ita quem immodicis ac nouis honoribus ad perniciem prouexerant, in eum Dijs quoque nouos cultus statuerunt.

IAM decimum annum Iustinianus II. Constantinopoli imperabat, *cùm à Leontio patricio captus, Imperium & nasum simul amisit: atque in exilium Chersonam, quæ in Ponto est, missus fuit. Leontius tertio anno pòst & naso & imperio priuatus à Tiberio Absimaro, quem Punici exercitus per seditionem ad occupandum Imperium iuuerant, in carcere asseruatus est. Deiecto Leontio, Tiberius Imperium occupauit, suspicionum plenus, cum accepisset iuuenem patricium, Philippum Bardanium nomine, in somnis vidisse, capiti suo aquilam insidere, arbitrabatur ea re imperium portendi, eumque in exilium Chersonam misit. Tollere quoque è medio Iustinianum decreuerat. Cæterum Iustinianus re intellecta, ad Chaganum Turcarum Regem profugit: atque eius sorore in matrimonium accepta, cùm eius quoque cum Trebellio Bulgarorum Rege fœdus iniuisset, magnis viribus ab vtroque adiutus, depulso Tiberio imperium recuperauit, inuentumque in carcere Leontium, post longa tormenta publicè interemit, & propter priora mala suspiciosus, vt Tiberius, cum eum bello cepisset, ipsum quoque occidit. Cum eodem modo perdere Philippicum vellet, & Chersonam euertere, quod in ea exsulem se contemptum fuisse dicebat, contra multorum sententiam, qui ad humanitatem atque clementiam eum adhortabantur, magna classe Chersonam profectus, à Cherronensibus atque Philippico, quos desperatio ad rebellionem impulerat, armis exceptus,*

atque

atq; insuper ab exercitu proditus, in fuga vnà cum Tiberio filio captus fuit. Ambos Philippicus securi percussit, qui de exule Imperator factus, nec multo post ab Anastasio proditus, & lumina & imperium amisit. Fulgosus libro 7. cap. 11. è Zonara.

FVIT Bruneusch, Athanagildi Gothi Hispaniarum *Regis filia, Sigiberti Metensis Regis uxor, quae cum postea ex Ariana catholicam se fecisset, & mutato nomine Brunechilda diceretur, haud multò pòst viro à fratre eius Childerico Gallorum Rege occiso, ipsa in exilium acta fuit. Cum clam Meroueo Childerici filio nupsisset Meroueus, cùm patris, à quo captus erat, iram ferre non posset, sibi ipsi manus intulit. Post aliquod tempus, cum Childericum, qui in regno Metensi patri successerat, accepisset mortuum esse: magno labore assecuta est, vt ad regendam nepotum Theoberti atq; Theodorici infirmam aetatem proficisci posset. Quibus, liberisq; eorum mortuis, à Clothario secundo, qui ad se vnum Gallicarum rerum summam traxerat, Regno priuata, nudaq; nudo ac macilento equo imposita, per tota castra spectanda circumducta, pedibus equo alligata, per saxa, per vepres ac dumeta tracta, dilaniataq; crudelem in modum expirauit. Fulgos. lib. 6. cap. 11.*

SELYMVS Imperium affectans ad Ciurleum *pagum prope Byzantium magno praelio victus, vix Varnam effugit. Rerum inde potitus, necatis fratribus, paucos post annos eodem in loco, pestifero atrociq; ictus morbo, immaturum acerbissimumq; vitae finem inuenit, magno Deo primae temeritatis scelus vindicante, & patrati parricidij iustas exigente poenas. Sabellici Supplem. libro 3. ex Iouio.*

NABVCODONOSOR Rex Babylonius, sibi *diuinos honores arrogare ausus, statuam auream sexaginta*

cubitorum erexit, vt sub eius specie veneraretur. Verum enim verò subitò Dei iudicio mentis expers factus, in bestiam mutatus est, ita quidem vt fœnum comederet, per syluas & campos circumuagans. Elapso septennio Deum recognoscens, mentem recepit sanam, & regnum quod perdiderat. Hieronymus super Danielem.

NIOBE Assaonis filia, Philotti vxor, cum La*tona ob filiorum pulchritudinem certans, hanc tulit pœnam: Maritus eius Philottus in venatione dilaniatur. Assaon filiæ stuprum inferre conatur. Niobe recusante, filios eius in conuiuium vocatos combussit. Niobe ex rupe altissima se præcipitauit. Assaon seipsum interemit. Parthen. de Amat. capite 33.*

ARTAXERXES Mnemon Persarum Rex, cum in*cesta libidine duas filias vxores duxisset, Amnistrim & Atossam, quarum vtramq; Tiribazo satrapæ desponderat: occasionem dedit ei, vt cum Dario filio (qui denegatam sibi à Rege pellicem Aspasiam ægrè ferebat) conspiraret. Quo facto Rex ipse Dariũ filium sua manu in carcere interfecit. Ochus verò, qui Atossam sororem & nouercam deperibat, Ariaspe & Arsame fratribus interemptis, vt expeditam sibi ad regnum viam patefecit, ita quoq; vt Artaxerxes senex libidinosus luctu & mærore conficeretur, effecit. Plutarchus in Artaxerxe.*

CVM Lacedæmonij contra seruos Tænarenses, *qui ex Ilotarum genere erant, per vim atq; perfidiam insurrexissent, ac crudelissimè eos interfecissent, diuinam ob tantam immanitatem experti sunt vltionem. Mox enim tantus terræmotus vrbem concussit, vt quatuor tantùm relinquerentur, quæ non prosternerentur. Aelianus libro sexto de varia historia.*

Callippvs Atheniensis cùm Dionem Syracusis perfidè interemisset, à quo tamen summis honoribus fuerat affectus, & Syracusanorum tyrannide potitus esset, breui dignas pœnas dedit. Nam Catanam cum contenderet capere, protinus amisit Syracusas. Quo tempore dixisse referunt eum missa è manibus vrbe, se tyrocnestim(culter est, quo inciditur caseus) cepisse. Hinc adortus Mamertinos, maxima militum suorum parte desiderata, in quibus erant Dionis interfectores, nulloq́ Siciliæ oppido eum recipiente, sed infestis & detestantibus omnibus, occupauit Rhegium. Ibi egenus & mercenarium militem malignè tolerans, à Leptine & Polysperchonte eodem gladio, quo percussum ferunt Dionem, interfectus est. Plutarchus in Dione.

Polemarchvm, quòd periurio Corinthiorum classem euasisset, scribunt, quoties noctu somnum carperet, à mustela morsum, ac tandem despondentem animum, sibi mortem consciuisse. Heraclides.

C. Civilivs (Liuio Caluilius) Albanorum Rex, qui Romani nominis odio bellum inter amicissimos populos excitauit: antequam ad arma veniretur, periit. Fuitq́ eius mors eò mirabilior, quòd neq́ morbo est extinctus, neq́ veneno, neq́ alterius iniuriæ signo in eius corpore existente. Persuasum multis, ira numinis eum interiisse, quòd autor ab initio fuisset belli inter cognatas vrbes serendi. Non defuerunt qui per aduersæ factionis viros, eum nocturna vi necatum interpretarentur: quidam mœrore & anxietate confectum arbitrati sunt, quòd parùm prosperè res Albana à se mota videretur. Sabell. lib. 4. Ennead. 2.

C. Marivm Coriolanum Volsci, proditionis falsò insimulatum, trucidauere in concione. At non multò pòst à Romanis fusi sunt acie, in qua cecidit Tullius cædis

autor, & præcipuus exercitus flos periÿt, fœdam pacem accipere, quam in populi Romani ditionem fuerunt redacti, & pacti imperata facere sustinuerunt. Plutarch. in Coriolano.

M. CRASSI perfidè à se circumuenti caput Su-*renas Parthorum Dux Hyrodi regi suo in Armeniam miserat. Hyrodes inter epulas Tragœdis Penthea recitantibus illud ludibriÿ causa permisit. Caterùm pœnas & crudelitate Hyrodes & periurio Surenas pependit dignas. Surenam enim breui pòst inuidia gloria eius necauit Hyrodes. Hyrodi verò postquam amisit acie à Romanis fusum Pacorum filium, implicito morbo, qui in hydropisin desÿt, Phraates filius ad maturandam mortem aconitum dedit. Id venenum cum morbus vicisset, atq; vnà cum eo esset expulsum, corpus autem recreatum Regis: ad celerrimam viam Phraates conuersus suffocauit eum. Plutarchus in Crasso.*

VALENS Imperator Arianus, cum Gothi pe-*tÿssent, vt mittere Episcopos vellet, à quibus in Christiana fide instituerentur, pro Catholicis Arianos misit. Ne impunitum Valentis scelus maneret, tulit Deus, vt traiecto Danubio, intra Imperÿ fines, sine alia publica fide Gothi cum consedissent, Valentis auaritia cogente rebellarent. Capta igitur Antiochia, Valente victo vulneratoq;, cùm is fessus in pastoralem casam diuertisset, in ea superuenientibus Gothis viuus combustus est, vt qui missis peruersis doctoribus Gothorum animos hæresi incenderat, viuens cremaretur. Fulgosus libro 1. cap. 2.*

CVM in exilium abiret Iohannes Chysostomus, *Episcopus Constantinopolitanus, in templo incendium exortum est grauissimum, sumpto initio è suggestu, vnde concionari Chrysostomus consueuerat, quòd à crepusculo vespertino ad auroram vsq; durauit, secuta est paulò pòst*

grando

grando maxima. Imperatrix Eudoxia, quarto post die obijt. Vrna eius in qua posita fuerat, continuo quodam motu agitari statim cœpit, & ad annos 35. durauit. Pestis, & fames, & terra motus, inundationes, siccitates & grandines orbem afflixerunt Romanum. Arcadius non multò pòst viuis excessit. Socrates libro 6. Sozomenus libro 4. 8. & 13. Aduersarij eius, Cyrinus Chalcedonensis Episcopus pedis vlcere miserè perijt: Theophilus Alexandrinus pleuritide paulò pòst perijt.

IVSTINIANO II. Imper. crudeliss. Dux exer*citus Helias manibus suis caput amputauit. Filius Tiberius cum materna auia Anastasia (nam mater diē suum obierat) aufugit in ædem quæ est Blachernis, vitandæ mortis gratia: ac sacrarium ingressus, post sanctissimam mensam delitescens, eius pedem vnum complexus, Deum orabat ne interficeretur. Sed qui ad eum missi erant, detractum è sacrario crudelissimè instar victimæ iugulârunt. Et sic Heraclij stirps defecit. Cuspinianus.*

THEODERICVS Rex Galliarum, qui consilio *Brunichildis auiæ, sese sanguine proprij fratris aliorumq́ Christianorum permultorum fœdauerat, ab ipsa sua consultrice vita est priuatus. Cum enim pacatis rebus, neptem ex fratre occiso reliquam in matrimonium ducere vellet, speciosa eius forma illectus, obstitit Brunichildis, dictitans, incestum esse connubium, quod cum fratris filia contraheretur. Illud ægrè ferens Theodericus, cùm ante ab eadem sibi persuasum esset, Theodebertum non suum Germanum sed ex adulterino concubitu prognatum fuisse: cum impetu in eam irruit, gladio volens traycere. Verùm illa ex ipsius manibus elapsa, non multò pòst veneno eum sustulit. Tritemius, & Robertus Gaguinus libro 2. Sunt qui scribant*

eum profluuio alui interiisse, postquam regnasset annos 18. Auentinus lib. 3. asserit eum fulmine ictum, cum post parricidium fratris Mediomatricum vrbem ingressus esset. Bestia verò illa immanis Brunechildis, cum iam præter infinitam vulgi multitudinem, decem etiam Reges morti tradidisset, infelici tandem bello moto contra Lotharium, cui regno cedere nolebat, capta est, & ex sententia omnium procerum, totiusq; exercitus, quater fustibus cæsa antequam ad Clotharium est deducta, deinde coram omni exercitu scelera eius sunt proclamata, & tandem pedibus & brachiis alligata ad caudam indomiti equi, membratim est discerpta, Anno Domini 618. Sigebertus.

RICIMER Gothus cùm Anthenium Imperatorem, *suum socerum perfidè gladio in Italia transfodisset, non diu de perfidia lætatus est: tertio enim mense cœliacus dolor hominem extinxit. Cuspinianus.*

CAROLVS Andegauensis Comes, regnum Neapolitanum *& Siculum Clementis IIII. pontificis iussu inuasit: Manfredum primò sustulit, inde Conradinum Sueuum securi percussit Neapoli. At tandem manibus Conradini parentatũ est. Namq; Petrus Aragoniæ Rex, qui Manfredi filiam Constantiam uxorem habebat, Siculorum conspiratione Gallos omnes ad vnum hora vespertinarum precum trucidari curauit: mox etiam per Rogerium de Loria Calabrum nauali prælio Salernitanum principem, vnicum Caroli Andegauensis filium, vicit, nouem triremes cum magno Baronum numero cepit. Captiui reliqui Mesanam missi, & capite supra ducentos plexi sunt. Carolus cum nouem sociis in custodia retentus. Interea cùm Martinus Papa IIII. Petrum Regem diris deuouisset, Caroli Andegauensis morte audita, Siculi reliquias Gallorum à Rogerio captorum igni carce-*

carceribus immisso concremârunt. Mox conuocatis Syndicis vrbium, Carolum Salernitanum cum nouem socijs securi percutiendos, pronunciârunt, quemadmodum Conradinum pater eius percussisset. Constantia Regina Carolo mortem denunciat feria sexta manè. Tum ille: Hac ipsa die cum Christo pro me innocenter passo & ego nocens libenter moriar. Constantia animi magnitudinem admirata, Ergo & ego in Christi honorem ei quantum in me est parcere decreui. Curauit igitur Carolum in Cataloniam ad Regem Petrum maritum vinctum deduci. Collenutius libro 5. cap. 4. histor. Reg. Neap.

HEINRICVS IIII. Anglorum Rex, Ricardum II. Regem patruum regnandi libidine cepit, & in carcere perdidit. Eius nepos Heinricus VI. ab Eduardo IIII. Eboracensi Duce bis captus, tandem in carcere securi percussus est. Sic peccatum aui luit nepos, & similiter pronepos Edouardus Henrici filius, à principibus in conspectu Edouardi IIII. trucidatus. In quo familia regia Lancastria defecit. Polydorus libro 24.

MARGARITA vxor Heinrici VI. Anglorum Regis, cum inimicorum falsis delationibus Humfredum Glocestriensem Ducem, virum optimum, à regni administratione deiectum in carcere strangulari indicta causa permisisset: non multò pòst ab Edouardo IIII. maritus eius captus, filius optimæ indolis trucidatus, ipsa in exilium eiecta, innocenti sanguini pœnas dedit. Polydor. libro 24.

COLOMANNVS Vngarorum Rex, filio suo Stephano stabile regnum relicturus, de sententia quorundam familiarium suorum, Almum fratrem ac nepotes excæcari iussit. Item Belæ nepoti adhuc infanti testes excindi mandauit. At ille cui patrandum facinus delegatum erat, cum

cum diuinam iram, ac Regni orbitatem formidaret, exertos catuli testes pro his qui forent infantis, ad Colomannum tulit, pioq́ commento Regis sauiciam elusit. Verùm dirum Regis animum præsens supplicium est subsecutum. Nam vix Almus cum filio oculis orbatus in Demesiense cœnobium traductus erat, cum Colomannus repentino morbo correptus, ingenti capitis dolore laborare cœpit. Medicus illi erat Draco, cui plurimum confidebat. Hic remittendi doloris causa, auribus cataplasma admouit. Quod cum diutius Rex pati non posset, remouit illudq́ inspiciendum Othomaro porrexit. Qui Comes Regius, cum eductum in eo cerebrum intueretur, euestigiò exclamauit, Cataplasma certissimum lethi signum ostendit &c. Ad hæc Rex ingemuit, plus humanis quàm diuinis rebus intentus, & tertio pòst die vita excessit. Bonfinius libro 5. Decad. 2.

PHOCAS cum à Romanis Pontificibus, ob con*cessum Primatum, & ab alijs Episcopis de nimia in Mauritium Imp. eiusq́ familiam crudelitate non argueretur, putabat rem benè gestam esse. Sed istis tacentibus, Dominus ipse pœnitentiam concionabatur calamitatibus horrendis. Ex vna enim parte Cosroës Rex Persarum, fœdera rumpens cum Romanis, perniciosum illud orbi classicum cecinit, quo Syria, Palæstina, Phœnicia, Armenia, Cappadocia, Galatia, Paphlagonia, & plurimæ aliæ regiones ab Imperio sunt auulsæ. Ex altera, Auares per Europam omnia vastantes sæuierunt. In pugna Persica, ipso conflictus tempore, ignis cœlestis, quasi cum largo imbre in Romanos irruit, & dimicantes impediuit quò minus victoria potirentur. Suntq́ in illa pugna omnes, quotquot Mauritij sanguine se cruentârant, miserabiliter trucidati: vt cùm paulò pòst Heraclius exercitum lustraret, tantùm sceleris eius, socij*

socij, ex immensis illis copijs Phocæ superstites fuerint. Nicephorus libro 18. cap. 41. Accessit etiam horrenda fames, & pestilentia: hyemes etiam ingentes, ita vt mare frigore congelatum, pisces posteà emortuos eiecerit. Idem.

ANNO 1502. Cæsar Borgia Alexandri VI. Pontificis filius, *qui quatuor Varanios proceres antiquissimæ stirpis Camertes necârat, vt eorum imperio & opibus potiretur: Guidonem Feltrium Vrbino, Pandulfum Malatestam Arimino depulerat: Astoremq; Manfredum expugnata Fauentia sub fide deditum strangulârat: sanguinarias manus Vrsinæ factionis atq; familiæ proceribus admouit. Primò Vitelloccium ab insigni virtute inuisum, & Liberotum Firmanum, moxq; Paulum Vrsinum Latini Cardinalis filium, & Franciscum Vrsinum Grauinæ Regulum in Vmbria tetro supplicio sustulit: eodemq; die ab Alexandro pontifice ad constitutum tempus Baptista Vrsinus Cardinalis in mole Hadriani cantharidum veneno sublatus est. Sed Italicæ nobilitatis stirpes excindenti, affectantiq; Regnum Italiæ non diu fortuna arrisit. Cum cœnaret Vaticana in villa, inuitatus à patre Pontifice, venenum bibit, quod conuiuis quibusdam Senatoribus ditissimis paratum erat, fallente lagenas incautè à poculis ministro. Sed Alexandro vim veneni non ferente, ipse Cæsar paterno funeri miseriæq; suæ interfuit. Nam Iulius secundus Pontifex Alexandro suffectus, eum exutum exercitu, in arce sub custodia tenuit, quoad missis tesseris arx Ostiensis redderetur. Fide demum à Consaluo accepta, Neapolim nauigauit, vbi dum compararet copias, & nouas res moliturus videretur, captus est, & in Hispania custodiendus ad Setabam transmissus. Custodia demum elapsus, ad Nauarrum Regem confugiens, in prælio quodam ignobilis cecidit, armisq; exutus, nudus Pampelonem,*

nem, cui vrbi viuus Episcopi muneri praeesse dedignabatur, deportatus & sepultus est. Iouius libro 8. Historiarum.

SVB Galieno Imp. in Gallijs interfecto Lolliano, *solus Victorinus imperauit, & filium Victorinum Cæsarem appellauit. Sed cum corrumpendis militum matrimonijs vacaret, à quodam actuario, cuius vxorem constuprauerat Agrippinæ, cum filio, qui puerulus adhuc erat, occisus est. Cuspinianus.*

AGATHOCLES Syracusanorum potitus Imperio, *tyrannidem exercuit horribilem, Messanenses simulata pace deceptos sibi subiecit, & DC. eorum suo aduersos imperio iugulauit. Geloos de defectione suspectos, ad quatuor millia trucidauit, cadauera in fossas vrbis deturbauit. Postea in Africam exercitum transtulit, vrbem magnam & Tunetem expugnauit, Carthaginenses obsedit, Vticam miserè euertit: Inde in Siciliā nauigans, Agrigentinos domuit. Postea à fortuna destitutus, relicto exercitu, cum paucis conscensa scapha aufugit. In Siciliam reuersus, cum pecuniæ inopia laboraret, ditissimos quosq; ciues maximam suarum facultatum partem conferre coëgit. Quam rem multis iniquo animo ferentibus, & concurrentibus, Agathocles Aegestanos vt insidiatores reos egit, & vrbē indignis modis afflixit, nam pauperrimos ex vrbe eductos ad Scamandrum fluuium interfecit: eos autem qui opibus abundare putabantur, tormentis excruciando, cogebat quantas quisq; diuitias haberet, dicere. Ac eorum quosdam rotis excruciabat, alios catapultis illigatos sagittis conficiebat, nonnullos exsecabat, & diris cruciatibus torquebat. Excogitauit & genus quoddam tormenti, tauro Phalaridis non dissimile: Sedem fieri iussit ferream, quæ forma humanū corpus referret, ab omni parte clauis compaginatam, in eam collocatis quos cruciare volebat,*

viuos comburebat. Item locupletes fœminas ferreis forcipibus cruciando, pedum calcanea lacerabat, quibusdam mammas præcidebat: Mulierum autem prægnantium lumbis lateribus impositis, eorum pondere fœtus eliciebat. Hoc pacto cum sibi tyrannus opes quæreret, & magnus in vrbe terror existeret, quidam se vnà cum ipsis domibus comburere, alij suspendio vitam finire.

Tandem & ipse numinis vindictam expertus est, viuus candentibus carbonibus combustus. Vis morbi ingens Agathoclem adorta, adeoq́ de eius est vita addubitatum, vt inter filium & nepotem, contentione de regno orta, fœdata sit Regia parricidio, alteroq́ Agathoclis filio, qui minor natu fuit, à filio fratris interfecto, regnum Agathocle adhuc viuo parricidij autor occupauit. Senex vbi nullam pellendi morbi spem reliquam superesse vidit, Theagenā vxorem & liberos, quos ex ea tulerat, adhuc pueros, cum omni pecunia & regali instrumento, quo nemo Regum ditior fuit, nauibus impositos in Aegyptum, vnde vxorem duxerat, dimisit. Diu coniunx reluctata dicitur, charitate viri commota. Filij nauem conscensuri, flebili eiulatu patrem amplexi tenebant. Theagena & ipsa maritum, vt nunquam amplius visura, oculis fatigabat. Nec senis lachymæ erant minus miserabiles. Flebant pueri morientem patrem, ille exules liberos. Sed profectionis necessitas finem lachrymis imposuit, estq́ Regis mors proficiscentes secuta.

Sicq́ Agathocles crudelitatis suæ, si non merita supplicia, certè ad dolorem efficacia rependit, qui liberis maioribus natu crudeliter amissis, duobus superstitibus cum matre in exilium abeuntibus, ipse regno spoliatus in orbitate & solitudine decesserit. Sabellicus libro 8. Ennead. 4.

PTOLEMÆVS Philopator Ægypti Rex, post *clarissimam illam victoriam, qua victor Antiochum Regem ex Palæstina & Phœnicia eiecit, receptis vrbibus quas eo bello amiserat, in pristinam luxuriam iterum demersus, Eurydice sorore sua, eademq́ue vxore interfecta, meretricio Agathoclea amori addictus, Regiæ maiestatis immemor, noctes integras & dies in stupris & conuiuijs consumpsit. Quin & Agathocles meretriculæ frater cum Ptolemæo faciebat stuprum. Qua duplici illecebra ita sibi regem deuinxit, vt regnum suo arbitrio administraret, nemoq́ue minus in suo regno, quàm Philopator posset. In hoc fœdo vitæ instituto Rex vita decessit, paruo filio ex Eurydice seu Berenice, vt Polybius & Iosephus habent, relicto. Agathocles Alexandrinorum incursu interficitur, cuius soror Agathoclea & mater sunt postea crucibus affixa. Sabellic. libro 6. Ennead. 5.*

DRABONVCIA Vratislai Bohemorum Ducis *vxor impia, ægrè ferens maritum ex testamento matri Ludmillæ fœminæ sanctissimæ Regni administrationem, quoad filij adolescerent, reliquisse, immissis satellitibus socrum strangulauit. Boleslaum filium Idolatram in necem fratris Venceslai sanctissimi iuuenis inter epulas armauit. Ipsa non multò pòst hiatu terræ apud arcem Pragensem absorpta interijt. Aeneas Syluius in Historia Bohemiæ.*

HECVBA mœsta, quod duo filij fortissimi He*ctor & Troilus ab Achille interfecti essent, Alexandrum filium accessit, hortatur vt se & suos fratres vindicaret, insidias Achilli faceret, & eum nec opinantem occideret. Quoniam rogauerit Polyxenam sibi dari in matrimonium, se ad eum missuram Priami verbis, vt pacem fœdusq́ue inter se confirmarent. In fano Apollinis Thymbræi, ante portam, Achilli*

sub

sub specie colloquij insidias collocari posse. Noctu eliguntur de exercitu fortissimi, & in fanum Apollinis collocantur, signum accipiunt. Hecuba ad Achillem, sicuti condixerat, nuncium mittit. Achilles lætus Polyxenam amans, postera die cum Antilocho filio Nestoris ad constitutum locum venit. Ex insidijs erumpit Paris. Achilles brachio sinistro chlamyde inuoluto, multos occidit. Alexander Antilochum interemit, ipsumq; Achillem multis plagis confodit. Dares Phrygius.

HEINRICVS IIII. à Gregorio 7. Pontifice *crudeliter exagitatus, cum exercitu tandem Romam ingressus, pontificem in mole Adriani obsedit. Frequenter solebat ire ad Ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ est in monte Auentino, orationis gratia. Pontifex ampla pecunia sicario promissa, monstrat rationem, qua ratione è sublimi perimeret, vt putaretur diuinitus punitus esse. Iubet enim sicarium supra trabes Ecclesiæ occultè lapides magnos collocare, atq; quo posset artificio super caput orantis Imperatoris dimittere, ne sibi plus facesseret negotij. Verùm ista fraus non successit: Dum enim minister sceleris lapidem magni ponderis super trabes collocare tentaret, lapis pondere suo eum traxit, & fracta super trabibus tabula, lapis vnà cum latrone, Dei singulari iudicio, in terram corruit tam validè, vt in pauimento insidiator animam efflaret. Huius rei gestæ ordinem postquam Romani cognouerunt, pedem illius miseri fune ligauerunt, triduoq; per plateas vrbis ad exemplum traxerunt. Benno Cardinalis.*

CHILPERICVS Rex falsis criminibus circum*uentum prætextatum Episcopum Rothomagensium in exilium eiecerat. Chilperico insidijs Fredegundis vxoris adultera sublato reuocatus est à Regina. Ibi libera voce, sed*

alieno tempore, cum exilium ei regina exprobrasset, respondens, se etiam in exilio Episcopum fuisse, illam non perpetuò omnium potentem futuram, nouam Reginæ indignationem concitauit. Ergo Fredegundis die Resurrectioni festo in templo per sicarium sustulit Prætextatum. Tegendi sceleris causa continuò cum aliquot proceribus animam propè agentem inuisit Episcopum, velut vicem eius miserata, dicens se illius casum molestè ferre, mirumq́ esse tam celebri die, in æde sacra non modò ei opem latam nullam, sed ingnorari etiam parricidam. Tunc, vt in morte nihil timens Prætextatus, respondit, eius scelere se percussum, qua & Reges sustulisset. Episcopis authoribus templa ciuitatis Rothomagensis omnia clausa, quoad parricidæ inuestigarētur, cædesq́ ea lueretur. Vile caput pœnas dedit: Iuuenis nullius nominis qui vulnerauerat, filio fratris Prætextati deditus, expressa ei tormentis confessio est, ipsius manu parricidium factum, pecunia accepta à Fredegunde & Melanthio, qui exuli Prætextato subrogatus fuerat, & ab eiusdem factionis Archidiacono. Tunc filius fratris Prætextati contineri præ ira non potuit, quòminùs reum extemplò confoderet stricto ferro. Aemilius libro 1.

C. CALIGVLA Romanorum Imperator, homo ne*farius crudelisq́, qui nunquam humano sanguine satiari potuit, qui post multa horrenda facinora dicere solebat: Vtinam Romani omnes vnam haberent ceruicem, vt vno ictu conficerentur omnes, tandem sensit populo plures manus, sibi autem vnam ceruicem esse. Cum enim ludos magnificis impensis celebraret, festosq́ dies in Palatio ageret, in locum angustum à Cassio Cherea ductus atq́ interfectus est. Quo facto, nemo eorum qui aderant præsentes manus ab illo abstinuit, sed mortuum confecerunt vulneribus: nonnulli etiam*

carnem

carnem eius deguſtauerunt, eiuſq; vxorem ac filiam ſubitò occiderunt. Cadauer eius clam eſt in hortos Lanianos aſportatum, & ſemiambuſtum leui ceſpite obrutum. Xiphilinus & Suetonius.

DEMETRIVS minor Antigoni filius, Macedoniæ *Rex, Ptolemæi Aegyptiorum Regis filiam Berenicen vxorem duxerat. Ptolemæo mortuo, in Arſinoën ſocrum conuerſus, cum ea ſtuprum haud multò pòſt fecit. Longa deinde conſuetudine mulieri addictus, omnium in ſe odia conuertit. Milites inceſtum deteſtati, in Ptolemæi filium fauorem conuertunt. Poſtremò eò proceßit militare odium, vt in Arſinoës complexu ſit Demetrius à militibus confoſſus, à Berenice vxore, vt creditur, immißis. Sabellic. lib. 9. Enneadis quartæ.*

LEVCIPPVS Xanthij filius, hic in amorem incidit *ſororis ſuæ, matri ſupplicans, ne ſe contemneret pereuntem. Ea puellã condormire fecit fratri. Sponſus puellæ re cognita, parente ſuo aſſumpto vnà cum quibuſdam alijs amicis, adijt Xanthium, ac factum ei indicat, nomen tamen non reuelans Leucippi. Xanthius diligentiam adhibebat, vt filiæ corruptorem deprehenderet: cumq; ad thalamum perductus eſſet vbi concumbebant, puella exilijt per fores, ſpe latendi ingredientes. At pater ipſam opinatus corruptorẽ eſſe, machæra tranſuerberauit. Leucippus præ mentis turbatione non præuidens quem peteret, occidit patrem. Ob eam ca[illegible] relicta Theſſalis domo, in Cretam aufugit. Parthen[illegible]*

PIPINVS Magiſter equitum in Francia, ſpreta Plectrude *coniuge, Alpaidem colebat. Id auſum culpare Lambertum Epiſcopum Traiectenſem, Dodo pellicis frater interemit. Quod parricidium continuò manifeſta numinis ira, pœnaq; atrox inſecuta eſt. Ille enim tineis toto corpore repentè ſcaturientibus, fœdo odore cruciatuq; vexatus, in Moſam*

per

per furorem rabiemq́; se præcipitem dedit. Aemilius libro 1.

VILLA Berengarij Regis Italiæ vxor impudicissima, *Bosonis Thusciæ Marchionis filium, Dominicum presbyterum deformosissimum, sed egregiè virum, amabat. Nocte quadam cum ad consuetum cubile veniret, canum latratu proditus, laniatu retentus est & deprehensus. Villa tegendi sceleris causa acerbè hominem, quòd gynæceum suum attentasset, accusare cœpit. Ille minoris criminis confessione maius effugiendi viam sibi à Villa astutè ostendi arbitratus, vnius è pedissequis amplexus se petijsse fassus, testibus exectis pœnam stupri loco adulterij luit. Luitprandus lib. 3. cap. 5. rerum in Europa gestarum, & Cuspinianus in Otthone Magno.*

IOHANNES Maria Vicecomes domestica con*iuratione oppressus perijt. Philippus fraterna cæde perculsus, amicorum suasu Beatricem sibi matrimonio iungit, quæ Facino Scaligero nuper defuncto fuerat connubio locata. Mirum est quàm prosperè ea res Philippo cesserit: Vercellæ, Dertona, Alexandria, Nouaria, & cætera loca, quæ sub Facini imperio fuerant, Beatricis nomen secutæ, in Philippi fidem rediêre. Pari studio Montaneus Siccus, & Fran. Carmaniola duces fortissimi, qui omnes Facini copias fuerant inter se partiti, eiusdem se opibus adiunxêre. Incidit Philippus in [illegible]erendarum rerum cursu in domesticam cladem non [illegible]s inopinatam quàm turpem: Beatrice adulterij comperta. Adolescens eius pincerna, qui cum illa stuprum fecisse dicebatur, quæstioni subiectus, crimen confessus est, ac securi percussus. Beatrix contrà id flagitium constanter inficiata est. Cæterùm cum nihilo secius ad supplicium traheretur, adolescentis truncum intuita, eius manes execrata est, vt fertur, quod pudicitiam suam tota*

vita

vita sanctè à se custoditam, supplicij metu, falso testimonio labefactasset. Sabellic. libro 9. Ennead. 9.

HEINRICVS VIII. Britanniæ Rex, insani *propè amoris libidine correptus, Catharinæ vxori repudium misit, anno salutis 1536. religionis titulum prætendens, quòd Catharina Arcturo fratri suo germano antea nupsisset. Annam igitur Boleniam superinduxit, cui regalia tradita sunt ornamenta, & tanquam ex legitimis nuptijs communicatus genialis thorus. Catharina miserabiliter thoro domoq; pulsa, cum dolorem sustinere non posset, præ mœrore animi extincta est. Exinde Bolenia, sublata veluti pellice thoriq; æmula, inauspicatò triumphans, & masculam prolem affectans, in spem successionis regni, existimauit Henricum ingrauescente iam ætate, & à multo abdomine pigrescentem, parum idoneum fore qui marem progigneret, quod antea fœminas tantum suscepisset. Quamobrem nefaria concepta libidine, vteri fœcunditatem adulterino semine experiri constituit, pellecto ad concubitum Georgio fratre germano, vt is detestabilis incestus, ideoq; incredibilis, extra omnem suspicionem scelus contegeret. Sed non multò pòst fraternos concubitus inanes experta, adiecit procacem animum, nec præsentibus contentum, ad Norreium & Bruertonium equites ex aula illustres, sic vt his exaturata, ad Marcum etiam artis Musicæ Magistrum sibi familiarem inuerecundè descenderet. Hæc flagitia ab ancilla, quæ cum amatore suo ludens, seueriùs ab ipsa Bolenia castigata fuerat, ad Regem delata sunt: atq; eo modo tortis atq; interfectis adulteris, Bolenia damnata est, astante inter Iudices, & suffragium suum ferente Thoma ipso Bolenio patre. Producta exinde in vestibulum Londinianæ turris, satis interrito vultu, pedissequas circa se plorantes*

seruandi pudoris admonuit, collectaq́ subter reticulum coma, lacteam ceruicem, quæ tantopere Regi placuerat, carnifici latum stringenti gladium porrexit. Exinde Rex Someritam virginem, celebratis nouis nuptijs, matrimonio sibi iunxit, quæ Regi peperit Eduardum Regem, & ex partus dolore statim perijt, quartis & quintis nuptijs apud immodicum Regem locum relinquens. Iouius libro 35.

ACHÆVS Rex Lydorum cum noua tributa à *subditis vellet extorquere, populari factione suspensus est, elatis pedibus, & demerso in Pactolum capite. Eius meminit Ouidius in Ibin, cum inquit:*

Morte vel intereas capiti suspensus Achæi,
Qui miser aurifera reste pependit aqua.

SVB Michaële Paphlagone Imperatore Nicopolis *à Romanis ad Bulgarios desciuit, ob intolerabilem auaritiam Iohannis Cuzomitæ Byzantini, quem missum ad exigendum tributum, cum iniquius tractaret incolas, in frusta conciderunt. Cedrenus.*

SVB Iustiniano Imp. Constantinopolitanus quidam *diues ægrotans, sanitatis recuperandæ gratia XXX. argenti libras in pauperes erogauit. Posteaquam conualuit, facti pœnitens, ab amico quodam nulla ratione ad meliorem animum reduci potuit. Amicus tandem, Ergo abi, inquit, & in templo pauperibus denuncia, pecuniam meo nomine à te impensam: eo facto, ego tibi tantum argenti restituam. Abit ille, & nuncio dicto, in porta templi mortuus corruit. Cedrenus.*

PTOLEMÆVS Ceraunus Macedoniæ Rex, Arsinoë *sorori suæ insidiatus, filios quos illa ex Lysimacho fuerat enixa, sustulit, ipsamq́ Cassandriæ vrbis possessione priuauit. Quod scelus vt aliquanto commodiùs conficeret, sororis*

nuptias

nuptias primò ambire cœpit. Abnuere Arsinoë id matrimonium, vt quæ nullam fratri haberet fidem, magis filijs quàm sibi timens, cum quibus se illa in Cassandria vrbe continebat. Demum vltimis execrationibus apud simulacra & puluinaria Deorum interpositis, sincera fide ipsius nuptias sibi deposcere, velle se cum filijs eius Regni consortium coniungere, ipsamq; Reginam appellare, neq; se aliam vxorem, neq; alios liberos quàm ex ea sublaturum. Arsinoë in spem magni connubij futuræq; concordiæ adducta, cum fratre venit in colloquium. Ibi cum Ptolemæi vultus & blandientes oculi non minorem fidem quàm iusiurandum pollicerentur, frustra filio identidem reclamante, matremq; fraternæ fraudis admonente, nuptiæ regali apparatu multaq; lætitia celebrantur. Ptolemæus vocato ad concionem exercitu, sororis capiti diadema imponit, ipsamq; Reginam appellabat. Quo nomine in lætitiam effusa, quia appellationem, quam morte prioris mariti amiserat, recepisset, vltrò virum in vrbem suam Cassandriam inuitat: cuius potiundæ cupiditate omnia dolo malo à Rege fiebant. Prægressa igitur Arsinoë diem festum vrbi in fratris & mariti aduentum indicit, domos, templa, vias, festa iubet fronde exornari, aras passimq; hostias disponi, filiosq; adhuc Lysimachum sexdecim annos natum, Philippum triennio minorem, vtrumque forma insignem, coronatos, auunculo eidemq; vitrico, iubet ire obuiam. Eos Ptolemæus ad cælandam fraudem multa hilaritate complexus, diu osculis fatigat. Mox vrbem ingressus, arcem illicò occupari iubet, puerosq; vnà interfici. Qui cum ad matrem visis percussoribus confugissent, in eius gremio & complexu obtruncati sunt: Arsinoë interim proclamante, quòd tantum nefas nubendo aut post nuptias

contraxisset, suumq́ corpus percussoribus obijciente, vt filios protegeret. His crudeliter interfectis, ipsa conscissa veste duabus duntaxat ancillis comitata, in Samothraciam concessit, eo miserior, quòd cum filijs mori non licuisset.

Furiæ domesticorum scelerum vltricibus Gallorum copijs infandum caput obiecère. Quod vt stultius periret, XX. Dardanorum millia per legatos in auxilium missa repudiauit. Venerunt interim à Belgio Gallorum Duce legati ad Ptolemæum pacem pollicentes: quam se Gallis haud quidem daturum respondit, nisi armis traditis suos sibi Regulos obsides dedissent. Riserunt Galli vanam hominis fiduciam, paucisq́ interiectis diebus commisso prælio, Ptolemæus multis vulneribus confossus viuus capitur. Ipsius inde caput busto ademptum, atq; hasta affixum Galli tota acie ad hostium terrorem circumtulerunt. Macedones & ipsi ad vnum propemodum cæsi. Sabellicus lib. 8. Ennead. 4.

MIRIS fortunæ fluctibus Iustinianus II. agita*tus est. Ob tyrannidem à Leontio, qui post biennalem carcerem libertati restitutus erat, imperio deiectus, & amputatis naribus, ne vnquam ad Imperium aspiraret, Chersonam relegatus est. Hunc Tiberius Absimarus ab Africano exercitu Imp. dictus, Constantinopoli captum, naribusq́ truncatum, in vincula coniecit. Pòst vbi Iustinianus Terbellij Bulgarorum Regis ope imperium recepit, Tiberium cepit, & Leontio coniugans equis, raptos interfici iussit. Cum contra Chersonenses parat expeditionem, illi Philippicum Bardanium, quem Tiberius imperij causa relegârat, Imperatorem creant, qui Iustinianum interfecit cum filio, nec multò pòst ab Artemio, quoniam statuarum cultum abolere vellet, excæcatus est. Cuspinianus.*

In

In Merciorum regno ſecutus eſt bonum patrem *Cenulphum optimus filius Chenelmus admodum puer, caſtiſsimis moribus. Is plenus pietatis, ac ad res duntaxat diuinas intentus, opera Quendredæ ſororis longè ſceleſtiſsimæ mulieris, in prima pueritia ab educatore ſuo iugulatus, & ne facinus vnquam proderetur, in loco deuio terra humatus eſt. Corpus inuentum multo cum honore in cœnobio VVunchelcumbenſi ſepultum eſt. Quendreda non ad curam regni adminiſtrandi, prout ſperauerat, admiſſa eſt, ſed oculis capta, diuerſisq́; cruciatibus afflicta, miſerrimè vitam ad exitum perduxit. Polydorus libro 4.*

Liverottvs Firmianus tyrannidem affe*ctans, Iohannem Frangianum patruum ſuum cum multis alijs ſummis in ea vrbe ciuibus, in domum ſuam per ſpeciem conuiuij perductos, crudeliſsimè trucidauit. Eum non multò poſt Cæſar Borgias Valentinus Dux Senogalliæ per fraudem captum ſtrangulauit. Guicciardinus libro 5.*

Constantinvs VI. cum matre Irene per*egrè profectus, nuncio accepto natum ſibi filium, matre relicta, feſtinauit Conſtantinopolim. Mater filium Iconomachum exoſa, ſimul dominandi libidine mota, Duces donis ac promiſsionibus onerat, vt filium iugulent. Aſſensêre omnes, deteſtati Regis crudelitatem, quærentes occaſionem, ne coniuratio, quæ matri & illis malè ceſſura eſſet, detegeretur. Dum filium nuper natum, cui Leonis induerat nomen, pater infelix lugeret, feſtinantes in Regiam, ſolum capiunt, & oculos effodiunt, eodem die, quo ante annos quinq; Nicephorum patruum ob affectatum Imperium ipſe excæcauerat, aliosq́; lingua truncauerat: decem & ſeptem tum diebus ſole obſcurius (forte ob ſcelus hoc infandum) illuceſcenti. Quod facinus præceſſerat paulo ante ingens*

incendium, quo multi libri D. Iohannis Chryſoſtomi abſumpti ſunt. Sidus Martis hoc toto anno in cœlo non eſſe conſpectum, miraculi loco Regino libro 2. & Adon ætate ſexta annotauit. Conſtantinus materna contumelia impatiens, nullo maiore cruciatu affectus, præ luctu & mœrore expirauit. Irene facta certior de Carolo Magno ſalutato Cæſare, ad eum miſit, qui illius amicitiam & fœdus peteret, Leonem Spatharium, de finibusq́ Imperij cum eo ageret, ac deferret illi ſuum connubium. Quæ res Nicephoro patricio materiam præbuit criminandi Irenen, quaſi per eas nuptias Imperium externis proderetur. Itaq; militum & populi fauore fretus, eam ſine vllo maiore motu in ordinem redactam, in Lesbum relegauit, quarto poſt filij mortem anno. Paulus Diaconus, & Zonaras.

CONRADVS IIII. Cæſar, occupato regno *Neapolitano & Siculo, cum voluptatibus operam daret, fratrum natu minimus Henricus, ſummæ indolis adoleſcens, filius Reginæ Iſabellæ, ex Sicilia, quam ei Fridericus II. pater reliquerat, honoris exhibendi gratia aduenit, comitatus à quodam Capitaneo Saraceno, cui nomen Iohanni Moro, qui eum abduxit in cubiculum quoddam ſecretum in arce S. Felicis in Baſilicata, & illic occidit, Conradi iuſſu. At vindicta non multo pòſt tempore eſt inſecuta. Nam ſub finem quinti menſis à morte adoleſcentis Conradus obijt, potione ipſi per Manfredum fratrem ſpurium (vt creditur) data: ac præterea idem Manfredus iuſsit decapitari Iohannem Morum, & Marchionem Bertoldum, quod præter mortem Henrici, etiam procurauerant mortem Friderici iunioris, nepotis Friderici Cæſaris, ex Heinrico filio, quem teſtamento crearat auus Ducem Auſtriæ, cum decies*

cies mille vnciȷs auri. Quam pecuniam cùm infelix adolescens venisset petitum, quò in Austriam proficisci posset, Iohannes Morus, Manfredi iussu, quasi pecuniam numeraturus, Melphiæ ad cœnam ipsum inuitauit, & apposito pisce intoxicato, consilio Marchionis Bertoldi vita exuit. Collenutius libro 4. cap. 19.

NICEPHORVS Imp. in Bulgariam profectus, *victo Crumo gentis principe, corpora Bulgarorum inhumata relinquens, solis spoliȷs legendis intentus fuit. Crumi conclauia, vt iam sua, claustris & sigillis muniȷt, & Christianis manubias contrectare ausis, aures aliaq; membra abscidit: aulam quoq; Crumi incendit. Interim Crumus submissè admodum victum se esse fatebatur: rogabatq; vt acceptis quæ vellet, pacatus Bulgaria excederet. Sed Nicephorus pacem, cuius erat impatiens, non dedit. Itaq; Crumus irritatus, aditus exitusq; suæ ditionis ligneis munitionibus occlusit. Et Nicephorus cladem præsagiens suis dixit: Nemo nostrum perniciem euitabit, ne si volucres quidem fiamus. Biduò pòst Barbarus populo collecto, tentorium Nicephori aggressus est. Ibi Nicephorus miserabiliter obtruncatus est, omnesq; cum eo Duces, & infinita militum multitudo, omnibusq; impedimentis potiti sunt Bulgari. Diaconus & Cedrenus.*

ALPHONSVS XI. Castulonensis Rex cum Algaziram *vrbem à Mauris possessam obsideret, ad eum Maurus quidam, vt ipsum interimeret, profectus, cùm captus esset, atq; habita disquisitione fateretur, eius rei gratia se venisse, vt pro patria Dȷsq; suis vitam offerret: nouis amictum vestibus, data insuper pecunia, cum præsidio incolumem ad Belmarin Regem misit. Rex quanquã Barbarus, diu acerba voce increpitum, quòd tanti animi Regem occidere tentasset,*

statim

statim ne pœnam euaderet, interfici iussit. Fulgos. & Egnatius libro 5. cap. 1.

MAGNVS Sfortia Sclauetto Dalmatiæ insigni *equitum Præfecto, qui in gratiam Iulij Cæsaris Capuani se primum è percussoribus in transitu Caloris amnis Sfortiæ latus mucrone petiturum pollicitus fuerat, adeò generose pepercit vt captum ad Casam Marij, & iure belli armis & equis dispoliatum, non modò incolumem, verum omnibus impedimentis, ne quid omnino desideraret, magna cura conquisitis, & restitutis, cumulatè instructum dimiserit: perblanda & nobili contentus interrogatione, cum ad eum dixisset, Quis nam furor inhumani crudelisq́ animi, Sclauette, alioqui vir fortissime, te impulit, vt nulla lacessitus iniuria, adeò prolixè promitteres, te gladium ex cæde mea cruentum, ad Iacobum Gallum, maritum Ioannæ Reginæ Neapolitanæ omnino relaturum? Sed immanis vir ad id tum oculis in terram defixis, non multò pòst apud Philippum Insubrum principem, perfidiæ militaris crimine conuictus, in furca pependit. Iouius in Sfortiæ vita.*

ARISTOCLES Orchomeni tyrannus, adamauit *virginem Stymphalidem: cuius patre per Aristoclem occiso, confugit ad templum Dianæ, & simulachrum eius tenuit, donec in eodem loco confoderetur. Guido Bituricensis.*

NARRANT Scriptores Græci Thebanam virginem, *quam hostis Macedo corruperat, dissimulasse paulisper dolorem, & violatorem virginitatis suæ iugulasse postea dormientem, seq́ interfecisse gladio: vt nec viuere voluerit post perditam castitatem, nec ante mori, quàm sui vltrix existeret. D. Hieronymus.*

Chæro-

CHÆRONEÆ ex insignis nobilitatis reliquijs *puer vnus fuit orbus parentibus, Damon nomine, qui Peripoltas cognomine dictus fuit. Hunc corporis venustate animiq; magnitudine longè æqualibus antecellentem iuuenibus, sed rudem aliàs & moribus asperum, Romanus quidam cohortis, quæ hybernabat Charoneæ, ductor, modò adultum amans, vbi precibus & muneribus obnoxium sibi facere nequiuit, vim præ se ferebat allaturum. Id veritus Damon, atq; ex illa excandescens appellatione, struxit ei insidias, ac coitionem in eum æqualium suorum fecit non multorum, quò clam essent. Fuerunt autem omnes sexdecim. Hi noctu infecta fuligine facie, prima luce sacrificantem in foro Romanum adoriuntur. Illo & non paucis, qui circa eum erant, obtruncatis, profugiunt vrbe. Plutarchus in proœmio Cimonis & Luculli.*

PONTIVS Aufidianus Romæ, vbi filiam suam *Fannio Saturnino à pædagogo proditam comperisset, & seruum & filiam interemit. P. Attilius Filiscus filiam, quòd se stupri fœditate contaminauerat, trucidauit. Ludouic. Viues. de fœm. Christ.*

VALTERVS Herefordensis Episcopus in An*glia, cum mulieri per vim stuprum offerre cònaretur, illa forficibus gulam eius perfodit: eoq; vulnere statim expirauit, anno Christi 1070. Ranulphus libro 7. cap. 2.*

NICOLAVS Vrsinus Bartholdi filius, à quo Vi*terbiensi acie Sfortia Magnus desertus proditusq; fuit, aliquot pòst annis, cum apud Suanam oppidum Senensis agri suæ ditionis impotenter agrestium fœminarum pudicitiam expugnare pergeret, concursu vnius familiæ, quæ in tyrannum coniurârat, venabulo, & irati quidem aratoris manu, crudelissimè confossus interijt. Iouius in vita Magni Sfortiæ.*

OSYRIS Ægypti Rex, ex Germania & Italia in regnum ſuum reuerſus, à fratre Typhone interemptus eſt. Typhonem Lybius Hercules (in Biblijs Letabim dictus) auxilio matris Iſidis, genitoris ſui necem vindicans, cum conſcijs parricidij occidit. Totum inde peragrauit cum exercitu terrarum orbem, tyrannos iniuſtè dominantes vbiq; ſuſtulit. Auentin. Annal. libro 1.

ERASINORIX & Sinatus tetrarchias in Gallia obtinebant. Sinati vxor Camma corporis pulchritudine & animi virtute nobilis habebatur, erat enim Sacerdos Dianæ, quam Galli ſumma religione colunt: Hanc Eraſinorix neq; perſuaderi, neq; per vim cogi poſſe viuo marito arbitratus, Sinatum per dolum occidit. Non longo pòſt tempore Cammam ambiebat. Illa frequenter renuebat: Familiaribus autem & amicis inſtantibus, & blandiſſimè rem adminiſtrantibus, ſimulauit ſe eis aſſentiri. Equidem inter eos conuenit. Veniebat Eraſinorix, & cum eo omnes Galli, perfecta ætate viri ac mulieres. Quem illa perhumaniter exceptum ad aram adducit, & ex aurea phiala bibit: partimq; ipſa ebibit, partim illũ bibere iuſſit. Qui tanquam ſponſus à ſponſa cum voluptate acceptum bibit. Potus autem hic erat mulſum veneno mixtum. Illa cum eum bibiſſe cerneret, magna voce exclamauit, Deamq; in genua procumbens adorauit, inquiens: Gratiam tibi habeo veneranda Diana, quòd mihi conceſſeris in tuo templo, pro marito mea cauſa interfecto ſupplicium exigere. His dictis confeſtim & ipſa mortem obijt, & ſponſus cum ea ſimul ad aram Deæ vitam reliquit. Polyænus libro 8.

LEARCHVS Archelaum Cyrenarum Regem amicum veneno ſuſtulit, Regnũ occupauit, Erixonam reginam, Archelai coniugem, vt matrimonio ſecum iungeretur, tenta-

tentauit, pollicitus se Archelai filium adoptaturum. Fœmina conditionem sibi non displicere simulans, sed fratres duros admodum obsistere: posse dixit rationem iniri, si ad se noctu in colloquium solus veniret. Nihil insidiarum subesse putans Learchus, præ amoris magnitudine, noctu in Erixonæ ædes se recepit. vbi eum Erixona à duobus, quos domi occultos habebat, interimi iussit, ac corpus de fenestra deijci. Per hunc modum mariti mortem vlta est. Fulgosius.

BERENICE Laodices insidijs interceptum sibi *filium grauiter ferens, armata currum conscendit, persecutaq́ satellitem regium, crudelis operis ministrum, nomine Ceneum, quoniam hasta nequicquam petierat, saxo ictum prostrauit, ac super eius corpus actis equis inter infesta contrariæ partis agmina, ad domum, in qua interfecti pueri corpus occultari arbitrabatur, perrexit. Valer. libro 9. cap. 10.*

BOEMVNDVS Teupulus, patre Venetorum *Duce (ex Sarmatica tamen matre) genitus, Duce Patribusq́ interfectis, cum ipse sibi tyrannidem astruere conaretur, dedit meritas pœnas, dederunt & reliqui tanti furoris comites, quando alijs aut subitò securi percussis, aut in exilium missis, ipse quoq́ Boemundus exulauit, donec meritò sit ab externis hominibus interfectus. Celebris est adhuc Venetijs tam nefandi sceleris memoria, multis patrum indicijs, vel quod primùm inuisitur à principe patribusq́ & ab vniuersa ciuitate D. Viti templum: vel quòd ipsius Boemundi ædes, quæ in Riualtina sede positæ erant, in publicum macellum sint conuersæ, in hunc vsque diem: vel quòd Decemuirale consilium, à quo publicæ dignitatis & libertatis fastigium penderet,*

tum primum institutum sit: Cautumq; etiam, ne in centum annos vni familiæ, quæ cum ipso Boemundo conspirârat præcipuè, aditus ad Decemuirale esset: vel deniq;, quòd familiæ ipsius insigne sit penitus immutatum: hoc etiam decreto addito, vt nemo Venetijs, aut in albo, aut quouis alio in loco nomen ipsius Boemundi retineret. Egnatius lib. 6. cap. 8.

FRIDERICVS I. Imp. cum exercitu Tridentinam *vallem penetrans, iuxta Veronam castra metabatur. Morabantur enim Veronenses Cæsaris iter, nullumq; ius in eos competere contumaciter asserebant, priusquam Imperialem haberet coronam, nisi ingentem numeraret pecuniam. Fridericus iram dissimulans, pecuniam debitam se daturum promittens, Veronam ingressus, per milites locis sacris ablata restituit. Nobiliores ciues qui pecuniam acciperent in itinere (nam magnam summam expectabat) se comitari iussit: Sunt ei ex insignioribus dati tredecim cum alijs nobilibus, quos paulò pòst soluta pecunia suspendit. Posteris in exemplum, vt suos principes venerari discant, & debita obsequia illis exhibeant. Cuspinianus.*

CAROLVS V. Cæsar, Gandauum natalis soli vr*bem & primæ altricem pueritiæ, anno 1539. ingressus, vlturus iniuriam, quam ex negatione pecuniæ in Gallici belli sumptus imperatæ accepisse se putabat, cum iam pacato planè animo videretur, dispositis per vrbem custodijs, multos vno tempore comprehendi iussit. Nouem ex his, quos turbido ingenio, aut facundia insigni, & militari præsertim audacia compererat, iudicio damnatos vti reos maiestatis interfecit: his paucos post dies sexdecim, desiderio libertatis & populari potentia suspectos, addidit, de quibus pariter in foro, conterritis omnibus, supplicium est desumptum.*

Ab

Ab hac reorum pœna, veteres demum ciuitatis immunitates vno edicto abrogauit, leges dissoluit, totum id ius aboleuit, quo Magistratus creabantur, ingentiq́; pecunia ciuitatem multauit, quæ in sumptum ædificandæ arcis transferebatur. Instituebat enim peramplam arcem opportuno vrbis loco, insigne templum atq; cœnobium Diui Beonis memoriæ dicatum complexus, vt Gandauenses iugum seruitutis ex merito ceruicibus impositum sentirent. Iouius libro 38. Histor.

VENETI Vrsum Hypatum Ducem, ob crudelitatem occidêre. *Gallam patria atq; luminibus priuârunt, qui Horleo sicut in Ducatus dignitate, ita etiam in vitijs successerat. Dominicum Monegareum pari supplicio affecerunt: neq; de eorum aliquo pœna sumpta fuit, qui in ipsos principes manus iniecerunt: adeò iustè omnes vindictam de scelere sumptam putauerunt. Fulgos. Egnatius libro 9. capite 10.*

MARINVS Faletrus Dux Venetorum, coniu*rationem inijt de tyrannide inuadenda, capto, crimenq́; confesso, in summo scalarum Palatinarum gradu ceruices abscissæ sunt, bonaq́; publicata, decretoq́; publico cautum, vt in maiori comitio, vbi Ducum omnium pictæ spectantur imagines cum suis elogijs, nulla eius extaret effigies, tantumq́; atro colore locus illius obscurus esset, ea cum subscriptione, quæ testaretur Marini Faletri locum esse vacuum, cui Duci propter ingens in patriam scelus amputata publicè ceruix foret. Egnat. libro 6. cap. 3.*

ALARICVS Gothorum Rex, cum ab Honorio *Imperatore obtinuisset, vt in Galliam ad quærendas nouas sedes proficisci posset, & iam profectioni se accinxisset, iuxta vrbem Vercellas, contra fidem datam, solenni Domi-*

nicæ resurrectionis die, Saulus Iudæus à Stilicone missus (penes quem eo tempore occidentalis Imperij administratio erat) eum inuasit. Alaricus autem cum strenuè ingentiq́ animo se tueretur, ac diu grauiterq́ præliatum esset, tandem Romanum fudit exercitum: vehementerq́ ob eam rem indignatus, omissa Gallia, retrò exercitum conuertit: atq́ omnibus vsq́ ad vrbem Romam direptis incensisq́ quid ira posset, ostendit. Vrbem enim, quam primò Galli, Fabij Ambusti culpa, incenderant, tunc quoq́ Stiliconis, qui tueri eam debebat, perfidia, cum ad eam vlciscendam Gothi se conuertissent, euertit: id enim iræ magnitudo Gothos vt agere auderent compulit, quod antea ne cogitare quidem ausi fuissent. Fulgosius libro 9. cap. 3.

OTHO II. Imp. Romæ instituit insigne conuiuium, *regiè acceptis Pontifice, Episcopis, & ciuibus. Et dum opipare cibos apposuisset, armatis in formam coronæ circumstantibus, grauissimè conquestus de ijs qui fœdus amicitiæ rupissent (quoties enim à Roma discessit, toties pacem plæriq́ violabant) satellitibus mandat, vt eos à mensa abreptos obtruncent. Cæteros solatus, vt cum læticia prandèrent, pluribus exhortatus est. Sed multi non sine timore conuiuium simulato vultu peregerunt, & paci dehinc diligentius studuerunt. Cuspinianus.*

TENNES Rex Tenediorum, cum legem pro*mulgasset, vt si quis adulterum deprehendisset, securi trucidaret. Intellexit mox filium in hanc legem peccasse. Vnde cum rogaretur, quid faciendum esset? Lege vtendum, inquit, securi percutiatur. In altera ergo parte numismatum suorum securim insculpsit, in altera viri atq́ mulieris faciem ex vno colle dependentem. Eo factum est, vt de summa se-*

ma seueritate diceretur: Tenedia bipennis &c. Historiam recitat Heraclides in Polit.

ZELEVCVS legem statuit Locris, vt in adulterio deprehensis eruerentur oculi. *Quam legem cum filius eius temerasset, eidem oculum excuti iussit, & sibi alterum, vt eam probaret firmius. Diodorus Siculus.*

SVB belli Iudaici initia, cum seditiosi Hierosolymitani, *Duce Eleazaro, præsidium Romanorum interfecissent, magnus in omni Syria motus contra Iudæos exarsit. Cæsarienses, Iudæorum inquilinorum XX. millia ad internecionem cecidêre. Scythopolitæ XIII. millia. Ascalonitæ MMD. Ptolemaidis incolæ MM. Alexandrini in loco Delta dicto, L. millia. Cestius Syriæ Præses Ioppe capta, VIII. M. CCCC. trucidauit. Damasceni in Thermis publicis congregatos adorti, X. millia oppresserunt. Vide Iosephum libro 2. belli Iudaici.*

SVB id tempus quo Traianus vita decessit, Iu*dæi subita defectione, Græcos Romanosq́; qui Cyrenis totaq́; Cyrenaica regione agebant, ex improuiso adorti, ad CCXX. millia hominum trucidauêre. Eusebius circa Cyrenas & in Ægypto dimicatum scribit à Iudæis aduersus locorum incolas. Verùm quoquo modo res gesta est, nulli mortalium atrocius in peremptos sæuiêre. Cæsorum intestinis præcinxisse se dicuntur, cruore inunxisse, cute velâsse capita, humanas carnes esitasse, multos à vertice serris dissectos, alios bestijs obiectos, aut inter se ferro dimicare coactos. Hac rabie contacti qui Iudæorum Alexandriæ & in Cypro per id tempus fuêre. Artemione quodam Duce arreptis repentè armis tam fœdam vtrobique stragem edidêre, vt his quoque locis CCXL. millia hominum vno sint tempore occidione occisa. Ne hi tam atrox faci-*

facinus impunè tulerunt. Lusius à Traiano adhuc in humanis agente, ad vltionem missus, rebellem gentem teterrimis affecit cladibus. Sabellic. lib. 4. Enn. 7.

CVM Iacobus Patriarcha, secundum eorum temporum morem, *cum liberis in Cananaam prope vrbem Sichimam venisset, vbi tunc dies festus magno conuentu celebrabatur, Dina filia, quæ sola, vt quædam necessaria coëmeret, vrbem ingressa erat, quia & forma insigni, perbenignoq́ ingenio erat, inuitæ Sichem filius Hemor, qui tunc Sichimæ regnabat, vim intulit. Quam rem cum Hemor resciuisset: vehementer indoluit, egressusq́ ad Iacob, filio vxorem desponderi petijt. Cui rei Iacob assentiri veritus (neq; enim Hebræorum legem Hemor colebat, & propterea affinitatem cum eo iungere lege prohibebatur) cum propter illius vires aptè ei negare non auderet, ad deliberandum cum filijs tempus consumpsit. Eis igitur cum rem, vt erat, aperuisset, Simeon & Leui, Dinæ ex eodem vtero fratres, iniuriam vlcisci decreuerunt. Itaq; noctu arreptis armis, vnà cum magna seruorum manu Sichimæ muros trangressi, cùm vino epulisq́ grauatos arcto omnes somno dormire inuenissent, seruato muliebri sexu, in lecto Regem, omnesq́ alios obtruncârunt. Fulgosus ex Gen. 34.*

ABSALON Dauidis filius, Ammonem fratrem *crudeliter interemit, quia immodestè Thamar communem sororem deperibat, eiq́ vim intulerat. Illius enim morte violatam in sorore pudicitiam vltus est, quòd eadem matre secum nata erat. Fulgosus libro cap. 1. ex 2. Reg. 13.*

PERIMELA puella stuprum ab Acheloo per *vim passa, ab Hippodamante patre, detestante facinus, præcipitata est. Ouidius, libro 8. Metamorph.*

Quod

Quod pater Hippodamas ægrè tulit, inq; profundum
Protulit è scopulo perituræ corpora natæ.

THYESTES Pelopis & Hippodamiæ filius, *Europam seu Aeropen, fratris sui Atrei vxorem stuprauit, & ex ea duos suscepit liberos, Tantalum & Polysthenem, quos Atreus ipse interfecit, interfectos fratri comedendos apposuit. Seneca. Tantalus prima hostia est. Postea Aegysthus Thyestæ filius, Agamemnonem Troia reuersum occidit, vxorem eius Clytemnestram constuprauit, mortemq; Polysthenis & Tantali fratrum suorum ab ipso Atreo interfectorum vltus est in Atrei nepote.*

DIONYSIVS iunior in Locrensium vrbem ve*niens, maximas ciuitatis domos occupauit, easq; rosis, serpyllis, alijsq; id genus floribus strauit, & filias Locrensium accersebat, atq; rem cum eis habebat intemperantissimè. Cuius flagitij nefandam spurcitiem non impunè tulit: Cum enim regnum ipsius per Dionem esset sublatum, tum Locrenses vxorem Dionysij vnà cum filiabus prostituerunt, sineq; intermissione stuprum eis intulerunt, præsertim qui affinitate vel cognatione cum ijs virginibus, quas Dionysius corruperat, erant coniuncti. Cùm verò libidinem in eis expleuissent, compunctas acubus intra digitorum vngues, interemerunt, ossaq; in mortarijs contuderunt: & carnes ab ossibus abstractas si quis non comedisset, eum diris deuouerunt. Quod verò reliquum ex ipsis erat, mari demerserunt. At Dionysius Corinthi multas variasq; vitæ vicissitudines expertus, ob extremam mendicitatem, tandem stipem ab hominibus cogendo, tympanaq; pulsando, & modulando vitam exegit. Aelianus libro 9. de varia histor. & Athenæus lib. 12. cap. 19.*

MAXIMVS Senator è stirpe fuit Maximi tyranni (*cuius astu Gratianus occisus est*) *quem Theodosius senior sustulerat, pro qua victoria Romani quotannis festum agunt. Huic Maximo formosissima uxor erat, qua Valentinianus tertius Imperator ignauissimus potiri cupiens, cum maritum in Palatium vocasset, colludendo annulum detrahens, eum clàm vxori misit, vt hoc signo viso, in Palatium salutatum Eudoxiam Imperatricem festinaret. Venit illa, & à Valentiniano stuprata, mœsta pòst viro contumeliam acceptam indicauit. Qui vt Imperatorem vlcisceretur, Aëtium Patricium virum clariss. Imperij occidui columen suspectum Imperatori reddidit, causaq; fuit vt interficeretur. Quo sublato tanquam obice, Transtilam & Octilam Aëtij milites, percusso prius Heraclio spadone, Valentiniano in campo Martio immisit, à quibus interfectus est Imperator. Maximus arrepta tyrannide, Eudoxiam Imperatricem, Theodosij iunioris filiam quoq; rapit, cùm iam eius vxor decessisset: ei fassus, sui amore virum à se occisum. Ob quod illa exacerbata, & animum eius impudicum detestata, ad vindicandum facinus incensa, studium noui connubij assimulat, occultè verò per fidissimum nuncium Gensericum Vandalorum Regem, in Italiam ex Aphrica accersit. Quo veniēte, Maximus tanti mali autor, dum & ipse fugam meditatur, cum cæteris vrbem deserentibus, ab Vrso milite Romani sanguinis, viro integro, interficitur, nondum duobus expletis mensibus: tum membratim concisus, in Tyberim deijcitur. Genserico vrbem intranti Leo pontifex occurrit, & orauit, vt abacta præda contentus, vrbis & templorum incendio parceret. Quod impetrare non potuit, quando inexorabiliorem quàm Attilam Gensericum inuenit. Vrbs tota igni ferroq; à Vandalis Afrisq; vastata. Abeuntes Vandali*

per

per Campaniam iter faciunt, Eudoxiam cum filia secum duxêre, Capuam cum nonnullis Campaniæ oppidis expugnauêre. Cuspinianus, & Bonfinius libro 7. Decad. 1.

IOHANNES Rata, Casertæ Comes, posteaquam *resciuit violatam vxoris pudicitiam à Manfredo Siciliæ Rege, iniuriam vltus est. Nam cum Carolus Andegauensis, à Pontifice Romano Neapolitani Siciliæq; regnorum iure inuestitus, Manfredo arma inferret, Iohannes Rata, Manfredi copiarum Dux, quem Manfredus rem prorsus, quam cum eius vxore habuerat, ignorare arbitrabatur, vt iniuriam vlcisceretur, non solum ad hostes transtulit, verùm viam quoq; intra regni fines ei aperuit. Cuius rei causa mortuus Manfredus, sceleris sui primùm violata Iohannis coniuge, deinde quòd tanta iniuria affecto rem suam credidisset, pœnas quas debuit, luit. Fulgosus libro 6. cap. 1.*

GERARDVS Campisamperius Patauinus, Tisonis *magni filius, Cæciliani Manfredi Baionij filiam locupletissima dote Acciolino Monacho desponsatam, dum Bassianum ad coniugem duceretur, de via raptam stuprauit. Ea iniuria Acciolinus accensus, miserrimè Patauium, & totam ferè Transpadanam regionem tractauit. Bernardinus Scardeonus, libro 3. classe 13. Historiæ Patauinæ.*

NVCERINÆ arcis Præfectus, Nicolao & Bartho*lomæo Trincijs Fulginatum dominis seruiebat: Cùm autem animaduertisset, Nicolaum vxori suæ vim intulisse, ad edendam venationem eum cum fratribus inuitauit, nocteq; proxima, cum labore defessi, graui somno capti essent, duos ipsorum fratrum in lecto peremit, atq; ad libertatem populum vocauit. Verùm cùm Conradus tertius frater, re intellecta, Bracchij (qui Perusij rerum potiebatur) opem implorasset, atque illuc aduolasset, Præfectus spe diutius*

retinendæ arcis adempta, è turri uxorem præcipitauit, cui ipse à Conradi militibus confossus haud diu superuixit. Fulgosus libro 6. cap. 1.

MAGNA crudelitate Socinum Vicestarinum, *Reipublicæ Laudensis dominum vltus est Petrus Temacoldus: neque eum mouit, quòd Socinus Ludouici Bauari Imperatoris vicarius esset. In carcere enim pedore fameque eum conficere non erubuit (quanquam à molendino ad honestam fortunam ab eo esset euectus) quòd propinquæ suæ, tenuis fortunæ virgini vitium intulisset. Ab hoc igitur initio, rem Laudensem inuasit, cuius imperio uti, simulque in Vicestarinam gentem sæuire non destitit, quoad ipse ab Actio Vicecomite, qui Mediolani rerum potiebatur, laude Pompeia pulsus fuit. Idem ibidem.*

MAMERTES, cùm Sisaphonis Corinthij fratris *sui filios regnandi libidine peremisset, ab ipso Sisaphone membratim laceratus est. Ouidius in Ibin.*

Trunca geras sæuo mutilatis partibus ense,
Qualia Mamertis membra fuisse ferunt.

CYRI iunioris interfectores magnis à Rege Artaxerxe *victore muneribus affectos, Parysatis amborum mater alios alia fraude aggressa, exquisitissimis postea supplicijs necauit. Carem qui poplitem percusserat, decem dies varijs cruciatibus affectum, mox effossis luminibus, æreque liquefacto auribus infuso, necari iussit. Metrodotem (is enim primus circa oculum vulnus inflixit) duabus clausit scaphis, ita compactis, vt caput & crura duntaxat extarent, ad solem inde obuolutum melle cibari iussit & lacte, vt inuitus etiam comesse potareque cogeretur: fiebat eò muscarum concursus ingens, earumque examina, ora, oculos, & crura incessere: hæ enim partes extabant, erantque eisdem liquo-*

liquoribus delibuta: excrementa corporis, vtpote ex dulci materia, scaphis excepta vermes procreabant, quibus vestes primò, mox corpus ita est corrosum, vt nuda ossa cum stupore spectantium cernerentur. Atque ita Metrodotes decimo die miserabili cruciatu perijt. Nouissimè Mesibatem eunuchum, qui iacenti Cyro caput & manum recidit, in suam potestatem redactum pelle enodari iussit, ipsumque tribus palis affixum euaricari fecit. Atque per hæc percussorum supplicia Cyri manes euagati, postremò quieuêre. Sabellic. libro 9. Ennead. 3. ex Plutarchô.

IVSTINIANVS II. Imperator, in vindicandis *suis aduersarijs crudelior quàm iustior fuit. Chersonenses, qui eum prodere exulem machinati erant (ad eos enim lingua, naso, & auribus mutilatus, à Leontio patricio Constantinopolitano fuerat relegatus) prorsus delere instituit: septem ex primarijs eius loci, verubus ligneis affixos assauit: viginti verò aquis submersit, & reliquam multitudinem acerbo mortis genere sustulit, ad infantes, quibus sicarij pepercerant, extirpandos, classem instruxit. Sed in classis tempestate disiecta, ministros illos cædis ad septuaginta millia, antequam in Chersonam venirent, in profundo maris submersit. Paulus Diaconus libro 20. Zonaras. Cedrenus.*

HEINRICVS VI. Imperator, ob crudelitatem *quorundam insidijs in Sicilia appetitus, eorum conatus cùm anteuertisset insidiatores non gladio puniuit, sed varijs modis miserabiliter excruciatos interfecit. Nam alium feruenti aqua excoctum in canistro pro missu ad suos remisit: alium in ingentem rogum coniecit: alium culeo insutum in fundum maris abiecit. Factionis verò Principem & Regem delectum, grauiori supplicio destinauit. Iussit enim coronam aneam fieri cum quatuos foraminibus, quam eius capiti*

piti totidem magnis clauis affixit, atq; ita hominem abire iußit, his verbis: Habes homo coronam, quam venatus es, nemo tibi inuidet, fruere vsq; adeò desiderata re. Is verò vertigine oborta humi prolapsus, paulò pòst miserabili illo diademate expirauit. Nicetas libro 2.

ACERBVS vltor fuit paternæ mortis Guido Montisforti Comes. *Simon pater eius hostis ab Heinrico III. Britannia Rege iudicatus, Regi regnum atq; libertatem ademerat. Cum autem postea Eduardi filij opera regnum Heinricus recepisset, hostem Simonem acerba morte in quatuor frusta discerpsit. Huius mortem Guido filius vlcisci cupiens, quo tempore Carolus primus Neapolitanus Rex, vnà cum iuniore Philippo Gallorum Rege à Tunete venerat, vt Cardinalium collegio suaderet, ne vltrà noui pontificis creatio differretur, quia cum eis Heinricus Britannus erat. Ricardi iam Imperatoris electi filius (huius autem Ricardi frater fuerat Heinricus Rex, qui Simonem interimi iusserat) Heinricum sacra in templo Viterbij audientem, atq; vtroq; genu humi nixum Guido occidit: & capillis apprehensum, sauè è templo abstraxit, atq; inde fuga se in Hetruriã recepit. Guido aliquot annis pòst, mortuo socero, Comes Anguillariæ factus, à Rogerio Petri Aragonij classis Præfecto bello Siculo captus, in custodia perijt, & pœnas fratricidij promeritas dedit. Fulgosus libro 9. capite 10. Polydor. libro 16 & 17.*

S. ERICVM Regem Sueonum proceres, eius *pietatem perosi, facta cum Danis coniuratione, ex insidijs occiderant. Canutus Erici filius, Carolum Suercheri filium qui regnum occupârat, quasi & ipse in patris cædem consensisset, interfecit. Suercherus Caroli filius, post Canuti mortem Rex factus, paternæ cædis vindicandæ gratia,*

Canuti

Canuti liberos partim trucidauit, partim in exilium eiecit. Quocirca Sueonibus exosus, in bellum ciuile incidit, & frustrà Danorum opibus suffultus, trucidatus est à suis. anno 1210. Io. Magnus, libro 19. cap. 11.

IOHANNES Stanarola Veronensis, cùm detecta *coniuratione, inductæ ei compedes essent, & ita ad Heinricum Dugnam ab Ecelino Veronensi vrbi Præfectum perductus esset, cum se ad nominandos coniurationis conscios cogi videret, neq; ob id tamen salutem obtinere posset: ut poterat, saltu Heinrico appropinquauit, atq; paruulo gladio, quem veste abdiderat, ter punctim in caput eum percussit, ita vt quanquam ipse illic statim occideretur, breui tamen pòst etiam Heinricus periret. Fulgos. lib. 9. cap. 10.*

SELIMVS Turcorum tyrannus nepotes ex fra*tribus omnes necari curauit, & in his Mahometum fratris natu maximi filium. Ferunt Mahometum ingressos ad se duos carnifices, qui nihil tale timenti moriendum esse denunciarent, ac mandata statim exequerentur, alterum calamario cultello confecisse: alterum iam vulneratum interfecturum fuisse, nisi alij satellites irrupissent, qui frustrà reluctantem strangulârunt. Sabellici supplementum ex Iouio.*

IOHANNES XIIII. Pontifex à Romanis in *carcerem coniectus, eo solo nomine, quòd Imperatori Othoni faueret: liberatus ab Othone, Petrum vrbis Præfectum nudum per carnificem, ad equum Constantinianum ad integrum diem crinibus alligari, deinde asino impositum, facie ad posteriora versa, & manibus caudæ alligatis, per totam vrbem flagellis cædi, ac tandem in Germaniam exulatum ire iussit. Antonius Sabellicus.*

C. Caligula Cæsar Romæ publico epulo seruum, *ob detractam lectis argenteam laminam carnifici confestim*

tradi-

tradidit, vt manibus abscißis, atq; ante pectus è collo pendentibus, pracedente titulo, qui causam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretnr. Suetonius.

OCTAVVS Sagitta, Tribunus, Pontiæ mulie*ris alteri nuptæ amore vacors, ingentibus donis adulterium, mox vt maritum omitteret, emercatus est, suum matrimonium promittens. Vbi mulier vacua fuit, reperta spe ditioris coniugis, promissa exuit. Octauius postquam spernitur, noctem vnam ad solatium poposcisse dicitur, qua delinitus, modum in posterum adhiberet. Statuitur nox, & Pontia consciæ ancillæ custodiam cubiculi mandat. Ille vno cum liberto ferrum nocte occultum infert, ac nihil metuentem ferro transuerberat: accurrentem ancillam vulnere absterret, cubiculoq; prorumpit. Postera die manifesta cædes erat, nec multum ambiguus percussor, quippe mansitasse vnà conuincebatur. Sed libertus suum illud facinus esse ingenuè profitebatur: se patroni inimicitias vltum esse, & iam commouerat quosdam magnitudine exempli, donec ancilla refecta ex vulnere, negotium omne aperuit. Quamobrem postulatus apud Consules Octauius à patre interfectæ, sententia patrum lege Cornelia de sicarijs condemnatur. Cornel. Tacit. libro 13.*

ROBERTVS Antisiodorensis Imperator Con*stantinopolitanus, virginem insignis formæ Græcam, nobili ortam progenie, ac diuitis matronæ filiam, sibi despondit vxorem, haud ignarus, prius eam vni purpuratorum Burgundo, qui ordines in Latinorum ductabat exercitu, à matre puellæ esse desponsatam. Burgundus contumeliæ impatiens, amicos & commilitones coëgit, noctuq; facto impetu, in Regiam irrupit, puellæ palatium, effractis cubiculi foribus, ingressus est, dehonestatamq; naribus puellam occidit.*

Geni-

Genitricem, quæ noui connubij autor erat ac conciliatrix, vi domo abstractam, in mare præcipitauit. Quam vlturus iniuriam Robertus, dum Romam contendit pro impetrando diademate à Pontifice, & inde Byzantium reuertitur, in Achaia morbo decessit, Balduino filio admodum puero relicto. Cuspinianus.

NVLLA ciuitas in se vlciscenda, magis suo dolori *quàm Constantinopolitana indulsit. Andronico Imp. (quia cum sorore stuprum patrâsset, Alexioq́; pupillo interfecto, imperium aggressus, omnem propemodum nobilitatem sustulisset) abrogauit primò imperium, in ordinem inde redactum altero priuauit oculo, asinæq́; auersum imposuit, bestiæ caudam pro sceptro habentem, pro diademate restem. Per vrbem indè circumuehitur, viris fœminisq́; probra in eum iacientibus, lutumq́; & alia fœdiora dictu in prætereuntem congerentibus. Postremò laqueo pendens vncis & harpagonibus est laniatus. Multi particulam corporis vnco ademptam non solum attrectare, sed mandere etiam sunt ausi. Sabellicus libro Exemplorum 8. capite 4.*

Yacht à Colas

VENETI Petrum Candianum Ducem princi*patu pulsum quintum decimum post annum, incensaq́; simul Ducaria æde, cum Diui Marci templo, fugientem cum paruulo filio, supplicantem etiam, vt ipsi saltem parcerent puero, cum coniuge ipsa & filio interemerunt; inuentumq́; eius cadauer in macellum vsq; pertraxêre, membratimq́; laceratum canibus tradidêre. Egnatius libro 9. cap. 10.*

J. D. Cr.

MACRINVS, qui Caracalla perempto, Imperium *sibi astruxit, homo fuit natura sæuus. Milites in crucem sustulit, semperq́; seruilibus affecit supplicijs. Duos milites ancillaris stupri compertos duobus exectis bobus inseruit, extantibus duntaxat capitibus. Tribunum qui excu-*

bias deseri passus fuerat, currui alligatum, viuum primò, mox exanimem per longum traxit spacium. Adulterij conuictos viuos concremabat, parietibus includebat. Idem libro 6. Ennead. 7.

CAPTA Troia, Menelaus Deiphobum, post *Alexandri interitum Helenæ maritum, exectis primò auribus, brachijsq́; ablatis, dein naribus, ad postremum truncatum omni ex parte fœdatumq́; summo cruciatu necauit. Priamum Neoptolemus, sine vllo ætatis honorisq́; respectu, ad aram iugulauit. Cassandram Aiax Oilei ex sacro Mineruæ captiuam abstraxit. Hoc modo consumptis cum ciuitate Barbaris, deliberatio inita super his, qui ad Deorum aras auxilium vitæ implorauerant: decretumq́; ab omnibus, vti per vim auulsi necarentur. Tantus dolor iniuriæ, & ob id studium extinguendi nominis Troiani incesserat. Per templa ac semiustas domos populatio rerum omnium, ac per dies plurimos, ne quis hostium euaderet, studium inquirendi. Ad coacervandum auri atq; argenti materiam opportuna loca destinata. &c. Dictys lib. 5.*

BELLO Peloponnesiaco, Sicionæorum vrbs defecit *ad Lacedæmonios. Athenienses facti indignatione irritati, decreto statuunt, Sicionæos omnes, si quando in manus venissent, promiscuè nulli parcendo ætati internecione extinguere. Tandem captis illis per vim & obsidionem, pubertatem iuuentutemq́; ad vnum omnes iugulârunt. Pueros ac mulieres abduxêre in prædam & seruitutem, insulamq́; Platæensibus, qui propter illos expulsi patria vagabantur, habitandam tribuêre. Diodorus libro 12.*

ALTHEA Oenei vxor, vt duorum fratrum cædem *vlcisceretur, Meleagrum filium cædis autorem crudeliter*

deuo-

deuouit, deuotum ad mortem compulit: secuta tamen est continuò pœnitentia, animo enim consternata mulier laqueo vitam finiuit, ac domesticam cladem propria morte cumulauit.

HIPPODORVS vnus Codridarum, inuidiam populi vitare cupiens, *& optimi principis famam inter Athenienses adipisci, filiam cum mœcho deprehensam currui iussit alligari atq; discerpi. Aelianus de varia historia.*

SVGERIVS Sigismundi Burgundorum Regis filius, *ex filia Theodorici Ostrogothi, superinducta à patre nouerca, non vt priuignus modò noua nupta inuisus erat, sed quòd improuidè matrem defunctam laudaret nimis, generosioremq; eam fuisse contenderet, quàm cuius mundo ornamentisq; illam excoli conueniret, adeò stimulos nouercales in perniciem suam acuit, vt ea illum appetiti regni insimulante, pater vxori deditus, ad quiescentem filium duos suorum intromiserit, qui laqueo ceruici iniecto spiritum intercluderent. Ob hoc parricidium à Clodamiro rege Aurelianensium interfectus est. Aemilius libro 1.*

AMVRATHES Rex Turcorum, cum vrbem Didymotichum *fame enectam accepisset, Sauzem filium rebellem captum oculis priuauit: Græcos reliquos ex vrbe vinctos, præcipites in flumen subiectum deijci imperauit. Castris iuxta flumen fixis, spectabat optimates Græcorum vt præcipitarentur ex vrbe, nunc bini, deinde terni. Posthæc parentibus eorum qui se iunxerant Sauzi seditionem concitanti, præcepit vt filios necarent suis manibus. Patres duo noluerunt tam crudele exequi imperium, & ipsi trucidati sunt simul cum filijs. Chalcondylas libro 1.*

SANCTIUS Castulonensis Comes, cum à materna *ancilla accepisset, à matre principem quendã Arabem amari*

& ut commodius cum eo Veneri operam dare posset, ab ea ipsius vita veneno insidias esse paratas: quo tempore poculum, in quo venenum miscuerat, mater porrexit, Sanctius ipsam ut prius biberet coëgit. Illa confestim mortua est. Fulgosus & Egnatius libro 9. cap. 10.

TISO de campo sancti Petri, matrem Conizam, *cum in adulterio cum Aymo Burgundione deprehendisset, hortante matris fratre Marsilio Carrariensi (heu sauum facinus) ambos occidit. Fulgosus libro 6. capite 1.*

IASONEM Corinthij tradunt, cum annis de*cem cum Medea vixisset, genuisse ex ea filios natu maximos duos, Didymum Thessalum, Alcimenum, his posteriorem tertium Tisandrum: quo tempore aiunt Medeam magno in honore, non solum propter speciem qua eminebat, sed propter prudentiam, cæterasq; quibus ornata erat virtutes, à viro habitam esse. Paulatim deinde ætate decorem formæ auferente, Iason Glaucæ Creontis Corinthiorum Regis filiæ amore captus, virginem nuptui à patre petijt. Annuente Creonte, certumq; nuptiarum statuente die, Iason Medeæ nititur spontaneum diuortium persuadere: Ait enim, cupere se illam uxorem ducere, non in eius contemptum, sed ut filios suos in domum Regiam ea cognatione introduceret. Aegrè verba hæc ferente Medea, Deosq; testes iuramenti præstiti appellante, Iason suscepti beneficij oblitus, Creontis filia uxore sumpta, Medeam urbe expulit. Illa cum à recessu diem unum à Creonte petijsset, noctu Regiam ingressa, certis medicamentis immutata facie, domum incendit radice quadam à Circe inuenta, ea virtute ut incensus ignis nequiret extingui. Repente conflagrante Regia, Iasonem exiluisse tradunt, Glaucam Creontemq; igne absumptos.*

Quidam

QVIDAM Scriptores volunt, Medeæ filios dona quædam sponte attulisse venenis illita: quæ cùm illa corpori applicuisset, & incidisse in morbum, & patrem auxilium filiæ ferentem, cùm corpori illius hæsisset, euestigiò expirasse. His haudquaquam acquiescens Medea, inq; Iasonis vltionem intenta, (adeò ira, amor, crudelitasq; in ea exarserant) postquam illum flammas euasisse cognouit, animum morti filiorum in patris calamitatem adiecit. Omnes, vno excepto qui aufugit, natos iugulauit: eorumq; corpora sepeliuit in Iunonis templo: deinde fidißimis socijs fugæ assumptis, nocte ex Corintho fugiens, Thebas ad Herculem venit. Hic eorum quæ in Colcho promissa erant sponsor factus, se ei auxilio futurum iuxta datam fidem promisit. Iason filijs vxoreq; priuatus, censentibus omnibus eum iustè plecti, cùm doloris vim ferre non posset, sibi mortem consciuit. Diodorus libro 4. cap. 3.

LEMNII viri incomptis nauigijs vsi Thraciam ingreßi, multam inde prædam, & cum ea vim fœminarum ingentem abduxêre, Quas cum vulgò pro vxoribus habituri dicerentur, occupassetq; temerè is rumor Lemniadum fœminarum aures, viros in insulam reuersos ex composito nocte vna obtruncârunt, solo Thoante Rege superstite, quem filia Hypsipyle procul Lemno ablegârat. Sabellicus libro 5. Ennead. prima, ex Orphei & Apollonij Argonauticis.

COTYS in Thracia XXIIII. annos regnauit, ac principiò in voluptatibus & delitijs vixit, sed rebus eius secundis crescentibus, crudelis & iracundus euasit, vt suam vxorem, è qua liberos habebat, dissecârit mediam, à pudendis auspicatus. Suidas ex Athenæo.

 Olym-

OLYMPIAS, ex Pyrrhidarum sanguine, filia Neoptolemi Molossorum Regis, *Philippo Macedonum Regi nupta, adulterij suspecta fuit, ita vt Philippus non solum palàm diceret, ex se non genitum Alexandrum, verùm & Olympiadem ignominia notaret repudij, & Cleopatram Alexandri Epirotæ filiam in vxorem duceret. Quod Olympias ægrè ferens, impulit Pausaniam iuuenẽ, ex Orestis sanguine natum, in Philippi viri sui necem, conscio etiam Alexandro filio. Demum Cleopatram, post illisam saxo filiam, ad laqueum compulit. Alexandro filio apud Babyloniam per venenũ absumpto, Macedoniæ regnum sola obtinuit vidua & regina. Verùm cum passim in cruorem tàm nobiliũ quàm plebeiorum Macedonum quasi belua debaccharetur, obsessa est à Cassandra in Epidna ciuitate, occisaq; miserrimè. Guido Bituric.*

CVM Ludouicus Bauarus Imp. cum ciuitatibus ad *Rhenum sitis inito fœdere contra eos qui distractione principum Germaniam vastabant, in armis esset, Maria Brabantina eius coniunx, VVerdæ habitans, binas literas, vno quidem annulo, diuersa tamen cera, atra, rubra, obsignatas, illas marito, alteras Henrico Ruchoni Decurioni equestri mittit. Atq; is qui Epistolas detulit errore seductus, rubra cera complicatas Ludouico tradit. Qui lectis literis, amatoria agi suspicatus, confestim paucis comitatus, dissimulata re, relicto ad Rhenum exercitu, quàm maximis potest itineribus ad vxorem noctu diuq; contendit, & indicta causa adulterij condemnatã securi percuti iubet. Postea veluti conscias, Helicam virginem Brennebergensem cultello confodit: & aliam fœminam nobilem, quam gynæceo præfecerat, de turri præcipitauit. Anno 1256. Auentin. lib. 7. Annal. Boior. Ob id admirandam habuit & horrendam nocturnam visionem qua vna nocte totus factus est canus. Inde pœnitentia ductus,*

mona-

monasterium in Bauaria supra Amram, quod principis campus, patria lingua Fürstenfeld dicitur, extruxit, & donarijs ac censibus locupletauit. Cuspinianus in Cæsaribus.

VITISA Gothorum rex in Hispania sceleratissimus *Theophredum regni hæredem, quē pater Egita Cordubam in exiliū miserat, cepit, & oculis effossis squalido ignominiosóq; carceri mancipauit. At Rodericus & Acosta, Theofredi filij, dum eos Vitisa persequitur, fuga elapsi ad Romanos confugiunt, ipsumq; superatum & captum oculis priuant, Regnoq; destitutum in carcerem, quo patrem eorum afflixerat, Cordubæ detrudunt: in quo, vt meritus erat, infamem vitam infami morte conclusit. Magnus lib. 16. cap. 25.*

D. Stanislaus Craçouiensis Episcopus Boleslaum *II. Regem ob tyrannidē & luxuriam seuerè reprehenderat. Non deterruit ea res Boleslaum à contaminatis moribus & libidinibus. Quin is iterum atq; iterum monitus, & acrius obiurgatus est ab eodē Stanislao, furere, cædemq; minari ipsi cœpit. Stanislaus graui anathemate eū percellit, vetat sacra fieri tota vrbe. Ipse extra vrbem, ad faciendam rē diuinam clam cum paucis sacerdotibus commeabat. Quod vbi Boleslaus cognouit, mittit, q Stanislaum sacris operantem, ad destinatam necē ab ipsis altaribus abstrahant. Qui introgressi erant, subito & insolito fulgore perculsi, supini cadunt, inde manibus pedibusq; reptantes sese proripiunt. Rex moræ impatiens, & furore percitus, stricto ense in templū irrumpens, lethali ictu in verticē ferit. Satellites corpus templo extractū minutatim concidunt, anno 1079. Gregorius VII. Pontifex toti Poloniæ sacris interdixit: Boleslaum diris deuouit, regnumq; ipsi solenni ritu abrogauit. Qui verò socij sceleris Regi fuissent, eos simul & posteros eorum vsque ad quartam propaginem, à sacerdotij & omnium magistratuum Ecclesiasticorum functionibus & emolumentis alienos*

esse

esse voluit. Boleslaus inuisis omnibus, solum exilio vertit, in Vngariam confugit. Verum exagitante eum conscientia, amentia correptus, mortem sibi ipse consciuit, anno 1081. Alij volunt, eum in venatione concito equo efferatiore, in auias syluas delatum esse, canibus consequentibus, excussumq́, ab ijs discerptum ac deuoratum. Sunt qui velint, eum clam omnibus errabundum inter alpes ad monasterium quoddam peruenisse, ibiq́ latentem quisnam esset, post multos labores in coquinæ ministerio vltrò, & pœnitentia commissi parricidij susceptos & exhaustos, vitam finiuisse. Cromerus libro 4.

CVM mortuo Alexandro Magno, Germanicum *nomen omnibus esset terrori, adeò vt etiam Reges non lacesiti, vltrò pacem mercarentur, solus Rex Macedoniæ Ptolemæus Ceraunus, frater Ptolemæi Philadelphi Aegypti Regis, aduentum horum intrepidus audiuit, ijsq́ cum paucis occurrit. Belgius Germanorum Dux ad tentandos Macedonum animos, legatos ad Ptolemæum mittit, offerens pacem, si emere velit. Sed Ptolemæus inter suos, belli metu pacem Germanos petere gloriatus, aliter se pacem daturum negauit, nisi principes suos obsides dederint, non enim fidem nisi inermibus daturum. Renunciata legatione risêre Germani: vndiq́ acclamantes, breui sensurum, sibi an illi consulentes pacem obtulerint. Paulò post prælium conseritur, victi Macedones cæduntur: Ptolemæo capto caput amputatur, & lancea fixum tota acie ad terrorem hostium circumfertur: paucos ex Macedonibus fuga seruauit, cæteri aut capti aut occisi. Auentinus libro 1. Annal. Boiorum.*

CHILDERICVS II. ingenti mortalium assensu *Regnum Francorum iniuit, magnaq́ expectatione anno 668. spem de se conceptam fefellit, superbè sæuèq́ imperitans.*

ritans. Cum in se odium popularium accendisset, clarissimis viris Vigoberto & Amalberto authoribus mota seditione, Bodillus (quem è Francica nobilitate palo alligatum virgis ceciderat) eum inter venandum adortus occidit, duodecimum regnantem annum. Ac ne vindex exoriri posset, Reginam Blitildem vterum ferentem continuò interemit. *Aemilius libro 1.*

VENATVM Vladislaus II. Polonorum princeps, & Petrus Damus Comes Scrinnensis in remotas syluas ierant, ibi totum diem inuestigandis & persequendis feris defatigati, ad vesperum ad focum constructa è cespite mensa, cum se pane & ferina carne, & aqua fontana vtcunq; refecissent, & humi stratis penulis cubituri essent, Vladislaus ioco Petrum appellans: Mollius, inquit, nunc Petre, vxor tua cum Abbate Scrinnensi cubat, quàm nos. Petrus contrà, vt iocum ioco retunderet: Fortasse, inquit, & tua cum Dobesso. Erat autem Dobessus iuuenis ex equestri ordine non inelegans, quò familiariùs Christina Vladislai vxor vtebatur, ita vt mussitaretur vulgò, eum cum illa clam consueuisse. Tetigit id dictum principis animum, & domum reuersus vxori blandienti rem detexit. Christina mulier scelerata Petrum è medio tollere studens, eum è filiæ nuptijs abreptum carceri inclusit, oculos effodit, & linguam præcidit. Sic ei liberior cum principe iocus malè cessit. *Cromerus libro 6.*

CABAONES Dux Maurorum circa Tripolim, postquam Vandalos bellum aduersus se mouere audiuit, primum subditis suis præcepit, vt ab omni iniquitate & cibo, qui ad delitias faceret, abstinerent, omniumq; maximè à mulierum consuetudine. Et binis castris positis, in alteris quidem ipse cum viris in armis fuit, in alteris mulieres in-

clusit, mortis supplicium minatus, si quis mulierum vallum ingressus esset. Deinde exploratores Carthaginem misit, cum mandatis, si quid impij à Vandalis in Christianorum templis perpetrari viderent, vt illi spectarent, & posteà cum Vandali discessissent, illud restituerent. Ac subiecit, se quidem Deum, quem Christiani colerent, ignorare, consentaneum verò sibi videri, siquidem, quod diceretur, fortis potensq́; esset, vt contemptores sui numinis puniret, cultores tueretur. Exploratores postquam venerunt Carthaginem, viderunt belli apparatum ingentem. Deinde secuti exercitum, in Christianorum templa equos & iumenta introduci, lasciuiam & libidinem exerceri, sacerdotes plagis affici, & alia multa impia & horrenda à Vandalis fieri spectârunt. Illi post eorum discessum templa repurgârunt, sacerdotes coluerunt, & eleemosynas in pauperes distribuerunt. Tandem facto conflictu, Vandali ad vnum omnes sunt trucidati, & Maurusij victoriam reportârunt. Euagrius libro 4. cap. 15. Nicephorus libro 17. cap. 11.

IVSTINVS Senior Imp. Arianam pestem abo*lere volens, omnes Antistites eius sectæ ex toto Occidentali Imperio eijcere cœpit. Eam rem molestè ferens Theodericus Rex Gothorum, quem alij Dietterichum de Berna nominant, sese omnibus viribus Iustino opposuit, vtpote Ostgothus, quæ gens C. & amplius annos sub Valente principe Ariani furoris venenum hauserat. Multos igitur ille crudeliter sustulit, quos Iustini partibus studere sciuit: inter quos & doctissimi viri Symmachus & Boëtius, Iohannes Pontifex Romanus, & alij ex Senatorio ordine præstantissimi fuerunt. Et tandem coëgit Iustinum, vt Arianos restitueret. Paulò pòst ipse Theodericus eius tyrannidis pœnam dedit, & XC. die post illam nefariam cædem, morbo ani-*

bo animi, cum ei in cœna caput grandioris piscis esset oblatum, idq́ videretur sibi esse caput Symmachi, quod inferiori labro mordicus apprehenso toruis sibi oculis minaretur, est extinctus. Sabellicus Enneadis 8. libro 2.

ERAT Edgaro Regi Scotorum soror nomine *Mathyldis, quæ post mortem parentum, vt procul ab omni esset iniuria, inter monachas vitam degebat, eius virginitate Deo dicata. Hanc Henricus I. Anglorum Rex de suorum consiliariorum sententia sibi vxorem deposcit. Puella à connubio abhorrens, eum facilè repudiauit. Qua repulsa cœpit iuuenis magis magisq́ insano amore flagrare, ita vt iterum Edgarum per legatos rogârit, vt suam affinitatem ne aspernaretur, quæ vtriq; commodo foret. Edgarus qui non minus magni Regis iram timebat, quàm amicitiam concupiebat, sororem etsi inuitam Henrico ad extremum in matrimonium dedit. Dicitur hæc puella, cùm vidisset sibi votum virginitatis esse violandum, omnibus precibus execrata esse prolem, si qua ex se crearetur: quod omen haud fuit vanum. Nam XX. annis post Gulielmus Normanniæ Dux ex Mathylde genitus, & Ricardus, vt quidam sentiunt, ex concubina natus, ac Maria soror nauem ingreßi, vt ex Normannia Austro leniter flante in Angliam nauigarent, subitò per Nautarum incuriam, naui scopulo illisa ac perfracta, periêrunt, cum comitatu, numero ad centum & quinquaginta, vno duntaxat incolumi, qui manum nauis tenaciter complexus ad terram, quæ non procul aberat, postero die delatus est. Euasisset etiam Gulielmus, si pietatem saluti non prætulisset, nam fracta naui, euestigio in scapham descendit, ad terramq́ contendebat, cum eius opem soror, quæ iam iam cum morte luctabatur, fæmineo vlulatu implorauit.*

Qui protinus charitate motus, reuersus est, ac scapham naui admoueri iussit, vt sororem exciperet. Quæ vbi appropinquauit, tanta fuit præcipitantium sese in eam multitudo, vt momento submersa sit. Polydor. libr. 11.

OENOMAVS Pisæorum Rex, fraude Myrtili *auriga à Pelope superatus, regnoq; exutus, diras vltrices Myrtilo imprecatus est. Myrtilum igitur Pelops non multò post in mare præcipitauit, eò quòd Hippodamiam de stupro sollicitasset. Myrtilus in mare præcipitatus, Pelopis domum diris egit. Itaq; Pelopis filij Atreus & Thyestes nefandis sceleribus sese obstrinxerunt. Thyestes fratris vxorem & filiam constuprauit. Atreus Thyestæ filios epulandos proposuit. Aegysthus Thyestæ F. Agamemnomen Atrei filium capto Ilio in balneo interfecit, cum vxorem eius Clytemnestram stupro sibi conciliasset. Orestes Agamemnonis filius, Aegysthum adulterum, & matrem interfecit. Tanta fuit dirarum vis. Eustathius Iliad. 2.*

ADRIANVS Imperator, Lucio Commodo in *spem Imperij adoptato, Seuerianum & Iustum nepotem eius, quòd illud ægrè ferre viderentur, suspectos & inuisos, iussit occidi: quorum alter nonagenarius, alter verò decem & octo annos natus erat. Sed Seuerianus priusquam iugularetur, ignem poposcit, atq; incenso thure, Vos, inquit, ô Dei testor, me nihil mali commisisse, de Adriano hoc tantum imprecor, vt cum mori cupiet, non possit. Et hic quidem mortuus est. Adrianus post morbum sæpius frustrà inuocata morte, sæpe etiam seipsum occidere voluit. Extat eius Epistola, quæ hoc ipsum significat. Scribit enim: Quàm miserum est, mortem optare & mori non posse. Dion Cassius in vita Adriani.*

Erat

ERAT in ciuium Venetorum nobilitate Iohannes Georgius, homo ferox, nullaq; pietate, qui ab Antonio Bernardo Taurisanorum Prætore, ob maledicta in Deos, aliaq; scelera exul eius oppidi factus fuerat, damnatusq; vt si eò rediret, lingua ei amputaretur, manusq; altera præcideretur. Is Taurisum alio Prætore cum reuertisset, virginemq; vi adhibita violasset, Decemuiri Veneti missis illò suis rerum capitalium ministris atq; vindicibus, Georgium comprehendi, deq; eo Antonianum supplicium in medio foro sumi iusserunt: eo sumpto, Venetias adductum in Cretam deportari mandauerunt. Anno Christi 1494. Bembus libro 2. Venetæ historiæ.

VENETIIS anno 1513. Decemuiri fœminam meretricem, quæ in Deos maledicta coniecerat, & se fuga subripuerat, exulem ea conditione fecerunt, vt si vllo in Imperij Veneti loco caperetur, ceruices ei abscinderentur, ipsa igni comburereretur. Idem libro 12.

ANNO salutis 1569. duo præsidiarij milites apud Argentinenses in vincula coniecti, alter in Deum blasphemus, alter in Præfectum cohortis iniurius. Pro illo, ob spectatam fortitudinem, optimi quiq; intercedebant: pro hoc verò, nulli. Senatus prudentissimus indignum ratus, violatorem Dei meliore conditione esse quàm calumniatorem hominis, causa cognitione ijs quibus oportuit demandata, vbi blasphemiam horrendam licet ab ebrio & emotæ mentis homine admissam cognouit, plus diuinæ Maiestatis, quàm humanæ gratiæ & intercessioni tribuendum ratus, supplicio capitali, extracta per ceruicem lingua, blasphemum affecit.

PHILIPPICVS Bardanius factus Imperator, sextum concilium vniuersale, habito conuentu, irritum

 fecit,

fecit, in gratiam Monachi cuiuspiam, qui de principatu obtinendo sibi præsagium fecerat, mercedemq́ præsagij, sexti concilij abrogationem, vt promiserat, præstitit. Erat is Monachus secta Monothelitarum. Dehinc Romam ad pontificem Constantinum, quem sciebat nuper tam familiariter cum Iustiniano congressum, scribit, vt Constantinopolitana Ecclesia de Homousio astipularetur. Pontifex literas respuit, picturasq́ huius rei causa in porticu sancti Petri, quæ gesta sex Synodorum continerent, fecit. Quæ cum in vrbe Regia haberentur, Philippus iussit auferri: simulq́ edixit, vt Sanctorum statuæ & imagines ex omnibus templis tollerentur. Pontifex Philippicum schismaticum iudicauit, iussitq́ vt in nulla re diuina, publicóue aut priuato actu eius nominis aut Imperij mentio fieret. Arthemius primus à secretis eum regno expulit, per Theodorum Patricium, qui eum, vt secretiora ei narraret, in oratorium abduxit, ac luminibus priuauit. Zonaras tradit, cum peracto terrestri certamine in Zeuxippo vsus balneo, ad conuiuium senatores quosdam & victores equestris ludi vocasset, Senatores ipsum discumbentem comprehendisse, oculosq́ effodisse, sabbatho Pentecostes. Cuspinianus.

TEMPORE Tiberij, Anatolius quidam Antiochiæ, *Idolorum cultor, magus & incantator, cùm non vellet conuerti, ex mandato Tiberij bestijs proijcitur: & ab illis discerptus, corpore tandem cruci affigitur, & ibi demum à lupis deuoratur. Euagrius libro 5. cap. 18.*

HEINRICVS III. Imperator, Natalem Domini *Goslariæ agens, quosdam ibi Hæreticos inter alia praui erroris dogmata, Manichæa secta omnis esum animalis execrantes, consensu cunctorum, ne hæretica scabies plures inficeret, in patibulis suspendi iussit. Hermannus Contractus.*

Medio-

MEDIOLANI regnante Matthæo Vicecomite, postremis eius Imperij diebus, detecti sunt Andreas Seramita, & Gulielma post vndecimum cœpti sceleris annum, principes fuisse, mares ac fœminas occulto in loco sub Bariloti nomine, ad Bacchanalem exercendam licentiam congregandi. Nam peractis sacris, quæ Gulielma in sacerdotali veste obibat, cum cæteri in clericorum habitu ministrarent, extincto lumine promiscuæ libidinis genus omne permittebatur. Itaq; Andreas viuens cum aliquot huius sectæ hominibus combustus fuit: additumq; Gulielmæ cadauer, quæ antè mortua erat, & vsq; ad id tempus in Claraeuallis monasterio sepulta, sanctarum honore colebatur. Fulg. lib. 1. c. 1.

IVLIANVS Iudæorum Dux crudelissimus, Christianorum hostis, à Iustiniani Imp. exercitu cæsus est. Eius sectator Syluanus Scythopoli captus, & viuus exustus fuit, quemadmodum ei Sabas monachus Hierosolymitanus prædixerat. Nicephorus libro 17. cap. 24.

ANDRONICVS Antiochiæ præfectus, cum donis Menelai corruptus, fratrem eius Oniam pontificem, contra datam fidem interfecisset: Antiochus Epiphanes, Rex licet impius, re cognita, cum Oniæ sanctitatem iampridem perspectam habuisset, lachrymis etiam profusis, Andronicum confestim purpura exutum, & virgis cæsum, in suburbium Daphnes, vbi Oniam interfecerat, eductum excarnificauit. 2. Macchab. 4.

CHRYSAPHIVS eunuchus, cum contra Flauianum Episcopum Constantinopolitanum multa grauia machinatus esset, eò quòd Eutychetis hæresi consentire nollet: re tandem detecta, Theodosius iunior Imp. eum dignitate priuauit, bonis exuit, & in exilium pellit. Quò tamen priusquam veniret, diuina vltione in mari oppressus interijt. Niceph. lib. 14. cap. 49.

OB interfectum Vernerum Plocensem Episcopum, *qui cum de pago lite habita, causa deciderat, Bolestæ Polono viro primario sacris interdixit Petrus Gesnensis præsul. Princeps verò Polonorum, Boleslaus Crispus, ipsum comprehendi, & in foro Gesnensi extructo rogo viuum cremari iußit. At Benassius, cuius manu perpetrata fuerat cædes, nusquam postea comparuit: creditumq́ est, eum terræ hiatu absorptum, meritum Episcopo supplicium expendisse. Cromerus libro 6.*

IN Boiaria diuum Heimeranum Landobertus, *propter suspicionem stupri cum Vta sorore, crudeli morte necârat. At patefacta innocentia eius, Theodo Dux Bauariæ filiam Vtam in Italiam relegauit: & fugit Landobertus ad Auares & Hunnos, vbi exul obijt. Exinde omnis soboles eius à Ducatu & fastigio Boiariæ deturbata & in equestrem ordinem redacta est. Auentinus libro 3.*

VLADISLAVS Iagello Poloniæ Rex, contra *cruciferos Prussos Lithuanorum auxilia ducebat. Dira ac detestanda scelera Lithuani atq; Tartari in excursionibus atq; populationibus pagorum patrabant, matronas atq; virgines constuprabant, infantes dissecabant, templa cum sacris diripiebant, & quodam loco hostiam sacram, quæ in templis de more asseruatur, de argenteo ferculo profanè in terram abiecerant. Id vbi resciuêre Poloni, fremere cuncti, & ni plectantur sacrilegi, militiam se deserturos esse, populariter minari. Hoc clamore & fremitu commotus Rex, authores sceleris perquiri iußit. Inuenti duo Lithuani, Vitoudi iussu ipsi sibi patibulum excitârunt: & suis vterq; manibus barbaro, sed patrio tamen more, sese suspendêrunt: obiurgantes sese mutuo, ne sua cunctatione iram principis in se magis accenderent, quasi is atrocius etiam*

aliquid

aliquid in eos posset statuere. Cromerus libro 19.

CLODOVEVS Francorum Rex, victo Syagrio *Aegidij Regis filio, Suessiones illi fauentes diripuit. Rhemis finitima ciuitate temperatum: nisi quòd cùm ad eam diem ædes sacra veneratione & inopia tutæ inuiolatæque mansissent, tunc miles quidam Francus è templo calicem rapuerat. Gallis veteribus dolori erat initium spoliandi fana fieri: Et D. Remigius Episcopus sacerdotes misit, qui ea de re apud Clodoueum licet Gentilem agerent, causamque religionis Christianæ defenderent. Rex proceresque facilè exorabantur, cumque placuisset in medium referri prædam, vt (qui mos gentis erat) pro cuiusque virtute ea diuideretur, ac omnes milites ob id conuenissent: Clodoueus autor erat, vt calix seponeretur, Remigio reddendus. Miles, siue vecordia ingenij, siue sacrilegij pœnis agentibus, in medium progressus, ferociter negat religioni alienæ restituendum videri, bello virtuteque partum: simul, ne quid furoris deforet, calicem hasta petit. Dissimulauit in præsentia iram Rex, suo tempore maiore acerbitate erupturam. Consensu optimatium redditus nostris calix. Anno circumacto cum recenseretur exercitus, idemque miles in armis prodiret, oblitum contumaciæ Regem ratus: tum Clodoueus hastam eius quasi inspecturus cùm prehendisset, inutilem bello dictitans, in terram proiecit: illumque e vestigio eam tollere conatum, demittentemque se, elata altè securi, quo telo Reges vtebantur, in caputque deiecta, strauit, repetitumque interemit. Aemilius libro primo.*

SVATOCOPII filius vltimus Morauorum *Rex, venationem aliquando facturus, Archiepiscopo Methodio imperauit, ne ante suum reditum diuina perageret. Expectauit Methodius ad meridiem vsque. Tandem negligi*

rem diuinam veritus, Deo sacrificium cœpit offerre. Princeps vbi se neglectum animaduertit, sacram ingressus ædem multitudinem canum intromisit, tubasq; clangere iubens, ad altare vsq; progressus, conuicia multa ingerens, vix manus à violatione sacerdotis abstinuit. Ob quam rem paucis pòst diebus Methodius in Bohemiam fugiens, Regi regnoq; sacris interdixit. Ideoq; non solum Archiepiscopalis sedes in Morauia defecit, sed regnum quoq; extinctum est, partem Germanis ac Bohemis, partem Polonis atq; Hungaris diripientibus. Aeneas Syluius in histor. Bohemica.

IN Elephantina Æthiopia sacrilegos hac pœna *multabant, vt Ophiusam herbam bibere cogerentur. Qua pota, ita terroribus & falsis imaginibus afficiebantur, vt mortem sibi ipsis consciscerent. Alexander ab Alexandro libro 3. capite 5. Apud Græcos pœna in sacrilegos constituta fuit seuerissima, vt præcipitati, vel immersi, aut combusti pœnas darent. Ibidem.*

PHOCENSES necessitate coacti, Xerxe in *Græciam irrumpente, eius partes secuti sunt. Sed mox à Barbaris desciscentes, cum Græcis Plataensi prælio interfuère. Insequenti deinde tempore grauis multa est illis ab Amphictyonibus irrogata. Quam cum indignissimo animo ferrent, Philomelus Theotimi filius, pro concione censuit, Apollinis Delphici templum diripiendum esse. Sententiam eius omnes approbârunt, & fanum Apollinis spoliârunt, Olymp. CV. anno 4. Sacra pecunia potiti, statim firmissimas mercenariorum cohortes conduxerunt. Direpto templo ingens tumultus & seditio per vniuersam Græciam excitatus est, cùm aliqui Deo subueniendum, & in Phocenses, veluti sacrilegos, animaduertendum: alij*

rursus

rurſus vt Phocenſes auxilijs iuuarentur, decreuiſſent. In diuerſum proinde tendentibus gentium & vrbium factionibus, templo ſuccurrere decreuerunt Bœotij, Locrenſes, Theſſali, Perrhæbi, & præter hos Dores, Dolopes, Athamanes, Achæi, Phthiotæ, Magnetes, Aeneanes, Lacedæmonij, & quidam alij ex Peloponneſo. Bellatum eſt per annos decem varia fortuna. Collatis demum apud Neonem vrbem ſignis, Phocenſes victi, Philomelus in fuga ex prærupto ſaxo ſeſe præcipitem dedit. Idem necis genus, Amphictyonum decreto, ijs omnibus qui eum ſecuti fuerant, irrogatum. Onomarchus imperio ſuſcepto, acie victus à Philippo Amyntæ & Thebanis, propter ignauiam à ſuis militibus iaculis confixus eſt. Frater eius Phayllus vix dum ad imperandum aggreſſus, contabuit. Phalæcus filius magiſtratu ob ſacrilegium deiectus, & in Cretam tranſmittens, miſerè trucidatus eſt. Tandem à Philippo Amyntæ filio, Macedonum Rege confectum bellum, cui ſe Phocenſes dedidêre. Amphictyones decreuerunt, Philippum eiusq; poſteros in collegium ſuum cooptare, cum duorum ſuffragiorum iure, quæ debellati Phocenſes habuiſſent. Vrbium trium Phocidis mœnia ſolo æquari, ne ipſi Phocenſes aut ſacri templi, aut Amphictyonum conſilij aliquo modo participes eſſent. Nec eiſdem equos aut arma habere liceret, donec ſubreptam omnem pecuniam Deo exoluiſſent. Phocenſes autem aliosq;, qui ſacrilegio eo inquinati aufugiſſent, ſceleſtiſſimos haberi, exq; omnibus locis impunè retrahi poſſe. Vrbes omnes quæ Phocenſibus parêrent, dirui & redigi in pagos. Agros ſuorum haberent, ſed eorũ vectigal annuum talenta 60. Deo penderent. &c. Hæc omnia Philippus comprobauit. Diodorus libro 16. Omnes Phocidis vrbes dirutæ, & ad formam vicorum redactæ, præter Abas: nam

Abæi sacrilegij prorsus expertes fuerunt, & à belli etiam societate abhorruerant, &c. Pausanias in Phocicis.

ANTIOCHVS Syriæ Rex, qui Magni cognomen tulit, *super cæteras belli clades quibus fuerat afflictus, grauissimo etiam tributo, quo pacem à Romanis redemerat, exhaustis, ad sacrilegium animum adiecit, exercituq́ ad Didymæi Iouis templum noctu moto, vt id tumultuario impetu donarijs spoliaret, finitimorum incursu cum omnibus est copijs oppressus, anno sui regni sexto & trigesimo. Seleucus eius filius successit, cui Philopatri cognomen fuit. Sabellicus libro 8. Ennead. 5. Cum Nanææ fanum noctu spoliare aggrederetur, cum paucis in templo conclusus, lapidibus desuper per templi lacunar à sacerdotibus obrutus, & in frusta concisus fuit. 2. Macchab. 1.*

ALEXANDER Magnus victo Dario, in Bra*ctianam profectus, Branchidorum oppidum subita vi captum hostiliter diripuit. Violauerant olim Maiores Didymæonis templum, quod apud Milesios fuit, proditis thesauris Xerxi regi, atq; ob id in Asiam ab eo traducti. Direpta vrbe, ciues ad vnum omnes sunt trucidati, nec commercio linguæ, aut suppliciorum velamentis precibusúe, ferrum inhiberi potuit. Muros vrbis à summo ad imum victor Macedo demolitus est. Sacros etiam lucos extirpauit, vt ne vestigium quidem vllum extaret in posterum. Sabellicus libro quinto Enneadis quartæ, ex Strabonis libro 11.*

DAGVLFVS abbas Gallus, homo sceleratus, *& multis propter furta, homicidia, adulteriaq́, quibus se polluerat, notus. Cum vitæ mariti eius mulieris, cum qua rem habebat, insidiaretur, ipse in foueam quam alteri fecerat, incidit. Ingressus enim cum alio Clerico ædes mariti absentis, lautè excipitur, & diu potando inebriatus, in*

lectis

lectis collocatur. Maritus reuersus, stramen accendit, & securi vtrumque interfecit. Turonens. lib. 8. cap. 19.

COMES quidam propter illicitum coniugium *à Cedda Episcopo Orientalium Saxonum in Anglia excommunicatus fuit. At Sigebertus Rex, neglecto excommunicationis fulmine, cum Comite latus coniugium agitauit. Illum ergo deprehendens Episcopus, prædixit fore, vt in ipsa domo interficeretur, quod etiam contigit. Comes enim Regem nihil tale metuentem inter epulas obtruncauit. Beda lib. 3. cap. 22.*

EST inter Orchomeniorum & Mantinensium fines *Dianæ Hymniæ cognomento, prisca accolarum, & inprimis Arcadum religione sacrosanctum fanum, Deæ sacris virgo præsidebat. Eam cum ad stuprum pellicere Aristocrates Rex Arcadum non potuisset, postremò ad aram Deæ confugientem violauit. Scelere patefacto, hominem Arcades lapidibus obruerunt. Pausanias in Arcadicis.*

APVD Romanos qui virginem Vestalem corrupisset, *capitali supplicio multabatur. Virgo verò humi viua defodiebatur in campo, qui ob id Sceleratus dicebatur. Inter quas defossa fuit Cornelia virgo Vestalis, authore Suetonio. Capronia virgo Vestalis suspensa fuit ob incestum, cum his qui eam corruperant. Suspensa est etiam Septilia: Demum Aemilia, quam corrupit L. Septilius, & Minutia, ob incestum viua defossa fuerunt. Augustinus in libris de ciuitate Dei. Non multò pòst priusue quam clades Cannensis accepta est, duæ Vestales virgines Opimia & Floronia stupri compertæ vna ad Collinam portam viua, vt moris erat, sub terram necata est: altera sibi mortem consciuit, & L. Caninius scriba pontificum, eius incesti conuictus, adeò atrociter in foro à pontifice flagris cæsus est, vt inter verbera*

expirauerit. Sabellic. lib. 2. Ennead. 5. ex Plutarch. Fabio.

DOMITIANVS Imperator incesta Vestalium *virginum, à patre suo quoq; & fratre neglecta, variè ac seuerè coërcuit: priora capitali supplicio, posteriora more veteri. Nam cum Ocellatis sororibus, item Varanillæ liberum mortis permisisset arbitrium, corruptoresq; earum relegasset, mox Corneliam virginem maximam, absolutam olim, dehinc longo interuallo repetitam atq; conuictam, defodi imperauit, stupratoresq; virgis in comitio ad necem cædi, excepto Prætorio viro: cui dubia etiamnum causa, & incertis quæstionibus, atq; tormentis de semet professo exilium indulsit. Suetonius.*

VETRONIVS Turinus cum Imperat. Alexan*dro Seuero familiarior fuisset, sic omnia certè venalia proponebat, & præposituras & prouincias, dum mentiendo omnibus persuaderet, nihil non Imperatorem ad nutum suum exequi: vt Alexandri quasi fatui hominis, & quem ille in potestate haberet, Imperium traduceret. Verùm is postea tandem hac arte ab Alexandro deprehensus est. Immisit aliquem, qui de se quiddam publicè peteret: à Turino verò præsidium occultè postularet, vt pro se Alexandro rem atq; negotium secretò suggereret. Hic Turinus cum suffragium promisisset, inprimis, etsi ne verbo quidem Imperatorem conuenisset, ait, se cum eo locutum esse. sed in eo pendere, vt adhuc impetraret. Ibi verò Alexander, quo res notior esset, iterum iubet hominem interpellari. Ampla tum mercede accepta, Imperatorem alloquitur, impetrat: & tamen quia nihilominus quærenti de se, quid actum esset, quasi aliud agens, nunc annueret modò, nunc se nondum inpetrasse affirmaret, hominèq; indignè frustraretur ac ludificaret, non alio animo videlicet, quàm vt maiora præmia percipe-*

perciperet: accusari eum Alexander iussit, probatisq́ per testes omnibus, & quibus præsentibus quid accepisset. Deniq́ postquam diligenti quæstione & inquisitione facta, reum inuenit, in multis etiam aliis causis ab vtraq́ parte accepisse: in foro transitorio ad stipitem Turinum alligari, fumoq́ apposito, quem ex stipulis atq́ humidis lignis fieri præceperat, necari iussit, præcone dicente: Fumo punitur, qui fumos vendidit. Lampridius.

Cn. POMPEIVS bello Sertoriano Laurone *vrbe capta, gregario militi oculos eruit, quòd per contemptum obscœnis partibus indigenæ mulieris medio tumultu oblatæ digitos adegisset. Quod exemplum Sertorius imitatus, totam cohortem ob eam iniuriam interfecisse dicitur. Sabellic. libro 4. Ennead. 6.*

GEDANI Prussiæ vrbe, Anno Domini M. D. *XXX. quidam mercatores, numero septem, cùm tot meretricibus nudo corpore choream (quam Adæ Euæq́ vocabant) ducentes, iussu Magistratus capti, & ad publicam statuam virgis cæsi, bonisq́ priuati, perpetuò sunt proscripti, domusq́ solo æquata, lege annexa ne quis eam vllo vnquam tempore inhabitaret. Olaus lib. 15. cap. 11. Septent. Regionum.*

TORDÆ Transyluaniæ vrbe deprehensus in adul*terio coniux accusatus coram Magistratu, manu coniugis in foro obtruncatur. Anno Salut. 1552. Paulus Varadiensis sartor vxorem mœcham deprehensam, damnatam, mactaturus erat, sed precibus & pollicitis illius persuasus, incolumem abire permiserat. Non multò pòst deprehensus ab vxore Paulus, & in iudicium vocatus, consumptis incassum obtestationibus, ab ingratissima muliere, spectante populo, securi percussus est. Ascanius Centorius lib. 4. bellorum Transyluaniæ.*

Quo

QVO tempore nullus erat in Israëlitis Rex, Leuita quidam in latere montis Ephraimitarum peregrinans, vxorem duxerat concubinam à Bethlehem Iudaæ. Quæ cum parum pudica erga illum fuisset, discessit ab eo Bethlehemam. Leuita eam persecutus, persuasit ei vt secum rediret. Bethlehema profecti, vespere ad Gabaam Beniamitarum sole occidente peruenêre. Ibi in foro considebant, nemine eos domum in noctem inuitante. Senex tandem quidam, rure ab opere rediens, à monte Ephraimitarum oriundus, Leuitam in foro conspicatus, domum secum adducit. Interea oppidani domum obsident, & hominem illum produci postulant, vt eum agnoscerent. At senex illis obsistere, & ne hospitem violarent rogare: esse sibi filiam virginem, eam se vnà cum concubina hospitis constuprandam producturum, modò ne hospitem læderent. At cum acquiescere nollent, Leuita concubinam suam illis forâs educit. Qui eam tota nocte constupratam manè dimiserunt. Illa præ foribus ædium iacens expirauit. Leuita manè asino eam imposuit, domumq; ad se reuersus, gladio eam membratim in 12. partes dissecuit, atq; singulis Israëlitarum ad CCCC. millia conuenerunt Masph† am: ibiq; scelere Gabaënsium cognito, legatos misêre ad tribum Beniamitarum, Gabaënses sibi dedi ad necem postulantes. At illi constanter negare, atq; etiam armis decernere parati, apud Gabaam censum suorum instituerunt ad 26. millia arma ferentium, præter Gabaënses, quorum recensiti sunt 700. lectissimi, scæuæ omnes, funditores peritissimi, vt ne in pilum quidem aberrarent. Expeditione igitur suscepta, duobus prælijs Israëlitæ à Beniamitis fugati 40. millia suorum amiserunt. Ea clade accepta, cum Bethel conuenissent, & ieiunijs atq; sacrificijs Dominum placassent, postridie insidias circa vrbem posuêre. Mox acie expli-

explicata, Beniamitas egressos fugere, illi persequi. Tum qui in insidijs locati fuerant, à tergo oppidum ingressi, igni tradiderunt, & Beniamitas in medio conclusos ceciderunt ad internecionem, sexcentis tantum, qui in rupem confugerant, superstitibus. Inde conuersi in cæteros Beniamitas, oppida, homines, pecudes ferro & igni vastârunt. Iudicum capite 19. & 20.

Q. SERTORIVS qui in bellis ciuilibus vnus *Marianarum partium erat, cum in castris tabernaculum suum satis propinquum seruis haberet, qui à Mario liberati militabant: quia nimis licenter opibus, Romanisq; mulieribus abutebantur, imparatos eos, vtpote qui vim non vererentur, adortus, quatuor ex eis millia occidit: affirmans, malle se illis militibus, etsi magnopere necessarij erant, carere, quam Romanis illatas iniurias non vlcisci. Fulgosus libro 6. capite 3. Idem ob vnius militis lasciuiam luxuriamq; nimis infamem atq; importunam (erat inimica mulier) vniuersam cohortem, quia istius argumento necesse esset & deteriores alios continere, vltore gladio deleuit. Appianus lib. 1. Bellorum ciuilium.*

C. IVLIVS Cæsar Libertum gratissimum, ob *adulteratam Equitis Romani vxorem (quamuis nullo querente) capitali pœna affecit. Suetonius. Augustus quoq; Cæsar, Proculum ex acceptissimis Libertis mori coëgit, compertum adulterare matronas. Idem. Item, Iulius Antonius eò quòd in nocturnis compotationibus rem multoties habuisset cum Iulia Octauij filia, cum quibusdam alijs viris illustribus, qui propter id suspecti Augusto erant, occisus est. Dion in Augusto. Item, Cethegus Senator sub Valentiniano cum adulterij reus delatus esset, ei caput amputatum est. Ammianus Marcellinus, libro 23.*

ALETHEVS Burgundionum nobilissimus, magnis apud Transiuranos opibus, quòd autor extitisset Herponis Magistri equitum à Clothario II. rege Francorum instituti occidendi, pœnas metuens, audendumq́ aliquod maioris rei ratus, per Leudemundum Sedunorum Episcopum Bertrudam reginam sollicitat, vt relicto Clothario viro rege, quem eo anno periturum Mathematicis authoribus sortibusq́ fatorum scire se diceret, ad se cum regia gaza transiret, eam se in matrimonio habiturum. Illa agrè tulit se à Leudemundo his moribus existimari, vt tentata pugnari posse videretur: & rex Episcopum sanctitate templorum se tegentem, deprecantibus sanctis viris, vita veniaq́ donauit, iussum diœcesi sua pedem non efferre: In Transiuranosq́ profectus, quæstionem acriter habuit. Procerum iudicio Aletheus condemnatus, cum cæteris qui in noxa erant, capite scelus luit. Aemilius libro 1.

IOHANNES Carongius, eques Francus, peregrinandi causa domo profectus erat. Iacobus Grisus ad eius vxorem formosissimam, sub prætextu arcis Argentolij visendæ causa veniens, cum nihil sinistri de eo mulier conciperet, per vim stuprum intulit. Vxor marito reuerso facinus indicat. Ille, cum Grisus facinus negaret, duellum offert, Petro Alenconio duce, in cuius aula viuebant, refragante. Senatus Parisiensis concessit, diemq́ certamini edixit. Rex ipse Carolus VI. spectator aderat. Carongius vxori, præsentia sua maritum animante & adulterum terrente, dato osculo, admissis equis, in fœmore vulneratus, in pedes desilit, Grisum prosternit & occidit. Grisus carnificis vnco tractus in crucem tollitur, Carongius mille Francis donatus, annuo insuper CC. Francorum stipendio à Rege ornatur. Gaguinus.

Pandul-

PANDVLPHVM Alopum, cui Iohanna regina Neapolitana Ladislai soror eius amore perdita, ærarij præfecturam, ingentes opes, & totius regni procurationem detulerat, adeoq́ ei profligato pudore erat obnoxia, vt imbelli impudicoq́ iuueni, ipsum Sfortiam virum fortissimum insontemq́ carcere includi pateretur, securi percussum, triduoq́ insepultum Neapolitani in foro spectârunt. &c. Iouius in vita Sfortiæ.

VRBINI Dux Oddo, matre Columnensi nobilissima natus, cum per libidinem in matronas nobiles debaccharetur, nec modum licentiæ faceret, populari tumultu interfectus est cum protonotario Carpensi, adolescentiæ suæ corruptore, & libidinum magistro. Cadauer eius in forum delatum, execta virilia ori immissa. Aeneas Syl. capite 61. Europæ.

HIPPOMENES Atheniensis, dum vnus ex Codridis esset, ac filiam Limonem in adulterio deprehendisset, hunc quidem vnà cum filia ad currum alligatum interfecit: illam verò cum equo sub iugum constrinxit, donec mortem obiret. Heraclid. in Polit.

PHILIPPVS Gallorum rex, cognomento Pulcher, se in nurus suas seuerum valdè gessit. Huic tres filij erant, Ludouicus Nauarrensis rex, Carolus Marchiæ, & Philippus Pictonum Comites. Maioris natu vxor fuit Margarita Borbonij ducis filia: secundi Blanca, Burgundiæ Comite patre orta, cuius etiam filia fuit Iohanna, quæ postremo filiorum nupserat. Cum igitur Philippus Pulcher has minus pudicè agere, quam regias, id est, pudicas nurus æquum erat, obseruaret, in custodia seruari iussit, ac criminum disquisitione habita, Pictonumq́ Comitis vxore, crimine, quia innocens erat, facto iudicio, liberata,

alias duas perpetuo carceri addixit, vt in eo miserè vitam agerent. Philippum autem atq; Gualterum Andegauenses fratres, qui adulteri erant, adempto ab eorum tergo corio, suspendit. Anno 1313. Fulgosus libr. 6. cap. 1. & Egnat. eodem.

LVDOVICVS Bresei filius, Normanniæ Seneschallus, *Carlottam Agnetis Bellæ ex Carolo VII. filiam, vxorem suam, à qua lassus ex venatione reuersus secubabat, cum Iohanne Lauerno Pictauiense, indicio Iohannis Pharmacopœi deprehensam cum adultero singillatim confodit. Gaguinus. & Fulgos. libro 6. cap. 1.*

RVDOLPHVS Gonzaga, Friderici Mantuani *Marchionis frater, cum esset in castris, vxorem parum pudicè agere certior factus, deprehensis in facinore, vxoris faciem adulteri sanguine respersit, & demum occidit. Fulgosus ibidem.*

FRANCISCVS Gonzaga, coniugi Agneti, *Bernabouis Vicecomitis filiæ, qui Mediolani rerum potiebatur, caput adimi iussit, quia eam manifestè in adulterio deprehenderat. Fulgosus libro 6. capite 1. Et Egnatius eodem.*

PATRVM memoria in Hispania Tarraconensi *duo fratres, quòd sororem, quam virginem credebant, ferre vterum deprehendissent, dolore quousq; enixa esset dissimulato, & cohibito simul fœtum vtero emisit, inspectante obstetrice, gladijs in ventrem adactis confecerunt. In eadem Hispaniæ parte, me puero, tres virgines, sodalem puellam, quam in obscœno facinore deprehenderant, prælongo linteo præfocârunt, inquit Viues de Christiana fœmina, libro 1.*

Iusti-

IVSTINIANVS Magnus Imp. pœnam facinoris, & maximè pæderastis, exsecando virilia, grauißimè & sine mora irrogauit. Interrogatus, quare id scelus hoc supplicij genere vindicaret? An non, inquit, si sacrilegium commisissent, manus illis amputandæ fuissent? Zonaras tomo 3. Eiusdem anno secundo Esaias Rhodi, & Alexander Diospolis Thraciæ Episcopi, alijq; multi deprehensi sunt masculorum corruptores: Harum alijs veretrum amputari iußit Imperator, alijs calamos acutos in meatus genitalium inseri, eosq; nudos in forum quasi in triumpho produci. Fuerunt & ciuium ac senatorum multi in eadem culpa, qui castrati & publicè nudi in forum producti miserabiliter perièrunt, suoq; exemplo reliquos pudicitiam colere docuerunt. Cedrenus.

NICOLAVS Estensis, Ferrariensis Marchio cum accepisset Hugonem filium suum, iuuenem forma virtuteq; eximium parum pudicè Parisina nouercæ, quæ gente Malatesta erat, consuescere, ne temerè in tanta re fidem habuisse videretur, noua arte operam dedit, vt rem ipse inspiceret. Itaq; posteaquam ita certior factus est, vt iam non falli se credendo sciret, abiecto viri patrisq; affectu, coniectos in vincula ambos, capite cum omnibus conscijs mulctauit. Fulgosus libro 6. cap. 1.

IOHANNES Malatesta Franciscam Polentam vxorem, in complexu Pauli Malatestæ fratris sui deprehensam, gladio vnà cum adultero transfixit. Ibidem.

ANNO 1513. Fossæ Clodiæ ciuis, qui tres suas filias virgines vitiauerat, à Pratore concrematus, dignam commißi pœnam persoluit. Bembus libro 12. Histor. Veneta.

PETRVS Balbus Patauij Magistratus à Senatu Veneto lectus, anno 1510. antequam Patauio decederet, ho-

minem ex plebe, qui filia pro concubina vtebatur, ipsamq; filiam scelere per indicium delato, comprehendi iussit, fassosq; securi ambos percussit, igne patris cadaueri etiam supposito. Bembus lib. 9. Histor. Venet.

CLEANDER Phryx genere, cum in domum Imperatoriam *seruitio traditus, eò honoris atq; authoritatis prouectus esset, vt & corporis custodiam, & cubiculi curam, præterea militum præfecturam solus obtineret, diuitiæ ac luxus etiam illum ad Imperij spem pepulerunt: ideoq; grandi pecunia coacta, plurimum frumenti comparauerat, quod hac industria diu latens in horreo tenuit, vt populũ Romanum atq; exercitus antea rerum penuria laborantes, mox sibi magnis largitionibus demereretur. Sed & Gymnasium vtiq; maximũ ædificauerat, publicatis etiam balneis, vt ijs artibus populũ inescaret. Cum itaq; totius pestilentiæ causam in eum vniuersi conijcerent, dum interea Commodus in suburbanis agit, subitò magnis clamoribus adeuntes, Cleandrum ad necem postulãt. Commodus in alto secessu voluptatibus indulgebat, quamobrem eorum omnium inscio quæ gerebantur, Cleander immittit equites, qui obuiũ quemq; submouerent, vulnerarent, occiderent. Re ad seditionem prolapsa, cùm Cleandri potẽtiæ metu nemo inueniretur, qui quid Commodo nunciare vellet: tandẽ extitit maxima natu soror Commodi Fadilla, quæ Imperatorẽ ocium agentem & oscitantem impellit, excitat, & de omnibus certiorẽ facit. Itaq; ad se Cleandrum nihil dum mali suspicantẽ acciri iubet. Huic protinus caput amputatur, & conto præfixum per vrbẽ circumfertur. Sed & liberi Cleandri, & quotquot illius amici socijq; fuerant, omnes ad vnum trucidati, & tracta per vrbem eorum cadauera, ac contumeliosè habita, postremò etiam in cloacas abiecta sunt. Ita seditio sopita est. Herodianus libro 1.*

ATTALVS Romani sanguinis vir haud ignobilis, *inane Imperij simulachrum accipiens, cum Gothis ex Africa vsq; ad Hispanias portatus est, missis aliquot in Africam qui ius dicerent, ipse naui subsecutus, incerta moliens, in mari captus est, & ad Constantinum deductus: deinde Imperatori Honorio exhibitus, truncata manu vita relictus est, deportatus in Liparam. Cum autem Tertullus Consul iterum reuocasset Attalum: captus iterum Attalus Romæ, ad Rauennam Constantio missus ad supplicium, læua manu quæ sola illi reliqua erat, truncatus, ad ludibrium est Constantinopolim missus. Cuspinianus.*

THEODOSIVS Arcadium & Honorium, quos ex *Flacilla filios susceperat, consortes antea quidem Imperij fecerat. Sed moriens, quia ætas nondum matura imperio esset, testamento Ruffinum Arcadio, Honorio Stiliconem adiunxit, quorum consilio Arcadius Constantinopoli, Honorius Romæ res gererent. At cum Ruffinus primum aduersus Arcadium Alaricum Gothorum regem sollicitasset, hoc animo, vt sub eo metu & rebus citò turbulentis, Diadema Orientis non ambitu, sed quasi necessitate capiti suo imponeret, atq; etiam Stilico alia & secretiore via filio suo Eucherio tyrannidem pararet, itaq; & postremo Sueuos, Vandalosq; & Alemannos ad inferendum bellum Honorio malitiosè attraxisset, ambo perniciosi tutores detectis insidijs ac dolis damnati sunt. Stilico Romæ cum filio in foro Pacis occisus est. Ruffini caput cum dextera manu ante portas Constantinopolis appensum, affixum est. Orosius libro 7. capite 37. & 38.*

SIMILITER in Aphrica Gildo Comes, parum sibi *ab Imperatoribus Arcadio & Honorio tranquillitati deditis metuens, sperauit sumptis armis Imperio Ahrica se citra*

magnum

magnum laborem petiturum. Cæterum frater eius Mascezel, vel vt Paulus Diaconus habet, Mazecil, de euentu paulò accuratius cogitans, Honorio facinus indicat. Gildo fratris tanquam proditoris filios crudeliter necat. Adest interea Mascezel cum quinq; millibus armatorum, cum Gildo cum octoginta, vel vt Paulus ait, septuaginta millibus occurrit. Commissa acri pugna, Gildo in fugam vertitur, & naui conscensa, miranda Dei vltione, vi tempestatis demum in littus eÿcitur. Comprehensus ergò fratris iussu, velo strangulatus est. Hac victoria elatus Mascezel, animum & ipse adiecit ad Aphricam occupandam, sed à militibus suis occisus est, iustas seditionis pœnas luens. Hæc gesta sunt anno Domino 402. Cuspinianus.

MORTVO Honorio Imp. Iohannes tyrannus *Rauennæ præsidio Castini imperium vi arripit: & mox Constantinopolim legatos ad Theodosium mittit, qui eum approbet. Cui infensus Augustus, Oratores in carcerem conÿcit. Magistro autem militum Ardaburio Salonis agenti, viro strenuo & consulari præcipit, vt in tyrannum exercitum educat. Qui ab Aquileia Rauennam nauigans, ventis aduersis in manus tyranni incidit. Cuius lætatus captiuitate tyrannus, sperabat Theodosÿ iram facilè placari posse. Aspar Ardaburÿ filius, patris captiuitatem ægro ferens animo, collectis vndiq; militibus, per inuiam paludem circa Rauennam, duce Pasteo quodam, vrbem apertam ingressus, sæuis populationibus euastauit atq; incendit: tandem arreptus tyrannus, vbi improuidè militibus occurrit armatis, alteraq; dextra, in Hippodromo coniectus, & asino impositus, per contumeliam circumductus, & tandem iugulatus est, cum annis quinq; præfuisset. Cuspinianus.*

Ema-

EMANVELE Imperatore vita functo, Alexius *filius adhuc puer ei successit, cui Philippus Rex Galliæ Agnetem filiam despondit. Suscepit pupilli curam cum Imperij administratione Alexius quidam pueri pernecessarius. Is cum nimis seuerè imperaret, Andronicus est ex Ponto accersitus, vir facinorosus, Imperatorum stirpe prognatus. Hic, Byzantium reuersus Alexium tutorem interfecit, mox imperandi cupidus, Alexium pupillum clam interfectum, saccoq; inuolutum in mare deiecit. Sic Andronicus duplici parricidio Imperio potitus est. Gulielmus Siciliæ Rex, Alexij pueri mortem ulturus, Andronico bellum intulit, & multas vrbes cepit. Andronicus à Græcis, substituto Isaacio, in ordinem redactus, altero lumine priuatus, asinæ impositus, per totam est vrbem circumuectus, præposterè sedens asinæ cauda manibus pro sceptro alligata, capite aliorum reste præcincto diadematis loco, promiscuè viris mulieribusq; in prætereuntem multa probra iacentibus, congerentibusq; in eius faciem lutum, & alia dictu fœdiora. Demum eò processit ira, vt pendens laqueo, vncis & harpagonibus à mulieribus petitus, multaq; particulam corporis ex laniatu adepta mandere sint ausa. Sabellicus libro 5. Ennead. 9. Inuenio in quibusdam Annalibus, hunc stipiti alligatum, quasi metam sagittarijs propositum, in quem paßim omnes tela ac sagittas, ob immensa sua flagitia, iaculati sunt. Idem.*

MVRZIPHILVS homo obscurissimus, tutor *Alexij iunioris, cum eo per fraudem necato, tyrannidem arripuisset, Venetis & Francis se frustra opponens, amissa vrbe Constantinopoli, nocte media cum vxoribus & pellicibus ac thesauro clam aufugit. Sed non multò pòst in Peloponneso captus, & Constantinopolim retractus, per summam*

 igno-

ignominiam & cruciatus moritur: excæcatus enim de eminentißimo loco præcipitatur, ac per vrbem tractus frustatim discerpitur. Idem.

MASLAVS pocillator regis Polonorum Miecislai, *eo mortuo, tyrannidem inter suos in tractu Plocensi arripuit, eumq; de suo nomine Masouiam appellauit. Victus tandem à Casimiro Miecislai filio, ex fuga perpetuo cursu in Prußiam contendit. Ibi à Barbaris cognitis euentu prælij excarnificatus, in crucem actus est: insultantibus vt alta teneret, qui alta petiuisset. Crom. lib. 4. de gestis Polonorum.*

FELICIANVS Zaachus Carolo I. Vngarorum *regi familiaris, cum opibus & dignitate creuisset, tyrannidem inuadere decreuerat. Itaq; Regem de more solus adiens stricto ense ferijt. Rex ictu euitato profugit. Mox Reginæ quatuor digitos abscidit. Pueros regios pædagogi suorum obiectu corporum vix protexêre. Tumultu excitati satellites, parricidam membratim discerpsere. Feliciani filius bigis distractus, canibus & porcis cum patre præda fuit. E filiabus Clara, quæ Reginæ famulabatur, labijs, naribus, octoq; digitis mutilata, per compita circumducta, in triuijs alta voce proclamare fuit coacta: En digna proditionis præmia. Altera Sebe, capite multata est, marito per inediam in carcere necato, filijs Rhodon relegatis: amicis extremo affectis supplicio. Bonfinius lib. 9. Dec. 2.*

MARINVS Falerius Venetorum Dux, cum iam *nouem menses Rempub. administrasset, animum ad regnum adiecit. Statuerat optimatibus cæsis Rempub. inuadere. Quod ipsum vt commodius consequi posset, multos ex eo ordine, quem popularem vocant, ad infandam cædem præparauerat, & aliquot etiam ex nobilitate. Negotium patrandæ cædis sexdecim facinorosis hominibus, principibus coniu-*

rationis

rationis datum, quorum singuli cum sexaginta armatis in curiam statuto tempore erant impetum facturi. Conuenerat inter eos, vt postridie Idus Aprilis repentè vanos per vrbem rumores dißiparent, hostem adesse &c. Princeps confestim ad arma conclamari, campanamq́ ex summa turri pulsari iuberet. Quo signo cōiurati suis ædibus exciti, diuersis itineribus armati (quasi principis patrumq́ iussum facturi) in Curiam venirent. Ibi tum liminibus insessis in Patres, qui aut consultaturi de Republica aut ad alia obeunda munera eò venissent: atque in cæteram nobilitatem ferrum stringerent, ad vnumq́ trucidarent, ac tum demum Falerius non princeps amplius, sed Dominus salutaretur. Erat Beltrandus quidam, homo plebeius, ex principibus coniurationis vnus: is pridiè illius diei, qui cædi destinatus erat, pœnitentia tanti sceleris ductus, ædes Nicolai Leonis, patricij hominis ac compatris sui, primis tenebris clandestinè subijt, remq́ illi submotis arbitris omnem aperit. Is patribus ordine narrauit. Sexdecim ergo coniuratorum Principes ea nocte ferè omnes in potestatem patrum redacti, ac sceleris conuicti, vnà cum ipso Falerio, ad vnum suspendio necati sunt, reste ex ipsis columnis superiore parte Curiæ demißi. Inde ijs, quibus id negotium datum erat, acerbißimam de coniuratis quæstionem habentibus, ad quadringentos intra octo dies sceleris conuictos fuisse ferunt: multos quidem, sed non vno supplicij genere necatos: ita vt alij suspendio necati sint, alij securi percußi, quidam etiam alto mari depreßi. Multis, qui se coniuratis affuturos dixerant, non tamen sceleris participes facti, venia data est, sed tam ignominiosa suspicione notati, vt pudore aliqui, plures verò metu cum vxoribus & liberis vrbe omnino excesserint, hi numero quingenti fuisse traduntur.

Priuatæ Valerij ædes ad Apostoli fanum datum: Ipse autem Ragusium in decem annos est relegatus, vnde postea contra præscriptum profectus, cum in Pannoniam iter intenderet, perijsse dicitur. Quo minus autem extremo sit in eum supplicio sæuitum, recentis meriti memoria obstitit. &c. Sabellicus libro 3. Decad. 1.

MORTVO Iohanne Mediolanensi Duce, Ca*uale à boui Cremonenses ciues id egerunt, quod à permultis alijs ciuibus in Transpadana regione, ob eandem mortem, in vrbibus suis actum fuit. Vrbis enim Cremonæ imperium inuaserunt: & cum Gambrinum Fundulum, virum postea perfidia insigni notum, conduxissent, inter militares virum clarum, præcipua in se eum fide esse arbitrabantur. Is autem cum eos ad Machasturmam oppidum inuitasset, discumbentes decem ex eis occidit, fraudeq́ munitis in potestatem suam redactis locis, vrbis Cremonæ imperium inuasit. Sed postea Dux Philippus Vicecomes, Iohannis frater, eam vrbem recepit. Nam Gabrinus, ab Oldrato Lampugnano, quo cum sacra baptismatis necessitudine coniunctus erat, per insidias captus, ac Mediolani capite multatus discerptusq́, mercedem, quæ tantæ perfidiæ debebatur, tulit. Fulgosus libro 9. cap. 6.*

CLARITAS & Fluuiana adulteriorum stupro*rumq́ criminibus obnoxiæ, iudicante Maximino, sub Valentiniano damnatæ sunt. Harum altera cum duceretur, abripuit ei carnifex indumenta ac vestimenta omnia, vt ne quidem ei velamen vllum pudendarum partium relinqueretur, atq́ ita per medium populum nudam ad supplicium traxit. Id carnifex sua autoritate, immaniter, insolenter, ac contra pudorem publicum fecisse deprehensus, ipse de adultera exacto supplicio, viuus exustus est. P. Aerodius ex Marcellini lib. 28.*

Iohan-

IOHANNES Croatiæ præfectus, qui Elizabetham *Vngariæ Reginam, ob cæsum Carolum Neapolitanum in aqua submergi curauerat, à Sigismundo Imp. stimulis vxoris Mariæ, matris necem vlcisci desiderantis, accenso, captus, & quinq; ecclesiarum reuinctis ad palum manibus, per vrbes, vicos, & compita circumuectus, candentibusq; frustulatim forcipibus paßim discerptus, postremum quadripartitò dissectus est, frusta corporis singulis portis ad deterrendam facinorosam audaciam imposita: cæteri capite mulctati. Bonfinius libro 2. Decad. 3.*

SIGISMVNDVS Vngariæ Rex, regno restitu*tus, in Sclauonia conuentum indicit. Ad conuentum Stephanus Vaiuoda, Ladislai filius, coniuratorum, per quos in carcerem fuerat coniectus, princeps, cum magna equitum manu aduenit, partim suorum viribus, partim Regis clementia fretus: sed spe sua falsus, longè aliter ac putabat, sibi accidisse cognouit. Quum in concilium venisset, à nobilitate captus, & indicta continuò causa obtruncatus est. Equites vt sui Ducis libertatem vindicarent, sumpsere arma. Nobiles Stephani cadauer è fenestris continuò in forum deturbauerunt. Quo spectaculo equitum animi sic consternati sunt, vt domini sui vindices esse formidarent. Bonfinius libro 2. Decad. 3.*

ANDREAS Rex Apulus Ludouici I. Vngariæ *Regis frater, tertio post initum regnum anno cognatorum factione, consentiente vxore Iohanna, Auersæ serico laqueo necatus est. Coniurationis principes, Corradum Cathaneium, & Chensam militem, cum nonnullis alijs Comes Nouellus, Andreæ necessarius, cepit, & per omnes Comitatus sui vicos circumferri, candentibus forcipibus discerpi, demum quadripartitò discindi iußit. Bonfinius lib. 10. Dec. 2.*

IOHANNES Dinus, Iohannem Costanum Burgundionem accusauit, compellatum se ab eo dicens, vt accepta grandi pecunia, venenum perferret, quo Carolus Comes Carolesius (Dux Burgundiæ) de medio tolleretur. Is posteaquam Costanum securi percussit, Dinum quoq; ad se vocatum interrogauit: Si Costanus pecuniam quam promiserat præstitisset, eumne accusaturus fuisset? Cui Dinus, ne mentiretur, fretus quoq; indultum iri, palam fassus est: Se eum non detecturum. Quamobrem Comes iussum Dinum Christiano more sacerdoti crimina sua fateri, eadem hora ipsum quoq; securi percussit. Iusta neq; tarda mercede ei data, duarum proditionum, quas & amico & Domino suo simul patrârat. Fulgosus libro 6. cap. 5.

OSTAVVS cùm Sueonibus & Gothis tyrannicè praeesset, à Nobilibus quibusdam noctu igne domui iniecto, cum tota familia exustus, & cineres in profluentem proiecti. Ioh. Magnus lib. 8. cap. 23.

IVSTINIANVS II. cùm per 10. annos crudeliter imperasset, & Stephani præfecti, & Monachi Theodori instigatione nocte quadam omnes ciues Constantinopolitanos interficere decreuisset: Leontius Patricius, Magister militum Orientalium populari manu facta eum cepit, & lingua, naribus, & auribus truncatum Chersonam relegauit. Stephanum verò ac Theodorum post longa tormenta ad taurum ignitum damnauit. Cæterum non multò pòst ab exercitu, electus Absimarus, Leontium pari crudelitate mutilauit, & in Monasterium detrusit. Iustinianus ope Terbellij Bulgariæ Regis, cuius filiam ambiebat, Constantinopolim decimo anno exilij cepit, ciuium plurimos suspendit & iugulauit. Absimarum & Leontium captos ac vinctos in pompa duxit, eosq; pedibus conculcans, acclamante

populo

populo: Super Aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem, iußit decollari. Chersonenses qui cum Absimaro prodere voluerant, crudeli supplicio affecit, & ne infantibus quidem pepercit. Quoties pituitam a naribus truncatis profluentem abstergebat, toties aliquem ex Constantinopolitanis occidi iubebat. Tandem omnibus exosus, à Philippico præfecto exercitus, sexto Imperij recuperati anno, interfectus est. Diaconus libro 19. & 20.

HVMFREDVM Glocestrensem Ducem, Heinrici *VI. Anglorum Regis patruum & tutorem fidelißimum & fortißimum, ex cuius nutu rex totus pendebat, Gulielmus Suthfolciæ Dux falsis criminibus circumuentum iußu Reginæ strangulandum iniustißimè curârat, & inde ipse rerum potitus, cum populum tributis exhauriret, & non misso in Galliam stipendio, Nortmanniæ & Aquitaniæ amittendæ occasionem præbuisset, Anglorum seditione orta, parricidij & peculatus accusatus, frustra defendente Regina, in exilium eÿcitur. Cum nauim conscendisset, ab aduersariÿs retractus interficitur, meritas sua perfidia pœnas dans. Polydorus libro 23.*

IOHANNES Maria Dux Mediolanensis, ferocibus *Moloßis ciues dilaniandos obÿciebat. Qua feritate fecit, vt cum in templum Gothardi sacrorum causa descendit trucidaretur, funeris expers: nisi quod meretrix quædam ignobilis, ad tegendam vulnerum fœditatem, recentium rosarum aceruo eum operuit. Iouius in eius vita.*

SALADINVS Sultanus Ægyptius, captos in prælio *Guidonem Lusignanum Hierosolymorum Regem, & cum eo multos alios principes, omnes humanißimè habuit, excepto Raynoldo Castiliono, qui Antiochiæ principatum obtine-*

obtinebat, cui manu sua caput ademit quod contra induciarum fidem bellum ei intulerat. Fulgosus lib. 6. cap. 5.

TEMPORE Constantini & Romani Lacapeni, *Rentacius, natione Græcus, suum patrem interficere cum conaretur, pater filij intemperiem metuens, conscenso nauigio Byzantium versus nauigauit, ab Imperatore petiturus, vt filij libidinem compesceret, estq́ à Cretensibus Saracenis captus. Filius paternarum opum compos factus, cum ijs se Constantinopolim contulit ad Sophiæ templum, ibiq́ desidens, bona paterna prodegit. Romanus Imperator re comperta, templo eum educere & castigare intendit. Quod Rentacius cum subodoraretur, literis ab Imperatore ad Simeonem confictis, ad Bulgaros transfugere instituit: conuictusq́ criminis, oculis est & bonis spoliatus. Cedrenus.*

LADISLAVS III. Vngariæ Rex, Caroli Siciliæ *Regis filiam vxorem suam neq; pro dignitate tractauit, neq; coniugali amore & charitate prosecutus est, Cumanarum captiuarum amoribus distractus. Id indignè ferentes Regni proceres, pontifici Max. autores fuere, vt misso Legato anathematis fulmine Regem percusserit. Non multò pòst, anno Salut. 1029. haud procul à Castello quod Kereszeg Vngari nominant, à Cumanis, quas in delicijs habebat, miserabiliter interfectus est. Bonfinius libro 8. Decad. 2.*

IN Hunnorum in Europam aduentu, quod fuit *anno Domini 373. quædam mulier, quæ in viri nece deprehensa fuerat, capitis arcessitur: homicidij conuicta pariter & adulterij, vsq; adeò Regis Gothorum Hermanarici iram facinoris indignitate succendit, vt quatuor equorum discerptu multaretur. Duo eius fœminæ fuerunt fratres, Rossomanarum perfida gente nati, hi sororis supplicij immanitate*

nitate bacchantes, in principem coniurant, & Hermanaricum interficiunt. &c. Bonfinius libro 2. Decad. 1.

GALBA, qui postea imperauit, cum in Hispania *proconsul esset, quibusdam mensarijs præcidi manus iussit, & mensæ eorum affigi, quia fraudulenter pecuniam tractare comperti erant. Suetonius.*

CASTRVTIVS Castracanis Lucensium Dominus, *cum sciret mensarium prædiuitem solum vertisse, nec multò pòst, parua pecunia cum creditoribus pacta, mensam repetijsse, atq; magnificas ædes ædificare cœpisse, in vincula coniecit: atq; vocatis edicto creditoribus, pro tota summa satisfieri iussit: & quod vltrà mensario superfuit, in publicum redegit. Appenso autem mensario iuxta mensam, in qua aduersus eos qui eius fidem secuti erant, fraus commissa erat, ceruices fregit. Neq; enim minùs supplicio dignum esse arbitratus est, quàm illos qui in viatores grassantur: Siquidem fallaces mensarij fraude eos circumueniunt, qui eorum fide ducti, pecuniam suam mensæ crediderunt: at grassatores non sine vitæ suæ discrimine, dispoliare eos nituntur, qui nullam eis fidem habent. Fulgosus lib. 6. capite 3.*

APVD Turcos hoc in ore omnium denegati *Depositi percelebre iudicium fuit. Quidam nemine conscio penes amicum suum pecuniam deposuerat. Is cum reposceret, negauit alter se quicquam accepisse: & quod amico Imperatore vteretur, non ausurum illum controuersiam mouere, existimabat. Sed re nihilominus ad eum delata, interrogat vtrumq;. Deprehendit eum, penes quem pecunia esse dicebatur, non vt ingenuum decet atq; innocentem turbulentè inficiari: alterum contrà non fictis lachrymis constanter affirmare. Statuit igitur Imperator, nihil omninò*

 præter-

prætermittere quòd pertineret ad inquirendam veritatem. Inprimis rem in alium diem protrahit, postea summittit, qui amicè & quàm familiariter inficiantem admoneat, vt sponte pecuniam reddat, rem sine iudicio transigat, famæ atq; opinioni suæ consulat: sanè vel principem malè quid de eo conijcere: itaq; rem componi posse, vt sine suo damno pecunia restituatur. Cum ille verò tum audacius denegasset, præ se tulit Imperator, controuersiam hanc, quæ non iure sed probationibus indigeat, indecisam haberi velle: & mox rursum inopinantem ad se adduci iubet. Postulat, num proxima nocte cum vxore dormierit, & an cum ea rem habuisset, quaue hora noctis? Vtrumq;, vti postulabat, cum ab eo didicisset, iussit alium adire vxorem, veluti si à marito mitteretur, qui diceret, virum suum mandare, vt quam ei custodiendam pecuniam credidisset, hanc per se nuncium mitteret. Si loquenti fidem non habeat, narrare se quæ à marito acceperit. Vxor his victa sermonibus, pecuniam promit. Sic itaq; detecta perfidia, Turcarum Imperator eum carnifici tradi, & ceruices præscindi iussit. Aerodius libro 1. Decretorum.

HERCVLES cum Iasone militans ad vellus aureum, *monstrum marinum, cui Hesione Laomedontis Regis Troianorum filia exposita erat, obtruncauit: sed promissis ob nauatam operam à Laomedonte perfido equis frustratus est. Iason opportunitate capta Troianis arma intulit, & cum copijs militum præcessit ad vrbem, Oileo Amphiarai filio præfecto classis relicto. Laomedon improuiso hostium incursu præuentus, copias pro temporis angustijs comparatas, ad oppugnandas naues duxit: sperans si illas incendisset, finem se bello positurum. His occurrens Oileus, commisso prælio occubuit: reliqui ad naues refugientes,*

classem

classem procul à terra abegerunt. Laomedon reuersus, inito prope vrbem cum Herculis exercitu prælio, & ipse & multi alij præterea pugnantes cecidêre. Hercules vi capta vrbe, multos iure belli interficit. Priamo (solus enim filiorum patri consuluerat, equos Herculi pollicitos tradendos) quoniam iustus videretur, regnum Iliensium permisit. Diodorus lib. 4. cap. 2.

SOLON legislator Atheniensium id ante omnia *præclarissimè statuisse dicitur, ne is tutor curatorue pupilli esset, ad quem eo mortuo bona peruenirent: néue qui tutor curatorius esset, cum matre pupillorum habitaret: Idem videlicet metuens, quod cum accidisset, Galba Imperator seuerissimè vindicauit. Nam tutorem, cum pupillum, cui substitutus hæres erat, veneno necasset, cruce affecit: implorantiq́ leges, & ciuem Romanum se testificanti, quasi solatio & honore aliquo pœnam leuaturus, mutari crucem, multoq́ præter cæteras altiorem, & dealbatam statui iussit. Nempe parricidium est, omniq́ scelere crudelissimum facinus, cui parentis loco sis, eius vitæ, nedum bonis insidiari velle. P. Aerodius ex Suetonij Galba.*

SVB Artaxerxe Rege Iudices quidam iniustè *comprehensi, viui excoriati grauissimam pœnam luerunt. Cute circum subsellia expansa, Iudices eis insidentes sententias dicebant, quo recens semper ante oculos supplicij exemplum extaret eorum qui iniustè iudicassent. Diodorus libro 15.*

SISANNES, cum pecunia atq; largitione cor*ruptus, iniquè iudicasset, hunc Cambyses rex Persarum faucibus strangulari, ac vellicato cadauere, pellem, quo sederat tribunali, intendi ac consterni iussit. Huic cum idem*

postea filium Sisannis Ottonem præfecisset: Memento, ait, quo ex loco iudices. Familiare fuit alioqui supplicium, cutem viuis etiam hominibus detrahere, nunc solidam, nunc particulatim. Herod. lib. 5.

DARIVS Sandacem Æolidis præfectum, quòd *pecunia corruptus iniustè iudicasset, cruci affixit. Alexand. ab Alexandro libro 3. cap. 5.*

TENNES, Rex Tenediorum, legem edixit, vt *à tergo Iudicis adstaret spiculator, securim tenens, vt qui iniustè in iudicio aliquid dixisset, eum protinus securi percuteret. Hinc orta parœmia, Tenedius homo. Erasmus in Adagijs.*

REX Arabiæ thuriferæ, suis legibus viuit, neq; *vllius imperio paret, delitijs ac inertia maximè abundat, semperq; in balneis versatur, vitam degens in sumptu atq; delicijs, ac neq; quippiam agit, nec cum multis versatur, sed iudices constituit: Quod si quis minus iustè iudicasse putetur, fenestra quædam est in altissimo Regiæ loco, quæ ferrea cathena ligatur: qui igitur iniustè se iudicatum esse existimauerit, catenam apprehendit, fenestramq; attrahit: quod vbi Rex senserit, eos ad se vocat, atq; ipse dijudicat: Quare si videantur Iudices minus iustè iudicasse, moriuntur: si iustè, is moritur, qui fenestram mouerat. Athen. libro 12. cap. 4.*

ARTABASDES Armeniæ Rex Tigranis filius, *quàm diu mansit in amicitia populi Romani, tam diu fuit fortunatus. Postea verò quam M. Antonium in Parthico bello Parthis prodidisset, perfidiæ pœnas dedit. Nam vinctus ab eo Alexandriam perductus, ac contumeliosè per vrbem circumlatus, ac primum custodiæ traditus, deinde interemptus est. Strabo libro 11.*

Aaron

AARON cum Occidentalium gentium legationes exponeret, & Manuelis Comneni Imperatoris voluntati eas non refragari videret, in vna postulatione Legatos obiurgat, vt nimium ad iussa exequenda paratos: monetq́; vt aduersentur, neq; tam facilè adsentiantur, id enim eis lucro fore, maioremq́; gratiam apud Imp. inituros, & à suis popularibus plus honoris consecuturos. Ac cum id colloquium diremptum est, Imperatore, ob Latini sermonis imperitiam, quid dictum esset ignorante: cæterum Imperatrix Maria Raymundi Antiocheni filia, sermonis Latini peritißima, propositis quæstionibus seorsim consideratis, Imperatori exponit omnia: Qui ira commotus, Aaroni & visum & omnes facultates eripuit. Is pòst author fuit Andronico Comneno, iam rerum per vim potito, vt excæcatione haud contentus, aduersarios aut planè occideret, aut grauioribus supplicijs coherceret exemplo suopte, ad eam orationem confirmandam seipso vsus, qui & viueret & moueretur, & spiraret & loqueretur, & consilium dare posset. Sed mox ab Isaacio, qui Andronicum oppreßit, lingua pestilente etiam priuatus est. Nicetas libro 4.

MVLSVMANES Baiazetis I. Turcorum regis filius, dum Mosen fratrem fugit, cognitus est à Turcis in via qua Byzantium fert. Turci itaq; qui ibi habitabant, collecti in vnum ceperunt Mulsumanem viuum, captumq́; adduxere ad Mosen, isto munere eum honorare affectantes. Moses fratrem illicò necauit. Turcos autem qui fratrem comprehenderant, comprehensumq́; ad se adduxerant, omnes cum liberis & vxoribus, adeoq́; cum vniuersa familia igne cremauit, dicens, eos impia commisisse. Meritò igitur, cum Regi suo violentas intulerint manus, has pœnas sceleris luisse commißi. Chalcondylas libro 4.

GANELO legatus Caroli Magni, pecunia corruptus, *Marsillo Saraceno Francorum aciem prodidit, in qua Rolandus & alij illustres viri perierunt. Comprehensus Aquis granum ducitur, & manibus & pedibus equis quatuor alligatus, distrahitur. Gaguinus libro 4. de Francis. Sabellic. Ennead. 8. libro 8.*

GVNTRAMVS Burgundionum Rex, cum bel*lum gereret aduersus Gondoaldum (qui falso nomine, tanquam eius frater esset, occupata Burgundiæ parte, regni titulum inuaserat) cum Sagittario atq; Monnialo Episcopis, quibus Gondoaldus ceu amicis plurimum vtebatur, rationem iniuit, qua Gondoaldus occideretur. Quod cum fieret, ipsos quoq; Episcopos, quia ministri fuerant, interimi iussit: ne pessimum exemplum maneret, vt aliquis prodere eum auderet, quem semel dominum agnouisset. Fulgos. libro 6. cap. 5.*

HEBERTVS Comes Viromanduorum, iudi*cio suo damnatus, comprehensi Caroli Simplicis Regis, & in custodiam Peronæ coniecti, pœnas filio Regi Ludouico Transmarino dedit. Rex enim in conuiuio procerum simulans se ab auunculo Angliæ Rege per literas consuli, quid meritus supplicij videretur quidam ignobilis cliens, qui patronum nobilissimum prodidisset? Hebertus accubans, cum in caput suum consuli se ignoraret, sententiam rogatus restim deberi censuit. Atq; ita voce sua damnatus, è conuiuio abstractus, suspensus esse dicitur. Aemilius libro 3.*

ANNO 1323. Cum res toties malè gestæ cum *Scoto, iam Edouardo II. Anglorum Regi documento essent, vt fortunam belli timeret, ac pacem demum quæreret, negotium dedit Andreæ Carliolensi Comiti, vt cum Scoto de concordia ageret. Is in Scotiam profectus, cum Roberto*

Rege

Rege nihil de pace, sed de bello egit: & cum Scoto paciscitur, quando, quoúe loco insidiæ Edouardo intenderentur, & vt fides data & accepta firmior esset, Roberti sororem in matrimonium accepit. post paulum de ea perfidia Rex certior factus est. Adeò difficile est proditionem celare, quæ mille graditur pedibus, & quocunq; pergit, mille post se vestigia relinquit, quibus facile deprehendi posit. Vbi igitur Andreas Carliolum reuertit, à militibus Regijs qui illic hybernabant, ipsius Regis iussu captus, atq; facinoris statim conuictus morte multatus est. Polydorus libro 18.

CONVENERANT Electores principes Francofurti, *vt Regem Rom. eligerent, Friderico Pulchro Austriæ, & Ludouico Bauariæ competitoribus. VValdemarus Marchio Brandeburgensis, cum præsens esse non posset, mittit Nicolaum de Boock, equitem, cum multis literis diplomate munitis ac corroboratis, Fridericum regem suo suffragio constituens. Eques is, quod nihil speraret se à Friderico consequuturum, simul etiam quod plurium animos ad Ludouicum cerneret inclinatos, abrasa membrana, expunctoq; nomine Friderici, Ludouicum substituit, contra Domini sui voluntatem. Ob quod scelus VValdemarus Marchio, postquam intellexit electionem in aliam partem inclinasse proditione Legati sui, Equitem in vinculis innedia confecit. Quotidie enim delicatissimos cibos ei apponi curabat, & statim appositos à custodibus deuorari, vt ciborum præsentia fames magis acueretur. Alij scribunt binas literas militem à Marchione pari sigillo munitas accepisse: quarum altera rasæ erant, vt illis vteretur pro occasione. Is verò fracta fide, cum Ludouicum delegisset per literas contra Domini voluntatem, animumq;*

Domini

Domini prodidisset, has tandem proditionis pœnas luit. Cuspinianus.

IAROPELCVS Kiouiensium princeps, cum *aperta vi imparem se esse Boleslao III. Polonorum Regi cerneret, Vngarum subornauit, qui pro perfuga ad Boleslaum delatus, captata occasione vel vitam eius peteret, vel insigni aliqua clade Polonos afficeret. Qui quidem ita se in amicitiam creduli principis breui insinuauit, vt ad consilia omnia adhiberetur, ac præfectura Vislicienſi donaretur. Profecto interea ad Cæsarem Lotharium Boleslao, Vngarus Russis Visliciam oppidum diripiendum tradit. Proditori Iaropelcus princeps præmij loco linguam præcidit, oculos effodit, genitalia membra abscidit. Sic ille perfidus dignam sceleris sui mercedem tulit. Cromerus libro 5.*

LADISLAVS Alberti Imperatoris filius, puer *XII. annorum, ab Vngaris inauguratus, in Bohemiam properabat coronæ suscipiendæ causa. Erat inter Bohemos Iohannes Smiricheus, homo nobilis, qui ad Regem Bohemiam ingressurum literas huiusmodi dedit: Venturum te quamprimum in regnum tuum probo, si modò imperaturus veneris, non pariturus. Inermem impotemq́ intrare non laudo, si non bicipitem mater te peperit, vt ex duobus capitibus vnum Viennæ apud amicos dimittas, alterum Bohemorum dubiæ credas fidei. Epistola Vlrico Ciliæ comiti, qui regem in sua habebat potestate, reddita est. Qui eam Georgio Poggiebracio Bohemiæ gubernatori misit. Ille accersito procerum concilio, inter quos Iohannes non postremus erat, literarum sensum, suppresso scribentis nomine, recitat, quid mereatur scriptor, percunctatur. Dignum morte primi iudicant: nec Iohannes aduersari audet, proditorem patriæ afficiendum summo supplicio censet. Profertur mox*

episto-

epistola eius manu conscripta, & impressum annuli signum recognoscitur. Damnatus ore suo, comprehenditur, duarum horarum tempus datur, in quo si velit, & animæ suæ saluti, & domesticis rebus consulat. Mox gladio percutitur. Aeneas Syluius cap. 60. Histor. Bohem.

OBSIDEBANT Veneti circa annum Sal. 1281. *Tergestum, & Castellum extruxerant. Cardanus, qui honestißimum ordinem in Venetis castris ad eam diem duxerat, in perfidiæ suspicionem venit præsidij tradendi. Capto, quæstioniq; adhibito, nefarij consilij confeßio expressa est. Conuictus sceleris, postridie, vbi primum illuxit, tormentali machina in hostium castra coniectus est. Sabellicus lib. 10. Decad. 1.*

MAHOMETES cum obsideret Constantinopolim, *quidam Constantinopolitanorum ciuium Constantino VIII. Imperatori infensus, proditionem vrbis magna vi auri, & vnius filiarum Imperatoris nuptijs pactus est. Potitus vrbe Mahometus anno Salut. 1453. 4. calend. Iunij (qui Christianis omnibus semper funestus esse debet) magnum auri pondus in medium afferri iußit, & ad proditorem conuersus: Qui, inquit, filiam meam tibi vxorem cum dote (quæ præsens est) poscis, cum Christianus sis, cutem hanc exuas oportet, vt dignus Mahometica sponsa fias. Adest carnifex, & excoriat hominem, inde cineres cum sale calidos vulneribus inserit, mox lecto cooperit, quasi noua cutis ei hac ratione succrescere posset. Sic proditor nequißimus dignas perfidiæ pœnas à truculentißimo tulit. Cuspinianus.*

QVVM Iohanna Regina Neapolitana Alphonsi *Aragonij repentinis armis circumuenta, obsessaq; in arce Capuana, cohortante demum, deducenteq; Magno Sfortia,*

Auersam se recepisset: Gratianum Fauentinum custodiæ arcis præposuit, commendante eius virtutem & fidem Sfortia, qui illum magnis beneficijs ac præfecturis ornatum, ab humili militia loco ad primos honores extulerat. Is beneficiorum oblitus, Catalanis se proditurum arcem pepigit. Verùm detecta perfidia, Sfortia eum apud Sciliceum Glanij amnis pontem Auersana via præalta in arbore suspensum, agitandum vento, & volucribus carpendum reliquit. Iouius in vita Magni Sfortiæ.

DVM summa ope Patauium à Venetis oppugnatur, *Massolerius Venetus in suspicionem venit, quod sagittas cum literis alligatis ad hostes in vrbem occultè mitteret. Sceleris conuictus, Venetijs ex superiore parte Curiæ reste est suspensus: Quo item die eius frater, cum duobus sacerdotio initiatis, ad geminas columnas viui obuersis capitibus sunt humi defossi. Quod insuetum spectaculum oculos ciuitatis mentemq; pauore defixit. Vulgo ferebatur, statuisse eos vrbem noctu pluribus locis incendere, fuisseq; alios plerosq; eius consilij conscios, quorum nonnulli paucis diebus saccis obuoluti circa littora fluitantes sunt exanimes reperti, non tamen cogniti. Delatus & Iohannes Ticinensis, qui magna ad eam diem in Venetis castris fecerat stipendia, quòd occulta cum hoste haberet colloquia. Is quoq; Venetias missus, ad geminas columnas laqueo est necatus. Sabellicus libro 8. Decad. 2.*

FRANCISCI Carmaniolæ opera feliciter vsi *Veneti, sed postea sæpius ab eo delusi, varijsq; casibus vexati, literisq; etiam eius interceptis, quibus Philippo Vicecomiti suam pollicebatur operam. Quare subiectus quæstioni & literis, quas suas esse negare non poterat, & domesticis testibus conuictus, vnde tricesimo die postquam in custodia*

esse

esse cæperat, ad geminas columnas securi est percussus, & eius bona in publicum redacta. Sabellic. lib. 1. Decad. 3.

DECEMVIRI Venetæ Reipub. certiores facti *serui indicio, qui ab eo vapulauerat, Hieronymum Tronum (qui bello Turcico Naupacti arcem, quam Reipub. nomine custodiebat, hostibus tradiderat, eamq; ob rem exul aliquot annos fuerat) id quod fecerat de tradenda arce, precio accepto fecisse: ab exilio domum redeuntem in vincula coniecerunt, pauloq; pòst quæstione habita, è superiore curiæ porticu, quæ in foro est, inter rubri lapidis columnas reste suspenso carnifex gulam fregit. Bembus libro 7. Histor. Veneta.*

C. CARBO Orator celeberrimus, propter turbulentissimum *tribunatum, ad quem ex inuidia fœderis Numantini bonis iratus accesserat, à Romanis interfectus est. Tiberius quoq; Gracchus, cùm legem Agrariam turbulentissimam, inuisam patribus, contra Senatus decreta tulisset, nouasq; alias haud minus perniciosas leges ferre contenderet Duce Scipione Nasica, concursu hominum facto interfectus est. Liuius & Plutarchus. De his Cicero de Oratore his verbis: Vtinam C. Carboni & T. Graccho talis mens ad Remp. benè gerendam, quale ingenium ad bene dicendum fuit, profecto nemo his viris gloria præstitisset. C. quoq; Gracchus Tribunus plebis concionibus Rempublicam vexat, motaq; grauissima seditione acta sua tueri vult neq; abrogari patitur, Duce Opimio consule, serui manu cæsus occubuit. Plutarchus.*

P. SCIPIONE graui morbo implicito in Hispania, *octo millia militum, stipendium sibi non redditum causati, Tribunis seditione eiectis, alios sibi Duces*

creauerunt. Noui motus authores Imperij insignia, fasces & secures suis imminentes ceruicibus suscipere ausi, sociorum fines cupiditate prædæ infestabant, imperabantq́ue proximis ciuitatibus pecuniam, superbeq́ue exigebant. Cæterum vbi Scipio conualuit, seditiosum exercitum pro concione increpuit, & vt pœna ad paucos, exemplum ad plures perueniret, authores seditionis, qui quinque & triginta numero fuerunt, ante tribunal destitutos primò virgis iußit cædi, inde cæsos securi percußit. Sabellic. lib. 5. Ennead. 5.

THEODORICVS Francorum rex, auiæ suæ *Brunechildis & Prothadij auiæ amatoris instinctu, fratri Theodoberto bellum fecit: nec segnius Theodobertus sua defensurus arma induit. Cumq́ue pugnaturi fratres haud procul distarent, vtriusque exercitus Ducibus militibusq́ue huiusmodi parricidiale bellũ abominationibus, de concordia nuncijs vltrò citroq́ue missis actum est. Soli Prothadio pugnare placebat. Quocirca facto à militibus impetu, sub tentorio Regis Theodorici trucidatur. Auentinus libro 3. Annal. Boiorum.*

EXERCITVS Romani in Armenia, cum co- *gnouissent, Irenem filium suum Constantinum ab Imperio remouisse, coëgerunt eam, vt Magistratu deposito, filium solum sineret imperare, anno Domini 792. Anno sequenti, cùm Constantinus partem Imperialis dignitatis matri suæ restituisset, Armeniacus exercitus id adeò tulit indignè, vt de Alexio cogitaret Imperatore creando. Constantinus Armeniorum quorundam proditione illos vicit, seditionis authores interfecit, reliquos proscripsit, mille vinctos in vrbem duxit, eorumq́ue faciebus inscripsit atramento: Armeniacus insidiator. Paulus Diaconus.*

APVD Austrasios, seu in Franconia, Hardericus, & alij nobiles indignè ferentes, quod Rex exteros sibi præferret, & nimium suæ vxori imperiosæ permitteret, seditionem contra Carolum Magnum moliti, partim supplicijs, partim exilijs affecti sunt, anno 788. Iam cum Pipinus gibbosus, Caroli nothus, & Caroli maximus filius, quadriennio pòst cum quibusdam proceribus Francorum contra patrem coniurasset, coniuratione à Fardulpho Monacho detecta, ille in Monasterium relegatus, authores morte scelus luerunt. Sigebertus & Auentinus lib. 4.

ANNO Salutis 1478. cum Florentini quidam Patricij, contra Mediceos coniurassent, Florentini Franciscum Saluiatum, Pisanæ Ecclesiæ Archiepiscopum, quod per fraudem occupare palatium voluisset, ad palatij fenestras suspenderunt: Iacobum Paccium, equestri honore magnisq; opibus insignem, ei ad easdem fenestras addiderunt, quia in coniuratorum numero esse deprehensus erat: Nec infami eius mortis genere contenti, mortuum pueris, vt per vrbem ab asino traheretur, tradiderunt, ac posteà in profluentem Arnum proiecerunt, publicatis quoq; bonis, ignominia grauiorem notam apposuêre, sanctione facta, vt ea gens ex Florentina vrbe deleretur: Item vt vicus, qui à Saluiata gente dictus erat, in posterum alio nomine appellaretur. Vt autem huius acerbæ seueritatis perpetua memoria extaret, ad fenestras, vbi appensi fuerunt illi, in quos animaduerterunt, effigies eorum, in eo statu, in quo suspensi manserant, pingi iusserunt. Fulgosius libro sexto, capite tertio. & Egnatius libro 6. cap. 5.

DISCVRREBANT Venetijs in Riualtina vrbis parte aliquot Roberti Sanctoseuerinatis milites, modò huic modò illi infesti, sub primam noctis horam. Quos cum

publici lictores arcerent, admonerentq́; vt ab inferenda iniuria abstinerent, in libera ciuitate; tum verò violentiores facti exclamare cœperunt, Roberte Roberte Imperator, ferto precamur opem militibus, sic optimè de te meritis. Quare statim vinctis, ad consiliumq́; decemuirale deductis. sic in illos animaduersum est, vt deducti eodem momento in aream publicam, inter geminas columnas sint suspensi. Egnatius lib. 6. cap. 3.

ALFONSVS Vastius ad Tunetanam expeditionem *Neapoli profecturus quosdam, qui pertæsi nauseam maris, & longinquæ nauigationis incommoda reformidantes, conceptas de victoria spes malignè extenuare, stipendij tenuitatem detestari, consternareq́; multitudinem, vt signa desererent, seditiosis sermonibus cœperant, inuolutos saccis, profundo mari spectante classe mersit. Iouius lib. 34. Hist.*

ANNO 1547. magna seditio per Aquitaniam fuit, *propter salinas & vectigalia. Totius autem regionis principatum obtinet Burdegala. Hi cum primis etiam rebellabant, & Præfectum regium trucidauerant. Cum igitur ad exemplum & magnum periculum ea res pertineret, Galliæ Rex Heinricus II. Connestablio & Aumalio ductoribus, copias eò mittit. Vrbem ingressus, primùm arma ciuium & machinas omnes iubet comportari, & in arcem deferri. Cœptum inquiri per singulas ædes, & comprehensi seditiosi magno numero, non vno supplicij genere sublati fuerunt. Ex nobilitate producti XIIII. laqueis obuincti collum; ex ijs vnus & alter capite multantur: pro cæteris Germani Duces intercedunt, & Connestablium exorant. Præter eos qui capitis pœnam subierunt, ad triremes etiam plurimi damnati. Ademptæ sunt quoq; illis omnes campanæ, non in vrbe tantum, sed per agros etiam, ne quod excitandi*

motus

motus, vt antea, signum dari posset: deinde literæ omnes, quibus Reipublicæ immunitates atq; priuilegia continebantur, exustæ sunt omnes, ipsismet ignem inflammantibus. Et quia regium Præfectum interfecerant, Connestablius eos adigit, vt terram, qua tectus erat & humatus, nullo cum instrumento, sed vnguibus atq; digitis reuellerent. Sic inuentum ac restitutum cadauer maxima deinde pompa Monachorum & Sacrificorum terræ mandatur. Ponè sequebantur ciues omnes, ad quinq; circiter millia cum singulis cereis, & cum ad Connestablij diuersorium venisset, sistitur funus per interualla passuum aliquot. Ibi tum illi in genua prolapsi, lamentabili clamore misericordiam implorant, & suum ipsi delictum execrantur, & Regi, quòd non atrocius in se vindicârit, gratias agunt. Sleidanus libro 21.

APOLLONIDES præfectus à Cassandro Dux *vrbis Argiuorum, excursione in Arcadiam facta, potitus est vrbe Stimphaliorum. Interea Argiuorum ij qui Cassandro erant infensi, inuocârunt Polysperchontis filium Alexandrum, vrbem se dedituros pollicentes. Alexandro tardante, Apollonides Argos veniens, ac nactus aduersariorum ad quingentos in curia consultantes, eos exitu exclusos comburit viuos, reliquorum magnam partem relegauit, paucos comprehensos interficit. Diodorus libro 19.*

IACOBVS Arteuilla à Flandris, rebellantibus *Philippo Valesio Francorum Regi, dux creatus, vsque adeò Anglis se mancipârat, vt ausus fuerit Gandaui apud suos concionari, eosq; adhortari, vt non modò à Francis, sed & à Comite suo, qui Francorum studiosissimus foret, deficerent: & aut quem ipsis videretur nouum Comitem deligerent, aut quem Anglus daret, ab eo iura peterent. Mentionem huius rei vt nefarij sceleris detestati Flandri, eum*

impetu

impetu facto interemêre: ac ne sic quidem ira exatiata, insepultum feris absumendum exposuêre. Aemilius lib. 9.

PATAVINIS ciuibus, qui erant Venetijs in *custodia, Alberto Trapolino, Bertrucio Bagarotio, Iacobo Leoni, Ludouico comiti, propterea quòd in sexdecimuirûm collegium à sua ciuitate adlecti, nullo vnquam lacessiti maleficio, nulla iniuria pellecti, hostiliter se in Venetos gesserant, Calendis est Decembribus 1509. anni, in foro Decemuirûm lege, laqueo gula fracta, & bona fisco addicta. Bembus libro 9. Histor. Venet.*

CVM Parysatis Artaxerxis mater, Statiram eius *vxorem æmulatione mota veneno sustulisset: Rex quæstioni extemplo intentus, ministros matris & structores corripuit, ac tormentis lacerauit. At Gigim ancillam veneni administram diu Parysatis in cubiculo suo tenuit, deposcentiq; denegauit Regi. Verùm pòst orante illa, vt domum nocte dimitteretur: certior factus, locatis insidijs, comprehendit Gigim, eamq; rei capitalis damnauit. Legitima pœna Veneficis apud Persas hæc infligitur: Saxum est latum, cui capita illorum imponentes altero saxo feriunt & elidunt, quoad contuderint faciem & caput. Ad hunc modum perijt Gigis. Plutarchus in Artaxerxe.*

CAROLVS VII. Gallorum Rex, principem E*gidium de Raxa, Gallici regni Marescallum furcis appensum, atq; igne assum, fœda morte affecit, quòd magicæ arti deditus, centum ac viginti, tum prægnantium mulierum, tum infantium corpora occiderat. Mulier quoq; rusticana Abeuillensis viua combusta fuit, quia infantes peremerat, & sale conditos in cibum adhibebat, omnes crudelitatis transgressa terminos, dum in eam sæuiret ætatem, quæ etiam feras interdum mites inuenit. Fulgos. lib. 9. cap. 2.*

VARASOLO Magam Ianus Vathæ Vngari principis filius in summo precio habuit, cuius potissimum opera, pulso Petro Rege, Vngari ad Ethnicismum relapsi sunt, Andrea & Leuenta Regibus. Sed eam pòst Bela Rex Christianus in carcere fame confecit, vt suosmet artus dentibus lacerârit. Bonfinius lib. 2. Decad. 2.

MATTHIAS Borcouicius, Palatinus Posnaniensis, cum prædones clam receptaret, quos punire debuit, consuetudine turpis lucri captus, Ducem se ipsis deinde præbuit. Qua res cum ad regem Polonorum Casimirum II. crebris querimonijs hominum perferretur, nec ille tamen, quamuis admonitus & obiurgatus, ab incœpto desisteret, captus est Calissiæ, cùm eò forte ad regem venisset, & in Olstinensem arcem deportatus, in tetro & obscuro carcere inedia vitam finiuit. Cuius mortem cum Iohannes frater vlcisci velle diceretur, iussu Regis interfectus est. Bona eorum in quibus erant Cosminum & Zazia munitiones, confiscata sunt. Filius verò Matthiæ profugus, cum ex Marchia Brandeburgensi in Polonos mercatores atque equites postea grassaretur, quodam tempore in oppido Rosrasonu ab agrestibus trucidatus, pœnas dedit. Cromerus libro 12.

SVEHLA Bohemus, cum ab Mathia Vngarorum rege defecisset, vt tutò Pannoniam popularetur, Costolam munitum oppidum occupauit. In eius arce à Mathia obsessus, magnaque rerum necessariarum inopia laborans, per silentium noctis per actuarium pontem clam cum suis elabitur. Rex immisso equitatu, eos in fuga cecîdit. Suehla solus equo vectus, cum per syluas erraret, vt in Morauiam effugeret, in lignatorem quendam incidit, orauitque hunc impensius, vt se viæ ducem tantisper præberet, quousque proximos Morauiæ fines attingeret, pro mercede, equum, arma,

pecunias, animam deniq; pollicebatur. Cum rogatus nomen, Suehlam se esse diceret, ille continuò agrorum vastationem, & pecorum prædam exprobrans, Suehlam cepit, qui trium dierum inedia iam absumptus, vix equo sustineri poterat. Hunc ad Costolam ductum cum socijs Rex supplicio affici iussit, duobus crucium ordinibus erectis. In inferiori, spectantibus socijs, qui in castello erant, ducenti & quinquaginta ritè suspensi; in superiore verò ordine, qui magis erant insignes; in medio, Suehla: à dextra, sacerdos eius: à læua, puer qui ensem gestare solebat. Qui in præsidio remansère, ad hostis arbitrium sese dedidère. Trecenti capti, & ducentæ item mulierculæ, quæ pari scelere victum quæritabant, Budam deducti. Michaël Czobor Præfectus arcis Budensis esurientis fastidio multitudinis exasperatus, sub prætextu liberationis, sex octoue intempesta nocte, alligato gutturi saxo, in Danubio demersit, quousq; vniuersus captiuorum numerus absumptus est. Ex ea igitur Bohemica societate, quæ septem millibus hominum planè constabat, perquam pauci euasère, omnes enim ferè aut fame, aut ferro sunt absumpti. Bonfinius libro 1. Decad. 2.

BELLO contra Fr. Carrarium Patauinum principem *susceptо, cum resciuissent Veneti subornatos fuisse quosdam facinorosos homines à tyranno, qui aliquot ex patricio ordine viros trucidarent, data est diligenter opera vt ij tota vrbe diligenter inquirerentur: eorum quidam apud plebeiam fœminam, cognomento Gobbam, capti sunt. Indici cui veritas vltrò expressa est, vitam Patres condonârunt, ita tamen vt decem annos in custodia esset. Reliqui tota vrbe equis distracti, & ad geminas columnas in quatuor partes dissecti, pœnas concepti sceleris meritissimas luerunt.*

luerunt. Hospitis filius, qui nobiles conficiendos percussorum oculis subiecturus erat, laqueo necatus. Nec multò pòst nonnulli eiusdem sceleris conuicti, eodem genere mortis affecti sunt. Sabellicus lib. 4. Decad. 2.

IACOBVS Marchio Badensis vbi latrocinium *in ditione sua commissum didicit, vocatis ijs qui damno affecti fuissent, tantum eos ex fisco suo accipere iussit, quanti esse, quae amisissent, iureiurando affirmassent. Exinde latrones insecutus, apprehensos in rotam sustulit. Id est supplicij genus apud Teutonicos formidabile. Atq; ita breui pacatissimam Prouinciam reddidit. Aeneas Syluius lib. 4. de Alfonso.*

IOACHIMVS Marchio Brandeburgensis, su*pra L XX. prædonibus, & in ijs etiam nobilium non paucis securi cæsis, ditionem suam à latrocinijs purgauit. Auriga quidam ab Equite quodam fortunis omnibus exutus, ad Marchionem prandentem intromissus, calamitatem suam exposuit, & inter ministros astantes eum à quo spoliatus fuerat agnitum indicauit. Marchio postera die capitali supplicio latronem, è suo arreptum conspectu, affecit. Agricol. in Prouerb. German.*

ANNO 1505. in Polonia de Equestribus qui*busdam, qui latrocinia exercuerant, sumptum supplicium. Ac Osuchouius quidem & Misouius gladio percussi: Rusinouia verò fæmina, cum ocreis, calcaribus, & cultu corporis virili, vt erat prehensa, suspendio necata est. Cromerus libro 30.*

MAGNVS Sfortia Equitem Patauinum è turma *Scorpionis à Luco, qui Bononiensi medico in castris artem profitenti, coccineam togam è tabernaculo, dum altè illic sterteret, noctu rapuerat, eadem indutum toga,*

sed vinctis manibus per forum, & stationes, & contubernia militum traduxit: adeò vt ridente & exibilante toto exercitu, ne reliquo ignominiæ dolori superesset, seipsum pugione transfoderet. Domitorem quoq; equorum magistriq; stabuli vicarium, patria Campanos, qui equis militaribus hordeum subtrahere, idq; diuendere cœperant, deprehensos, alligari per pedes equorum caudis, incitatoq; cursu per prata & sata raptari ad necem iussit. Iouius in eius vita.

APVD Ægyptios ei qui monetam circumcideret, *aut adulterinam cuderet, aut pondus vel signa immutaret, aut falsis literis inscriberet, aut de scripto demeret, aut falsas syngraphas afferret, ambæ amputabantur manus, vt quæ corporis pars peccasset, per vniuersam vitam lueret pœnam: cæteri quoq; illorum calamitate moniti, à simili scelere abstinerent. Diodorus Siculus lib. 1. cap. 6.*

ALEXANDER Seuerus Imperator tabellarium, *qui falsum causæ breuem retulerat, incisis digitorum neruis, deportauit. Auentinus libro 2. Annalium Boiorum.*

MOSCOVITARVM mercatores, Græca astu-*tia, vt & religione, imbuti, Septentrionales populos simplices adulterina moneta incredibiliter decepêre. At regij Suecorum præfecti dolo animaduerso, monetam colliquârunt, & in ea falsarios viuos immiserunt. Cæteri in simili fraude deprehensi, caldaribus impositi, vel aqua feruenti consumuntur, vel in sublimiori trabe, circumligata per totum corpus moneta vndiq; splendente, suspenduntur. Olaus libro 6. cap. 13.*

APVD Suecos si quis gnomonem nauticum *adulterauerit, manum acuto cultro affixam malo, retrahere, & hoc modo sibijpsi mediam manum dissecare cogitur. Idem lib. 10. cap. 16.*

Leo

Leo X. Papa exercuit supra naturæ consuetudinem *summum ius in damnandis, qui falsos libellos ipsius subscribentis manum mentiti in iudicijs protulissent: adeò vt Sebastianum Taruisinum, tum in gymnasio Romano leges profitentem, & alioqui ea calamitate indignum, in campo Floræ concremauerit. Iouius in eius vita.*

Svb Iuliano Apostata Hero Ægyptius Episcopus, *cum à pietate defecisset, repentina putredine totum corpus depastum fuit, ita vt semiuiuus etiamnum in viam prouolueretur, nemine fœtorem tantum ferente. Alius quidam Theotecnus apostata, phthiriasi crudelißima interijt. Nicephorus libro 10. capite 29.*

In Anglia successores Heduini, Osuicus apud *Northanimbros, & Eanfridus Berniciorum Rex, statim postquam à doctrina Euangelij defecerunt, & ad pristinam Idololatriam reuoluti sunt, sperantes se eo modo persecutiones posse effugere, & incolumitatem regni tueri, regnum simul & vitam amiserunt, vterq; enim à Penda Merciorum Rege trucidatus est. Beda libro 4. Historia Anglica capite 1.*

Heraclivs Imperator, eò quòd Monothe-*litarum hæresin in Ecclesiam Dei primus inuexerit, pios Doctores turbârit, & simul moribus adeò degenerârit, vt incestum connubium neptis peteret, seq; superstitiosis obseruationibus astrorum & auium, & id genus impietatis dederet: horrendam quoq; sensit pœnam, quæ in hodiernum vsq; diem totum orbem terrarum infestat. Excitauit enim is sua temeritate furores Arabum & Saracenorum, qui & religionem & Imperium miserè dilacerârunt: & ipse in proprio corpore tormenta non exigua est expertus. Tradunt enim Scriptores, quòd aqua intercute perierit, & insuper ali-*

quot annis ante diem suum, in monumentum sui incestus hoc vitij habuerit, vt inguine conuerso faciem suam perminxerit, nisi per tabellam infimo ventri oppositam auerteretur. Zonaras Tomo 3. & Paulus Diaconus libro 18.

SYLVIVS Romulus vndecimus Albanorum rex *ab Ascanio, hunc quidam Remulum vocant, in quibus est Eusebius: Dionysius Alladium scribit, quem tyrannico ait fuisse ingenio, & cum Dijs inimicitias exercuisse, quippe qui in Deorum contemptum fulgura & tonitrua imitaretur, quibus terroribus in sui admirationem verteret hominum mentes, coliq; vt Deus postularet. Sed veris fulminibus, imbriq; cœlesti, ac proximi lacus inundatione, qui fuit penes illius Regiam, cum tota domo perijt, qua parte pellucente lacu cum vndæ paululum subsidunt, in imo vado locorum accolæ ædificiorum vestigia se spectare opinantur. Astipulatur vetustæ famæ Liuius qui eum fulmine consumptum tradidit. Sabellicus libro 1. Ennead. 2.*

HELIOGABALVS Vestalem virginem secum *nubere coëgit, ac loco suo Palladium dimouit, perpetuos Vestæ ignes extinguere tentauit: & ceu cum Dijs ipsis bellum gereret, Romanorum religiones omnes, quæ eius temporibus colebantur, sine discrimine violauit. Quibus sceleribus Deos hominesq; ita irritauit, vt ab equitibus suis impetu in eum facto occideretur. Quanto autem eos qui antea principatum gesserant, violata religione superauit, tanto ipse alijs despectior fuit, in latrinis interemptus, ac per vrbem primò, inde in lupanar pedibus tractus, in Tyberim deiectus est. Fulgosus libro 1. cap. 2. ex Lampridio & Herodiano.*

CHILPERICVS Francorum Rex, homo fuit *planè Epicureus & ἄθεος. Vxores plures habuit, quarum*

vnam

vnam repudiauit, alteram occidi iußit. Ecclesias spoliauit, regionum & vrbium incendijs & euersionibus delectatus est mirificè, pauperes contempsit, subditos intolerabilibus expilationibus oppreßit. Sigebertum fratrem occidi iußit. Ecclesiarum ministros & Episcopos tormentorum omni genere afflixit. Hinc non immeritò Neronem eum & Herodem suæ ætatis vocat Gregorius Turonensis, & Paulus Diaconus. Tandem à Fredegunde vxore ad villam Callensem per sicarium necatus est. Turonensis libro 4. capite 27. Regino libro 1.

SVNT qui putant Arnulphum Imperatorem *Phthiriasi perijsse, quòd rebus secundis elatus, omnia viribus suis accepta retulerit, Deum opt. max. non agnouerit: passus, dum in Italia bellum gereret, sacerdotes vinctos trahi, virgines stuprari, coniugatas opprimi, templa spoliari, & in ijs res venereas exerceri impunè. Cum Zuendebaldum Morauiensem regem debellaret, Hungaros gentem perfidam, & Christianæ religionis hostem aduocârit, vt sibi resistentem opprimeret. Quo factum est, vt hæc gens vniuersam dehinc Germaniam crudelißimis affecerit populationibus ac supplicijs. Cuspinianus.*

SIMON Thuruaius Anglus, Parisiensis scholæ *præfectus, Dialecticus acutißimus, & in artibus liberalibus peritus, cum senex in Mosen & Christum plurimas euomeret blasphemias, repentè obmutuit, & cum horrendo mugitu pœnas blasphemiarum morte luit. Polydor. libro 5. Anno 1201. vt Balæus annotauit.*

SOROR Kenelmi Regis Merciorum, quæ fuerat *autor illius cædis, cum funus deduceretur, Psalmum 109. Deus laudem meam, nescio quo præstigio nequitiæ retrogradè recitans, oculos amisit, cum sanguinis profluuio.*

Extant

Extant adhuc signa cruoris, Dei vltionem spirantia, in eius psalterio, quod tum manu tenui. Ranulphus libro 5, capite 29. in Polychronico.

HYRCANVS Pontifex Aretæ Regis Arabum *copijs instructus, Aristobulum fratrem Regem Iudæorum in templo obsidebat. Superuenit Pascha, in quo festo mos est multis Deum honorare sacrificijs. Quibus quia carebant obsessi, rogauerunt suos tribules, vt accepta quantum postularent pecunia, victimarum copiam sibi facerent. Illis verò pactis mille drachmas in singula capita, & repræsentari sibi iubentibus, Aristobulus & Sacerdotes libenter id fecerunt, & per funem è muro demiserunt precium. At illi accepta pecunia, non reddiderunt victimas, sed eò progressi sunt impietatis, vt non seruata fide hominibus, Deum etiam fraudarent debitis honoribus. Sacerdotes autem quibus per pactorum speciem illusum fuit, orauerunt Deum, vt pœnas de tribulibus suis sumeret. Nec dilata est vindicta, sed inundatio vehemens immissa, fecit per totam eam regionem magnam vastationem fructuum, ita vt tritici modius veniret drachmis quindecim. Iosephus libro 14. capite 3. Antiq.*

LEO IIII. Imp. cum summo flagraret gemma*rum amore, nec ex prophano conquisitis expleri posset, ex Sophiæ sacrario abstulit coronam gemmis onustam, à Mauritio siue Heraclio olim Deo opt. max. dicatam: cauillo vsus, Christum, cuius templum illud esset, pauperiem non gemmas probasse. Depromptam igitur coronam ex sacro auro & gemmis contextam, sacrilego & nefario capiti imposuit, sic se augustiorem fieri ratus. Sed pœna breui secuta est. Caput sacrilegio pollutum, carbunculo intumuit, quo nomine fuerat gemma: paucis diebus ardentissima febre*

subse-

subsequuta, vi morbi consumptus, iustas sui sceleris luit pœnas, impium spiritum nefarius exhalans. Cuspinianus ex Sigeberto.

HALBERSTADIENSIS Episcopus Burcar*dus decimationes Saxoniæ, quæ ad monasterium Hersueldense pertinebant, sibi vendicabat ratione Episcopalis regiminis. Abbas eius cœnobij Maginherus iubet Episcopo per Fridericum Palatinum indicari, cùm ad furta restituenda nullo iure adduci posset, breui instare tempus, quo coram Deo esset hæc causa dijudicanda. Moritur paulò post Abbas. Et cùm Episcopus eius rei gratia synodum indixisset, in itinere lapsus de equo, domum relatus est: vbi tum suos domesticos, tum Episcopos se visitantes rogauit, vt decimas istas absque mora cœnobio restituerent. Se enim iniusticiæ pœnas iam luere. Anno Domini 1059. Schaffnaburgensis.*

ADELOISIVS, quem Pandulphus princeps *Capuanus Casinum ire, indeque planetam, calicem Imperatoris, & alia Ecclesiæ ornamenta preciosiora pignoris loco sibi adferri iusserat: Dum mandata Domini exequi tentat, ad altare, vbi ornatus ille repositus erat, in faciem procidit: & paralysi ac epilepsia correptus, miserum astantibus præbuit spectaculum: à quo morbo licet vtcunque liberaretur, oculos tamen & os distortum retinuit. Ipse verò princeps non tantum non inceptis destitit, sed & maiora contra fratres designauit. At post ipsius obitum, puer quidam venatorius, eum ferreis nexibus vinctum, & in cœnoso & fœtido lacu vsque ad guttur demersum, & restibus à duobus nigerrimis spiritibus in profundum subinde demitti, & iterum extrahi vidit. Causam verò tam tetri supplicij ab eodem puero rogatus, respondit: Quod aureum calicem cœ-*

nobio S. Benedicti eripuerit, & in agone mortis restitui neglexerit, obsecrans vxori talia indicari, vt monasterio erepta bona reddat. Quod tamen mulier illa auara minimè præstitit. Chronic. Cassinense lib. 2. cap. 62.

PAVLVS Græcus cum à Bamba Gothorum Rege desciuisset, *Hispaniarumq́ Regis nomen vsurparet, ac præter multa alia impiè facta coronam quoq; in vrbe Gerundia à Bamba Rege S. Felici dono datam de templo tulisset, haud diu pòst perpetrati sceleris pœnam tulit. Captus enim à Bamba, à quo rebellârat, Nemausi vrbe Gallica, atq; Toletum in Hispaniam perductus, piceo diademate coronatus, luminibusq́ orbatus, non sine magno eorum qui hominem viderant ludibrio; camelo eum ferenti auersus insedit. Fulgos. libr. 1. cap. 2.*

ALEXIVS Anglus Imp. cum à prouincijs tri- *butum Alemannicum, quo pacem ab Henrico VI. Rom. Imp. redimeret, non impetraret, aurea quoq; & argentea donaria templorum sibi negarentur, surda & muta Imperatorum monumenta, quæ nullum aduocatum haberent, inuadenda censuit. Itaq; sepulchra effodiuntur, nec vllis ByZantinorum Imperatoribus, quantumuis ob res gestas claris, quicquam præter saxeas tunicas, frigidum & extremum illud propugnaculum relinquitur, omni precioso ornatu spoliatis. Ac ne Magni quidem Constantini loculus intactus & inuiolatus mansisset, nisi fures Imperatoris decretum anteuertissent, & aurea illius ornamenta abstulissent. Vnde cum ad LXX. centenarios argenti & auri nonnihil corrasisset, conflari ea tanquam profanam materiam iussit. Eius muneris ministri duo paulò pòst obierunt, alter ardenti febri, alter aqua intercute sublatus. Nicetas de Imperio Alexij.*

Danis

DANIS vastantibus Saxoniam, Siphrido duce, *mirando Dei iudicio accidit, vt expoliata Ramsola, Siphridus à Cacodæmone correptus, tamdiu rotaretur ac torqueretur, donec erepta restitueret, ac de suis rebus insuper quædam adderet. Crantzius in Metropoli.*

POMERANI Poloniam vastantes, Spicimirum *vicum de improuiso inuaserunt, & spoliârunt. Ferunt, Pomeranos omnes, quicunq; Archidiaconum & sacra templi vasa attigissent, domum reuersos, cum liberis, coniugibus, propinquis atq; domesticis familijs, vel comitiali morbo correptos ad parietes & saxa allisisse: vel in amentiam versos, partim mutuis cædibus concidisse, partim dentibus & vnguibus in seipsos sæuijsse. Hoc malo igitur perculsi, causaq; mali notata, Archidiaconum cum sacris vasis & cum instrumento templi Spicimiriensis conquisito, domum remiserunt. Cromerus libro 5.*

HOMINEM quendam aiunt sacram pecuniam, *quam in Phano Delphici Apollinis compilasset, abdidisse in ea Parnassi parte, quæ maximè esset syluestribus arboribus condensa. Lupum verò in dormientem impetu facto, illum occidisse, ac deinde quotidie cum vlulatu solitum intra vrbem penetrare. Id cum non nisi diuinitus fieri existimare Delphi cœpissent, feram secuti, aurum sacrilegio ereptum repererunt, & ad rei memoriam, lupum ex ære dedicârunt Apollini. Pausanias libro 10.*

PROCVLVS à Genserico Rege Vandalorum in *Eugitanam prouinciam missus, cum Ecclesias diriperet, & sacra volumina igni cremaret (id enim præcipuè in mandatis habebat) non multò pòst sibi ipsi frustulatim linguam dentibus præcîdit, & interijt. Sigebertus.*

GVNDERICVS, Crosci successor in regno Vandalorum, *cum capta Hispali in Ecclesiam quoq; Dei impias manus extenderet, à Dæmone correptus periit, anno Christi 429. Idem.*

THEODORICI Gothorum Regis milites, ipso *adhuc viuente, cum Iuliani martyris templum in Aruernensi vrbe spoliassent, mox ab immundis spiritibus correpti, infestis dentibus se mutuò lacerarunt. Gregor. Turonens. libro 3. cap. 11.*

CVM Vngari Bremensem Ecclesiam diriperent, *subitò exorta tempestas est: qua ex superiori parte templi ardentis tegulæ accensæ, trabes atq; aliæ reuulsæ materiæ tanta violentia in hostes iniectæ sunt, vt partim variarum rerum mole hostes opprimerentur, partim fuga in flumen præcipites irent: partim etiam in ciuium manus venirent. Metropol. Crantzii libro 3. cap. 2.*

RVCCOLENVS Chilperici Regis Francorum *legatus, qui Turonensem Ecclesiam miserè vastauit, regio more correptus, anno sequenti Pictauium profectus, vt contra ciues inquireret, periit. Turonens. libro 5. cap. 4.*

EBERVLPHVS, Chilperici Regis cubicularius, *spoliauit Ecclesias, pulsauit ministros, occidit insontes, pecudibus suis agros & vineas subditorum publicauit. At mortuo Chilperico, omnibus possessionibus exutus, ac iussu Guntrami regis Parisiis in Basilica Martini à sicario occisus est. Idem libro 7. cap. 21.*

MILITES Pipini cœnobium Bituricense D. *Austrogisili spoliantes, alii sese inuicem dentibus discerpserunt, alii membra sibi amputârunt, vnus incendio periit. Vincentius libro 23. capite 26.*

Gregori-

GREGORIVS Dialogorum libro primo, capite secundo, *Francos inuasisse monasterium Libertini scribit, vt aurum quo abundare dicebatur, auferrent. Verùm ipso orante, cæcitate percussos, speq; sua frustratos, recedere coactos esse.*

VEREMVNDVS II. Hispanorum Rex, aggressus *Galatiæ prouinciam, Compostellanam diripuit Ecclesiam, abstinuit tamen à corpore D. Iacobi, perterritus obuijs, vt aiunt, fulminibus, ex eoq; metu soluta aluo cum incidisset in morbum dysenteriæ, ægrè conualuit, multiq; eius milites internecino genere mortis absumpti sunt. Riuius libro 2. de Regibus Hispanorum.*

HEINRICVS V. Angliæ Rex, dum beati Fiacrij *templum in Gallia spoliasset, morbo Fiacrij correptus est, quo omnia viscera prius computruêre. Cum inexpugnabilem morbum esse intelligeret, interrogauit, quisnam esset, fuissetúe is Fiacrius? Responsum est, Filium Scotiæ olim Regis. Tum Henricus: Ergò hæc gens in nostrum excidium nata videtur, quæ domi, foris, viuens, mortua, etiam in Diuos relata, exitium nobis parit. Cardanus de Rerum variet. lib. 15. cap. 81.*

ARTAXERXES, qui Ochus cognominatus *est, cum alia multa sacrilegia, tum præsertim in Aegypto commisit. Verùm dedit mox suæ impietatis pœnas condignas. Bagoas enim Aegyptius Eunuchus, cum hominem miserè trucidasset, cadauer eius felibus proiecit, ac ex fœmoribus eius manubria gladiorum fecit. Aelianus libro 6. Var.*

PHLEGYÆ Orchomeniorum gens, à Rege Phle*gia dicti, abiunxerunt se insequentibus temporibus, amentia & audacia impulsi, à reliquis Orchomenijs, finitimorum bona agere, & rapere aggressi, postremò arma conuerte-*

runt sua ad Apollinis Delphici fanum diripiendum. Contra quos cùm Philammon Delphis opem ferens Argiuorum manum duxisset, ipse vnà cum fortissimis viris pugnans cecidit. Phlegiarum genus propè omne crebris fulminibus, & telluris vehementissimis motibus Deus funditùs aboleuit: qui reliqui fuêre, eos pestilentia absumpsit, præter paucos, qui in Phocidem effugerunt. Pausanias in Bœoticis.

CVM Achæi supplices è templo Neptuni, quod *erat in vrbe Helice, per vim abstractos trucidassent, ingens terræ ac repentinus motus, non ipsa tantum mœnia, & ædificiorum superficiem subuertit, sed vrbis etiam totius aream obruit, vt ne vestigia quidem vlla posteris agnoscenda relinquerentur. Accessisse & alteram huiuscemodi cladem memorant. Maris eluuione hyeme anni Helicen totam circumquaq; incinctam, ipsumq; Neptuni lucum ita inundatione ea obrutum, vt vix summa extarent arborum cacumina. Quo factum, vt repentè cum terræ motione violentissima, tum verò effusius maris æstu stagnante, vrbs tota cum omni ciuium numero pessumierit. Olympiadis 101. anno quarto. Pausanias in Achaicis.*

LACEDÆMONII cum in Ilotas sæuijssent, qui *supplices in templum Neptuni Asphalij, id est, tuti, vt inquit Suidas, quod ad Tænarum est, euaserant: Sparta tam vehementibus, tamq; crebris terræ impulsibus concussa est, vt nulla propè domus ruinæ expers fuerit. Pausanias ibidem. Ex vniuersa vrbe quatuor solum ædificia relicta, scribit Aelianus libro 6. de var. Histor.*

L. SYLLÆ proscriptione non Romæ modò, *sed & per omnes Italiæ vrbes, nullius templum Dei à cæde erat inuiolatum, non penates hospitales, non domus paterna, sed in sinu coniugum viri, in sinu matrum iugulabantur*

bantur filij. Victis Athenienſibus, qui Mithridatis partes fouebant, Ariſtionem Mithridatis Legatum, ex Mineruæ templo extractum interfecit. Hanc ob cauſam phthiriaſi conſumptus putatur. Plutarchus in Sylla, & Pauſanias in Atticis.

ARTAYCTES Perſa, Seſti præfectus in Helleſ*ponto, cum in Eleunte templum Proteſilai ſtupris profanaſſet, à Xantippo Athenienſium Duce viuus captus, ſtipitiq; affixus eſt. Herodotus libro 7.*

QVIDAM Antiochenus, qui ſub Iuliano Antio*chiæ ſacrum altare comminxerat, in inguine orta putredine, turpiſsimo mortis genere impietatis ſuæ pœnas dedit. Nicephorus lib. 10. cap. 29. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.*

VNGARI Germaniæ Hamburgum ingreſſi, An*no Chriſti 913. incenſis Eccleſijs, ſacerdotes ad aras trucidabant. At ſubita tempeſtas, à ſemicremis Eccleſiarum tectis ſcindulas eleuans, eas in ora paganorum rotauit: ita dum fugæ præſidium quærunt, partim in fluuium præcipitati, partim à ciuibus trucidati ſunt. Crantzius in ſua Metropoli libro tertio capite ſecundo.*

ZOTO Dux Beneuentanus, Caſinenſe diripuit *cœnobium, direptum incendit, incenſum ſolo æquauit. Nec diu ſuperſtes fuit ſacrilegio, ſed breui pòſt morte conſumptus eſt, cui Arrigem Agilulphus ſurrogauit. Sabellic. lib. 5. Ennead. 8.*

ALEXIVS quidam, qui Manuelis filium ſe pro*fitebatur, cùm poſt largiorem compotationem dormiret, à quodam Sacerdote ſuo ipſius gladio iugulatur. Eius caput Sebaſtiocrator contemplatus, & flauis crinibus equeſtri flagello diſcuſsis, Non omnino ſine cauſa, inquit, vrbes hunc hominem ſecutæ ſunt. Ac is quidem ſuorum ſcelerum*

has graues pœnas dedit, tum quod Persas contra Romanos incitauit, & ex his ipsis quotquot ad eum confluxerant popularium suorum sanguine contaminauit: tum quod Chonis celebre templum Michaëlis archiducis cœlestium copiarum violauit, Persis in sanctißimum Dei tabernaculum introductis: nec spectare dubitauit pernicies humani generis, Christi & Sanctorum imagines calculis varij coloris expressas aboleri, & sacros postes securibus & celtibus reuelli, & sacrosanctam mensam prophanari, & in terram abijci. Nicetas libro 3.

GVLIELMVS Conquæstor, Anglorum Rex, *locum quendam, qui Noua Foresta dicebatur, ad triginta circiter milliaria, villis & templis euersis in solitudinem, ac ferarum lustra redegit. Sed Dei iudicio, filius eius in eadem sylua à Gualterio quodam milite Franco, qui telum in prætereuntem ceruum direxerat (vt Polydorus in fine libri decimi Anglicæ historiæ indicat) traijcitur. Et Richardus ex Roberto eiusdem Conquæstoris filio, qui Normannis dominabatur, nepos, dum equo celerius illac transit, ramo arboris in collum illiso suffocatus est. Malmesburiensis libro 3. cap. 48. & libro 4. cap. 29.*

GISA, Filithei Rugiorum Regis coniunx, mu*lier auara, crudelis, & imperiosa, Romanos, qui tum Noricum incolebant, captiuos abduci non solum iubebat, sed grauißima seruitute quoq; velut vilißima mancipia premebat. Obiurganti mulierem diuo Seuerino, respondit: Quid tu homuncio aliena, quæ nihil ad te, curas, quin in conclaui preculas immurmuras? In seruos nostros id iuris habemus. Mox filius Gisæ & Filithei Fridericus morbo corripitur. Gisa ob id Romanos omnes carcere soluit, liberos postliminiò redire dimittit, veniamq; à Seuerino petit. Se-*

uerinus

uerinus gratiam facit, filiumq́ precibus sanitati restituit. Post paucos annos Filitheum pugna victum cum vxore Gisa Odacer Rex Italiæ capit, vinctos in Italiam deportat, ibi exules extincti sunt. Auentinus libro 2. Annal. Boiorum.

Svb Traiani interitum, qui Cyrenem incolebant Iudæi, Andrea duce, Romanos Græcosq́ indiscriminatim inuadentes ita excarnificârunt, vt etiam ad mensam producerent, humanis in viscera ingestis cibis. Nec satis, sanguine adhuc stillantibus intestinis præcingebantur. Cutes pro indumentis erant. Plerosq́ ab imo ad summum intersecuêre. Plures bestijs obiecti, alijs inter se pugnare ac digladiari coactis. Ducenta & amplius hominum millia is abstulit furor: Qui & in Aegypto itidem est grassatus ac Cypro, contrucidatus inibi Artemione Duce, ducentis & quadraginta hominum millibus. Vnde mox legibus sancitum, vti quauis ratione in insulam appulsus Iudæus capite plecteretur. Quum verò Adriano item imperante, cædibus, fame, morbis, igni desolata est Iudæa omnis. Cælius libr. 5. cap. 10. Lection. Antiq. ex Dione.

Edmvndvs Anglorum Rex fortè conspicatus ante se hominem latrocinio insignem, & ob id diu sibi antea inuisum, subitò inuasit, ac in terram strauit. Quem cum ita iacentem cæderet, ab eo tum immemore futuri periculi, vt præsens euaderet, est cultro confossus, latro verò in vestigio dilaniatus. Polydor lib. 6.

Edvardvs Henrici Anglorum Regis F. D. Ludouico Francorum rege in Africam profecto, ipse (prout conuenerat) Asiam classe tenuerat, Ptolemaidem copias exposuerat: cum propè fuit, vt in ipsis initijs rerum interficeretur. In cubiculo erat, cum percussor eum adortus, vno

atq; altero vulnere afficit: ne confoderetur, accursu cubicularij effectum est. Insidiator trucidatus. Aemilius lib. 7.

IVLIANVS Cardinalis, auctor violandi inducias *cum Amurathe in decennium pactas, è prælio ad Varnam anno 1444. commissi fugiens, à Transalpino nauiculatore, cum per Danubium veheretur, propter aurum quod secum ferebat, occisus, & in profluentem nudus deiectus, perijt. Callimachus in valle quadam à latronibus spoliatum, & à Gregorio Sanocio prætercurrente conspectum & cum exprobratione perfidiæ increpitum, perijsse scribit. Aeneas Syluius capite 5. Europæ, & Cromerus libro 21.*

CARRATIVS militum Reipublicæ Venetæ *præfectus, homo impiger, egregiaq; virtute, in agro Veronensi equo insidens, ab homine ciue suo, de quo nihil verebatur, interfectus est, gladio renibus infixo. De sicario, quem Mantuanorum Dux suis in finibus captum magistratui Veronensium tradiderat, pœna sumpta. Is, cum ea de re quæstio haberetur, se propterea Carratium occidisse, quòd sibi olim maledixerit, magistratui confirmauit: Tanta est homini in hominem tamq; diuturna paruula sæpe de re suscepta iracundia vis & indignatio. Bembus lib. 7. Histor. Venet.*

IACOBVS Carrariensis Dux V. Marsiliettum *Papisauium Ducem IIII. Patauinum, imperandi libidine è medio sustulit. Verùm non multò pòst à Gulielmo spurio suo euocatus à mensa, multis vulneribus confossus fuit, eò quod per iurgium Gulielmum bastardum. Bernard. Scard. lib. 3. histor. Patauin.*

VLADISLAO Iagellone rege Polonorum Posnania *Strodam proficiscente, sub vesperum è sereno subitò*

atris

atris nubibus cœlum obductum est: inde inter crebra fulgura & tonitrua fulmen magno fragore decidens, quadrigas carpento, quo Rex vehebatur, iunctas, duosq́ stipatores regios, itemq́ Posnaniensis & Sendomiriensis palatinorum, & nouem alios regiorum comitum equos vnà cum regio, cui cubicularius quidam hastam Regis ferens insidebat, vno ictu interfecit, auriga & sessoribus equorum illæsis, nisi quòd cubicularij vestis discerpta est. Rex cum aliquamdiu exanimatus iacuisset, tandem respirauit, cætera sospes, præter quòd surdaster paucos dies, & modico manus dextræ dolore affectus fuit. Vulgo creditum est, propter incestum matrimonium cum Elisabetha Pilecia, à cuius matre de sacro fonte susceptus fuerat, diuinitus eo terrore correptum fuisse. Cromerus.

ARCHILOCHVS ex Paro insula, Olymp. 23. *vel 28. floruit. Iambo primus vsus est ad maledicendum. Vsus autem est contra Lycamben socerum, qui promissam sibi filiam Neobulen denegârat: eo socerum cum tribus filiabus ad laqueum compulit. Lacedæmonij eum vrbe expulerunt propter impudicos versus. Interfectus in bello à Calonda Naxio milite, qui Corax dicebatur. &c.*

ANAXANDRIDES Camiræus, ex Rhodo in*sula, Philippi Macedonis temporibus. Nonnulli ab hoc Amores in Scena primum inductos, & virginum raptus asserunt. Contra Athenienses scripsit, & eos sanctissimas quidem leges habere, paucissimis tamen vti dixit: quare ab eis fame necatus est. Platonem quoq́ ipsum maledictis lacerauit. Suidas.*

ANNO salutis 1546. Iohannis Vlmeri ciuis *Eßlingensis filia, Margaritha nomine, ex ventris doloribus ita intumuit, vt ventris moles totam faciem*

obtegere, ac in circumferentia decem palmas excedere videretur. Dicebat autem se diuersi generis animalia alere in ventre, cum interim odoribus tantum, & delicatioribus conditis se recreari fingeret. Audiebantur à circumstantibus lectum, in quod defixa erat, gallorum cantus, gallinarum cocyzationes, anserum strepitus, latratus canum, ouium balatus, porcorum grunnitus, boum mugitus, hinnitus equorum. Eduxit miræ magnitudinis vermes atq; serpentes ex latere circiter centum quinquaginta, quo miraculo fidem faceret. Consulti sunt Medici atq; Chirurgi multi, inter eos quoq; Leonardus Fuchsius Tubingensis archiatrus, demum Caroli V. Imperatoris, ac Ferdinandi Romanorum ac Vngariæ Regis medici accessêre, aliquot nobilibus comitati, nec quicquam fucatum inuenêre. Cum penè quadriennium morbus durasset, ac dolores magis magisq; incrudescere viderentur, Magistratus Eßlingensis medicum, cum chirurgis tribus ac obstetrice misit, vt puellæ aluum sectione aperirent. Reluctanti detrahunt tegmina, & ventrem magno artificio manibus fabricatum inueniunt, puluinaribus suffultum, cum varijs arcubus, quibus ventris rotunditas exprimebatur: virginem interim nudam, optimè compacto, ac supra quàm dici poßit formoso corpore. Venter in curiam delatus, & anathematis loco adseruatus. Mater filiæ venefica tormentis examinata, Satanæ instinctu lucri gratia hæc à se perpetrata fatetur, & fracto prius collo, publicè exuritur. Filia perforatis ignito ferro genis, perpetuis carceribus intra duos parietes damnata est. Lycosthenes in prodigijs.

MARICVS quidam è plebe Boiorum, qui tempore C. Iulij Cæsaris Heduorum finibus inserti erant, prouocare Romana arma simulatione numinis ausus est: iamq;

adser-

adsertor Galliarum, & Deus (nomen id sibi indiderat) collectis octo millibus hominum, proximos Heduorum pagos trahebat. Sed Hedui ope Romanorum fanaticam multitudinem disiecêre. Captus in eo prælio Maricus, ac mox feris obiectus: quia non laniabatur, stolidum vulgus inuiolabilem credidit, donec Vitellio Cæsaris duce inspectante interfectus est. Auent. libro 1.

ANNO 1285. Monachij anicula quædam infan*tulum Iudæis vendidit, quem illi Deo immolant, punctim acubus cædunt, necant, cruoremq́ malluuio excipiunt, quo perlitare creduntur. Eadem venefica alterum infantem subreptura, à patre deprehenditur, in vincula coniÿcitur, quæstionibus admota facinus confitetur, corpusq́ interemptum infantis indicat, moxq́ pœnas luit. Vulgus viso corpore ita vulneribus confosso, non expectata iudicum sententia, Iudæis mortem intentant, eosq́ in Synagogam confugientes subiecto igne frustra prohibentibus Ducis Boiorum aulicis, vnà cum templo igne concremant. Centum & octoginta Iudæi perierunt. Auentinus libro 7. Annal. Boiorum.*

BERNÆ Heluetiorum Anno Christi 1287. Iudæi *puerum Christianum, Ruffum nomine, excruciatum peremerunt. Sceleris auctores rotæ supplicio mulctati, vrbe pulsi. Stumpfius.*

ABRAHAMVS Iudæus cum Sara coniuge in *Thuringiæ oppido VVeissensee habitantes, anno 1303. Conradum puerum Berchtoldi de Somerde equitis & præfecti filium cum suis ludentem pueris intercepêre, tormentis excruciauêre, sanguinem elicuêre, tandem suffocauêre. Mox aurigæ eum ad Iudæos Franckenhausenses nocte intempesta deuehendum curauêre. Cum nocte tota du-*

res itineris cum auriga errassent, mane eodem loci se hærere intelligentes, in casa vinaria cadauer cingulo suspendêre. Inuentum à vinitoribus, cum vultum variè mutaret, solenni pompa in D. Petri æde sepultum est. Fridericus Marchio Misnensis à Iudæis auro corruptus, cum facinus vel dissimulare, vel leuiori supplicio expiare studeret, colico dolore ita exagitari cœpit, vt pro salute votum fecerit, vniuersos suæ ditioni subiectos Iudæos sese igne sublaturum. Sanitati restitutus, votum exoluit. Puer inter Diuos ob frequentia miracula relatus est. Michaël Neander in Erotem. linguæ sanctæ.

VBERLINGÆ Vindelicorum Iudæi ciuis cuiusdam *puerum clam cruci affixerunt, anno Domini 1331. Ciues tumultu facto, Iudæos cum vxoribus & liberis in domo quadam conclusos subiecto igni miserrimè cremârunt. Stumpfius.*

DIESSENHOFII non procul ab exitu lacus *Acronij, Anno Domini 1401. Iudæus cum stabulario pactus est sanguinem pueri Christiani trium florenorum precio. Is cum quatuor annorum puellum necasset, in facinore deprehensus, rotæ supplicio affectus est, Iudæus viuus exustus est. Stumpfius.*

ANNO salutis 1475. ad octauum Calend. Apri*lis Tridenti (est vrbs hæc in Italiæ & Germaniæ finibus) Iudæi puerum furto subtractum, diro, vt postea compertum est, ritu gentis occultè peremerunt, toto schemate Dominicæ passionis in puerili corpore repræsentato: nec res tam atrox in occulto fuit, sed numinis prouidentia, vt credere par est, mox palam facta, decreta quæstio est, Iudæi plures numero sceleris comperti meritò sunt supplicio affecti. Sabellic. lib. 7. Ennead. 10.*

Anno

ANNO Christi 1494. Tirnauiæ in Vngaria, duodecim Iudæi cum duabus mulieribus, ingenuum adolescentem Christianum occultè captum, atq; in proximas ædes abductum, obstructis repentè faucibus miserè strangulârunt, & apertis venis sanguinem eius, dum animam sensim & singultim efflaret, partim absorbuerunt, partim aliis asseruârunt: Corpus autem in partes dissectum, membratim humi defoderunt. Cum adolescens diu à parentibus quæsitus, nusquam appareret, satisq; constaret eum pridie in vico Iudæorum versatum, haud postea fuisse conspectum: Legitima in Iudæos quæstio constituitur. Lictores in eorum ædes immissi, deprehensis recentibus cruoris notis dominum cum tota familia comprehendunt: in quæstionem abreptæ mulieres, metu tormentorum adactæ, totam facinoris indignissimi seriem confitentur: quarum testimonio conuicti reliqui, Stephani Palatini iussu, qui præfectus urbis erat, omnes magno ad id excitato in foro incendio conflagrârunt: alii qui minus videbantur obnoxii, magno pecuniæ numero sunt multati. Bonfinius libro quarto Decad. quinta.

ITERVM eodem oppido Iudæi Christianum puerum mactârunt, anno salutis 1523. Alterumq; Bosingæ, quorum XXX. exusti sunt anno 1529. Fincelius lib. 2. prodigiorum.

ANTIOCHVS Epiphanes, Antiochi magni filius, Syriæ Rex, quo nullum vnquam prodigium inusitatius, nullum monstrum fœdius fuit, vnde Epimenem illum multi vocârunt. Hierosolymis per dolum captis, intra triduum octoginta hominum millia peremit, quadraginta ligauit, totidem vendidit, deq; templo auri argentiq; talenta mille & octoginta abstulit, in eoq; statuam Iouis Olympii erexit.

erexit. Animaduertens Iudaeos religionis suæ constantes & liberos defensores, Legis & Prophetarum volumina cremauit, qui eadem legerent vita puniuit, qui ethnica sacrificia detrectarent, supplicio affecit, parens nulli ætati aut sexui: nomen Dei euellere è cordibus, cultum eius tollere ex oculis conabatur. In vrbe vexanda Menelao pontifici, Phrygem quendam Philippum, hoc est, Pantheræ tygridem adiunxit. Ex Aegypto rediens, re malè gesta, minatus est, se vrbem facturum commune totius gentis sepulchrum: sed in itinere excussus ab auriga, morbo fœdissimo afficitur, ita vt vermes è putrefacti corpore ereptarent, & carnes ossibus defluerent, tanto fœtore, vt ferre eum nemo seruus vellet: in tanto cruciatu animi atque corporis extinguitur, vt nihil posset cogitari aut optari ærumnosius. Extra patriam in agro moritur, & Antiochiam defertur. Ioseph. libro 12. & 2. Machab. cap. 9.

HERODES Antipatri filius, qui pueros innocentes *occidit, pœnam impietatis suæ dedit. Nam lento calore viscera torrebantur: bulimus aderat insignis: colico dolore cruciabatur. Pedes tumebant, ex pudendis vermiculi scaturiebant cum tentigine molestissima, & fœtore grauissimo, neruorum contractione, & difficultate anhelitus. Cumque sic cruciaretur, malo sumpto, cultellum poposcit, quo illud diuideret, & elata manu sese interfecisset, nisi consobrinus eius manum continuisset. Quinque post diebus moritur, 34. anno post interfectum Antigonum, & 37. postquam Rex à Romanis declaratus est. Ioseph. Antiq. lib. 17. cap. 8. & de bello Iudaico libro 1. cap. 21.*

HERODES Antipas (frater Archelai, quem *pater Herodes superior testamento Regem declarârat, Antipam verò tetrarcham) præstantissimum virum, ac peculiarem*

liarem Meßiæ præconem Iohannem Baptistam, præter fas & æquum, in gratiam suæ meretriculæ, indicta causa, capite truncauerat. Deinde & ipsi Christo insidias tetenderat, & postea à Pilato sibi exhibitum aulicè irriserat, & cum contumelia à se dimiserat. Etsi autem ipse nullos inde conscientiæ terrores aliquamdiu senserit: tamen postea vltio diuina eum corripuit. Nam cum anno 100. Caligulæ, Domini verò 40. Herodiadis frater Agrippa, Roma rediret dignitate Regia ornatus: à meretricula excitatus est, vt & ipse Regium titulum ab Imperatore flagitaret: eamq́ ob causam Herodes vnà cum Herodiade Romam iter faciunt. Agrippa factus ea de re certior, Caio scribit, ne fidem Herodi habeat, quem constaret arma ad bellum præparare, fœdere inito cum Parthorum Rege, easq́ literas celerrimè perferri curat ad Cæsarem, ita vt vnà cum Herode ad Cæsarem peruenirent. Caius cum nulla alia re magis quàm seditionis suspicione moueri posset, Herodem initiò blandè suscipit, ac deinde percontatur, Nunquid armorum in promptu haberet? Herodes respondet, se Regio apparatu instructum esse. His auditis, putauit Caius, satis insidias esse probatas, ac Herodem in perpetuum exilium, Lugdunum in Galliam relegauit, donatis omnibus eius bonis Agrippæ per literas. Herodiadi verò, propter Agrippam fratrem, quasdam poßeßiones decreuit relinquere, vnde se vitæ suæ tempore sustentaret. Sed mulier significauit, se pro coniugali amore, maritum in hac sua calamitate deserere honestè non posse, cum quo antea rebus secundioribus vixisset. Caius magnanimitate mulieris cognita, simul eam in exilium abire præcepit. Hac ratione arrogantis mulierculæ instigationibus obtemperans Herodes, cum ipsa, bonis, gloria, ac patria exutus, miserrimè in Gallia vitam finiȳt.

Iosephus Antiquit. libro 18. cap. 9. Eusebius lib. 2. cap. 4.

HERODES Agrippa, qui Iacobum fratrem Iohannis Euangelistæ Hierosolymis occidit, iam tertium Iudeæ totius regni annum exegerat, cum peruenit in vrbem Cæsaream, quæ prius Straconis turris dicta est, vbi solennes ludos celebrauit pro salute Cæsaris. Ad quam festiuitatem magna multitudo nobilium ac procerum conuenerat ex tota prouincia. Eius celebritatis die secunda processit mane in Theatrum, amictus veste tota ex argento mirabili opere contexta: quæ radijs orientis solis illustrata, diuinum quendam fulgorem emittebat, & venerationem cum horrore incutiebat spectantibus: moxq; adulatores perniciosi alius aliunde acclamantes, Deum consalutant, rogantes vt faueret propitius, hactenus enim vt hominem reueritos, nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. Hanc impiam adulationem ille non repressit: pauloq; post suspiciens, vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem, moxq; vt sensit hunc esse calamitatis nuncium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordijs indoluit. Secuta sunt ventris tormina, statim à principio vehementia. Conuersus igitur in amicos oculis: En, inquit, ego ille vestra appellatione Deus, vitam relinquere iubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium, & quem immortalem salutastis, mox efferetis. Sed ferenda est voluntas cœlestis numinis &c. Hæc locutus, crescente dolore discruciabatur. Properè igitur relato in Regiam, rumor sparsus est, breui esse moriturum. Quamobrem confestim totus populus, vnà cum vxoribus atq; liberis, saccum indutus more patrio, supplicabat Deo pro salute Regis, omnia miscens lamentis & eiulatibus. Rex autem in celsiore decumbens cubiculo, & in fa-

in faciem stratus humi prospiciens, non temperabat sibi à lachrymis. Cruciatu deinde per continuos quinq; dies nihil se remittente, confectus vitam finijt, annum natus quartum supra quinquagesimum, postquam regnasset per septennium. Iosephus & Eusebius libro 2. cap. 10.

PILATVS Christum innocentem, in gratiam *Iudæorum, iram Cæsaris ei minitantium, condemnauit. Fecit præterea alia multa tyrannicè in Iudæos, & ad quælibet mandata Cæsaris quantumuis impia expedienda promptus ac paratus, etiam Caij Caligulæ Idolum molitus est in templum Hierosolymitanum collocare. Vltio igitur diuina tandem eum, sub annum Domini 42. Caij verò tertium, inuasit. Nam de iniusta crudelitate à Iudæis accusatus, Romam ire à L. Vitellio Syriæ præside iussus est, responsurus ad obiecta: dumq; est in itinere, Tiberius expirat, vt narrat Iosephus Antiquit. libro 18. cap. 5. Scribit porrò Eutropius libro 7. tantis eum, irrogante Caio, angoribus coartatum esse, vt sua se transuerberans manu, maiorum tormentorum compendium mortis celeritate quæsierit. De his Græcos quoq; in historijs testari, Eusebius dicit libro 2. cap. 7.*

HADRIANVS anno 120. Traiano successit, & Ec*clesiæ fuit infestior. Secundo eius anno Aurelius Comes Alexandrū Rom. Episcopum cum M.CCL. in fumo ardenti cremauit. Zenonem patricium Romanum cum XMCCIII. interfecit. Eustochium victoria è Barbaris parta redeuntē, quoniam Apollini sacra facere detrectasset, cum vxore & liberis trucidat, anno Imp. V. Anno IX. in monte Armeniæ Ararat XM. Martyrum crucifiguntur. Dion Hadrianus scribit grauibus & multiplicibus morbis affectum, miserabiliter perijsse,*

primum enim nimio sanguinis fluxu adeò debilitari & exhauriri cœpisse, vt de vita eius sæpius desperaretur. Qui morbus etsi consuetus etiam ante fuerat, tamen nunquam maiori dolore eum inuaserat, intantum, vt sæpius ipse mortem vocaret, sæpè etiam sibi ipsi crudeles manus inferr constitueret: vt dici ibi potuerit, sanguinis effusi pœnas in sanguine soluit. Interea & Phthisis accedit, quæ cum totum corpus contabuisset, hydropisis secuta est, quæ nec quidem, cum magicis artibus & incantamentis sibi aquam omnem extrahi Imperator curasset, quicquam remisit, nihil etiam cessante fluxu sanguinis. Dum tot malis simul exercetur, primùm à medico, vt Spartianus scribit, venenum petijt, quod cum non porrigeret, gladium postulauit, promittens pecuniam, si quis porrexisset, sed domesticorum nemo obtemperabat. Postremo medicorum consilio, quamdiu morbis & doloribus tantis conflictabatur, cibo & potu abstinuit: sed illud consilium etiam ad morbum exaugendum magis quàm ad salutem faciebat. Mortuus igitur tandem, suprà quàm dici potest, miserabiliter est, cruciatibus omnium ferè membrorum confectus, cum vixisset annis sexaginta duobus, vt Aurelius Victor testatur. Meminit quarundam ciuitatum, quæ sub Hadriano terramotibus absorptæ sunt, vt Nicomediæ & Nicea, cuius maior pars quassata motu terræ collapsa est. Nicopolis item, & Cæsarea, quæ conciderunt anno Hadriani duodecimo.

M. ANTONINVS Verus, Philosophus, qui *fratri successit per annos 18. contra Christianos crudelissimus fuit. Passus est sub eo Iustinus martyr, & Polycarpus. Beda inquit, martyrium Polycarpi & Pyonij, quod in Asia fecerant; aliorumque plurimorum, qui sub Vero Imp. sanguinem pro Christo fuderant, secutam esse quasi vindicem,*

atro-

atrocem pestilentiam, vastantem multas prouincias, maximè verò Italiam & Romam, quod & Ethnici Scriptores testantur: & plures quidem calamitates paßim hoc tempore vagatas commemorant. Ab armis quies nunquam erat, perq; omnem Orientem, Illyricum, Italiam, Galliamq; bella feruebant: terremotus non sine interitu ciuitatum, inundationes fluminum, lues crebræ, locustarum species agris infestæ prorsus, vt propè nihil quod summis angoribus atteri mortales solent, dici seu cogitari queat, quod non Antonino regnante sæuierit. Sex. Aurelius testatur, & Eusebij Chronicon, anno vltimo Antonini Smyrnam Asiæ vrbem, in qua Polycarpus & plurimi alij paßi fuerant, terræmotu corruisse.

LICINIVS Valerianus ante Imperium summus Christianorum amicus, imperio arrepto à Magis deceptus, crudelißimis edictis in eos supra modum sæuijt. De eius supplicio & vindicta hæc prodiderunt Romani scriptores, Eutropius, Pollio, & Sabellicus. Quo minus diuturnum illi fuerit decus, ipsius credo impia in Christianos animaduersio effecit. Nam haud multò pòst quàm Christianum nomen insectari est adortus, ad Persicum bellum profectus, siue aliena fraude acciderit, siue sua ipsius temeritate (nam vtrumq; traditur) in hostium potestatem viuus venit. Ferunt Saporem Persarum Regem, à quo captus est, adeò insolenter & barbarè captiuo seni (erat enim Valerianus septuagenarius) illusisse, vt pro scabello eius tergo vteretur equum ascensurus. In tam turpi captiuitate eum tandem consenuisse scribunt Latus & Aurelius Victor. Eusebius in sermone ad conuentum Sanctorum, excoriari eum iussum à Rege scripsit. Eius præsidem Claudium à Diabolo arreptum, & post incisam minutatim linguam suffocatum, te-

statur Henricus de Erfordia.

GALIENVS, patre in perpetuam captiuitatem *& infelicitatem abducto, tametsi cum solus imperare cœpisset, persecutionem contra Christianos motam remouerit, paterno fortasse fato, quemadmodum Orosius ait, territus, tamen & publicas atroces calamitates & priuatam vindictam, quia persecutionis socius antea cum patre fuerat, expertus est. Plurimæ enim & mirabiles defectiones, rebelliones, & mutationes regno perniciosissimæ sub eo acciderunt. Nulla pars fuit Reipublicæ, nulla prouincia, vna duntaxat Italia excepta, in qua non sit tumultuatum, totq́ eo principe rebelliones extitère, tot tyranni, qui Imperatoris nomina tulerunt, quot à Cæsare Dictatore ad id tempus, in tam longa Imperatorum serie, ferè nunquam. Triginta numero à Trebellio ponuntur, qui vno tempore, alij alijs in terris exercuère Imperium. Eusebius hoc addit, sub Galieno Ciliciam, Syriam, & Cappadociam à Persis, Saporis ductu, fœda populatione vastatas: Alemannos, Gallijs hostiliter vexatis, in Italiam transgressos: Gothos Pontum, Asiam, Macedoniam & Græciam populatos: Quados & Sarmatas Pannonias occupasse: Tarraconem in Hispania à Germanis oppugnatam. Sabellicus libro 7. Enneadis 7. Tristis, inquit, & terrorum plenus huius principatus fuit. Dira naturæ portenta illo imperante sunt omnibus terris facta: plures dies velut tenebris iacuit terra obuoluta, auditumq́ tonitruum terra mugiente, non cœlo tonante, secutusq́ vt solet, motus terræ ingens, quo plura ædificia cum habitatoribus subito terræ hiatu absorpta sunt, multiq́ mortales nimio terrore exanimati: Sed id malum Asiam præcipuè habuit obnoxiam. Mota est Roma, mota & Libya, terraq́ hiatus vastissimi pluribus extiterunt*

locis.

locis. Maritimas vrbes subitum mare obruit. Galienum tandem ipsum Aureoli tyranni fraude, apud Mediolanum cum filio, seu vt Eutropius vult, cum fratre Valeriano interfectum, scripsit Victor.

DOROTHEI Eunuchi viri Græca & Hebraica *lingua eruditissimi doctrina mirificè delectatum Aurelium Imp. ferunt. Nam ita primis Imperij sui annis Christianis fauit, vt Pauli Samosateni sectam ab Ecclesia separauerit. Verum postea malis consilijs subornatus, publica edicta contra eos euulgaturus, fulmine territus à proposito destitisse dicitur, teste Eusebio capite 30. libro 7. Cum iam nos, inquit, persecuturus esset, & edicto contra nos vulgando propè subscripsisset, diuina eum vltio corripuit, quæ conatum eum tantum non religatis cubitis prohibuit. Et Ruffinus: Dictatis iam literis & scriptis, cum superesset sola subscriptio, diuina dextera interueniens, subscriptionem nefandæ dextra deturbauit: morte enim subita condemnatur, qui de piorum morte censebat. Vopiscus autem, Victor & Eutropius, Ministri, inquiunt, notarij sui fraude, qui ad quosdam militares amicos eius, nomina eorum annotata pertulit, falsò manum illius imitatus perinde atq; Aurelianus eos interficere constituisset, occisus est. Aureliani præses Antiochus, inter tormenta Agapeti Martyris subitò de tribunali decidens, se in interioribus ardere clamauit, & expirauit. Heinricus Erfordiensis.*

DIOCLETIANVS Dalmata 20. annis regnauit. *Anno 19. imperij, Christi 306. decimam à Nerone persecutionem instituit, teste Eutropio, Maximianum Herculiū, tyrannidis suæ socium in occidente sortitus. Ipso igitur*

Pascha-

Paschatis die, ex dicto Imperatoris tunc Nicomediæ agentis templa omnia euersa, libri sacri exusti, Christiani à magistratibus deiecti, in seruitutem rapti, omni genere suppliciorum adfecti sunt. Ne aulicis quidem suis & amicis intimis, non Serenæ vxori pepercit. Paucis diebus XVII. millia Christianorum variis suppliciis affecit. In Thebaide, quæ Aegypti pars est, nudas fœminas suspendebat, alias deuexis arboribus alligatis pedibus, cum in contrarium redire arbores permitteret, in duas partes dilaniabat: alios ferreis vnguibus, non profundis sed oblongis vulneribus dilaniatos, carceribus vinctos restituebat, ac tegularum fragmenta pro strato eis subiiciebat, vt quieturi, quàm ante in martyrio, deterius haberent. Alexandriæ nonnullis ademptæ manus ac pedum digiti, item nasus, labra & aures, atq; ita affectos viuere (si hæc vita & non longior mors esse posset) permittebat. Quosdam veluti hædos ignibus assabat. Verum in Ponto atq; Cappadocia in Christianos arte fuit aucta crudelitas: peracuta enim cannarum frusta, inter vngues carnemq; digitorum figebat: alios liquefacto plumbo totos instillabat, aut per anum eis corpora replebat. Fœminis quoq; per sexum candentia ferramenta adigebat. Cæterùm cum sæuitia tormentorum numerus piorum indies cresceret, desperans de extinguenda fide Christiana, morte quidem Christianos afficere supersedit, ac dextrum oculum effodit infinitis, & crus sinistrum cauterio debilitauit, mox ad metalla damnauit. Eusebius lib. 8. cap. 10. Scripsit Beda, semel cœptam à Diocletiano persecutionem vsq; ad annum imperii Constantini septimum sæuiisse, & vsq; ad Britannos peruasisse Martinus in Chronico indicat, sublatos fuisse in vniuersa Britannia omnes Christianos, ex quibus S. Albanum Vincentii speculum martyrem præ ceteris

teris

teris illustrem commemorat. Anno vixdum exacto, imperio sponte se abdicauit, eò quod Christi nomen propter constantiam martyrum penitus abolere non posset. Priuatus vixit Nicomediæ, vbi morbo miserabili extinctus est: primum hydrope intumuit, quo disrupto, lentè emarcuit, ita vt lingua illius blasphema vermibus corrumperetur, & grauissimo fœtore astantes læderet: postremò canis more latrans, sceleratam euomuit animam. Nicephorus libro 7. capite 20. Eusebius libro 8. cap. 13. eum in ecstasin incidisse, & sic perijsse scribit. Ruffinus varijs prius morbis confectum, sibi ipsi manus intulisse, cum se prius fulminis ictum metuens, abscondisset. Aurelianus Victor, & Pomponius Lætus eum, cum à Constantino & Licinio ad nuptias vocatus fuisset satis imperiosè, metu venenum hausisse tradunt. Domum etiam eius fulmine consumptam, Eusebius testatur. Persecutionem Diocletiani terræmotus grauissimi sunt secuti, qui Tyrum & Sidonem concusserunt. Romæ Pyrrhopogon præfectus cum 40. ministris lapsu cameræ oppressus. Spoleti Regia 350. viros idolis seruientes extinxit. Flaccus præses, post martyrium Gregorij Episcopi Spoletani, ab angelo percussus, interiora sua euomuit. Dioscorus cum filiam suam Barbaram occidisset, igne cœlesti absumptus est. Aprofrasius cum apud Mendulos Christianos persequeretur, à dæmone equo deiectus est. Vincentius libro 12. capite 42.

DIOCLETIANI collega Maximinus, siue Ma*ximianus, abdicato Imperio, priuatus vixit Mediolani. De eius supplicio hæc narrat Eusebius libro 8. cap. 16. Corripuit, inquit, eum supplicium diuinitus illatum, initio ex ipsa illius carne sumpto, & progressu ad animam vsque facto. Etenim subitò illi accidit in medijs corporis arcanis suppuratio,*

ratio, deinde in imis illorum vlcus fistulosum, & ex his vis quædam mali interiora viscera depascens, & indicibilis multitudo vermium ebulliens, & lethiferum fœtorem exhalans: toto alioqui corporis tumore, ex abundantia cibi, etiam ante morbum in nimiam pinguedinem mutato, quæ tum suppurata, intolerabile & horrendissimum appropinquantibus spectaculum præbuit. Itaque medicorum alij incredibilem fœtorem ferre non valentes, occidebantur: alij, quia toto corpore tumefacto nulla supererat spes salutis, ideoq; medendo nihil efficere poterant, crudeliter interimebantur & ipsi. Addit Ruffinus, quendam ex ijs, quem iugulari præceperat Maximinus, inspiratum à Deo, Imperatori hæc obiecisse: Cur Imperator erras, & quod Deus infert, ab hominibus putas posse reuocari? Nec humanus est iste morbus, nec à Medicis curatur. Sed recordare, quanta in seruos Dei egeris, quamq; in religionem diuinam impius & profanus extiteris, & intelliges, unde tibi sint poscenda remedia. Nam & ego quidem mori cum cæteris potero, tu tamen à medicis non curaberis.

GALERIVS Maximinus in Oriente Constantij *collega, moribus longè dispar, contra Christianos truculentißimus extitit, quodq; antea nunquam factum erat, edicta æri incisa in medijs proponebantur ciuitatibus. Cæterùm victus tandem à Licinio (qui cum Constantino Maxentium oppresserat) sacerdotes suos occidit, subitoq; morbo correptus, Christianorum Deum glorificauit, & pro illorum securitate & libertate edictum absolutissimum proposuit. At cum bellum denuò mouere conaretur, in morbum & cruciatus horribiles incidit, de quibus hæc Eusebius libro 9. capite 10. Post legem pro Christianis latam,*

latam, inquit, acie adhuc in campo ſtante, domi manens & abditus, competens ſupplicium ſuſtinet, ſubita plaga Dei per totum corpus percuſſus, ita vt grauibus doloribus exagitatus, & inedia conſumptus, pronus lecto deciderit, ac carnibus inuiſibili igne labefactatis, omnem priſcæ formæ ſpeciem amiſerit, & ſola illi arida oſſa reliqua fuerint, nec aliud ab adſtantibus corpus eius eſſe iudicatum ſit, quàm ſepulchrum animæ, in mortuo iam corpore defoſſa. Cum autem vehementius adhuc, & magis quam therma ſoleant, ex ipſis medullarum penetralibus conflagraret, exciderunt illi oculi. Spirans autem adhuc in iſtis cruciatibus, mortem aduocabat, ac tandem hæc ſe propter inſaniam propter Chriſtum præſumptam, meritò & vltionis vice perpeti confeſſus, animam reddidit. Ad hunc igitur modum è medio Maximinus ſublatus, omnium Imperatorum impijſſimus, ignominioſiſſimus, ac Deo ſupra modum inuiſus tyrannus, publicis eſt edictis declaratus. Statuæ, quæcunque in honorem illius erectæ fuerant, conculcatæ, omniumque riſui & illuſionibus ſunt expoſitæ. Deinde & aliorum pietatis hoſtium inſignia omnia ſublata ſunt, & occiſi quotquot Maximino fauerant, illi præſertim, qui primarijs dignitatibus ab illo affecti fuerant, & ipſi aſſentarentur, & doctrinam ac religionem Chriſtianam acerbius infeſtarent: Inter quos Peucerius erat, & Culcianus, qui fuſo innumerorum Chriſtianorum ſanguine, per Aegyptum celebris factus fuerat, & Theotecnus magus. Liberi eius, quos iam Imperialis honoris, tabularumque & inſignium publicorum ſocios reddiderat: deinde & cognati, qui per inſolentiam anteà omnes oppreſſerant, dira ſupplicia ſunt perpeſſi.

IVLIANVS apoſtata, mortuo Conſtantio, Chriſtianos *diuerſa ratione, quàm ſuperiores Imperatores perſequi*

 cœpit.

cœpit. Nam cum supplicijs & tormentis eos non modò non frangi, sed & confirmari animaduertisset, primò quidē Christianorum filijs literarum cultu interdixit, ne eruditione instructi, Ethnicos vehementius impugnarent. Deinde verò paganorum religionem totam ad Christianorum mores & ceremonias attemperauit, vt similitudine rituum incauti Christiani facilius deciperentur. Interdixit Christianis ne militiam gererent. Grauissimis exactionibus Christianorum opes exhausit. Christianorum legationes, iniurias acceptas ad eum deferentes, eosq; à quibus læsi essent accusantes, non admisit, nec opem tulit &c. Sozomenus libro 5. cap. 3. & 15. Cum his artibus parū se proficere animaduerteret, ad cædes quoq; conuersus est, quas maxima cum crudelitate executus fuisset, si è Persico bello incolumis redijsset. Nā & Theatrum Hierosolymis extrui iusserat, in quo reuersus, Episcopos, Monachos, omnesq; sanctos à bestijs laniari spectaret. Sed in bello Persico exercitus primum annonæ penuria laborauit. Ipse Persa cuiusdam dolo in deserta ductus, conto traiectus perijt. Alij sagitta cœlitus demissa confixum, in hæc verba contra Christum prorupisse aiunt: Vicisti Galilæe, proprijsq; cruoris pugillum in aërem proiecisse. Theodoretus libro 4. cap. 2. Nazianzenus eum horribiliter mortuum, mox à terra commota absorptum, & flammis emicantibus absumptum scribit. Terræ motus grauissimi totum orbem affixerunt, & fames ingens. Idem libro 4. cap. 4.

RHADAGAISVS Gothorum Rex, Christia*norum sanguine ebrius, & orbis terror, cum de nomine Christiano penitus abolendo cogitaret, tandem Panico quodam terrore cum exercitu perculsus, in asperrimo Fesulani montis iugo conclusus; fame & siti pressus capitur, & aliquamdiu vinctus, supplicio afficitur. Exercitus maxima*

pars

pars capta, tanta vilitate vt singulis aureis singuli greges venderentur, vt Paulus Diaconus & Orosius scribunt. Refert Iuo in Arcadio, ab eo monachis proposito edicto imperatum esse, vt militarent, id verò qui detrectarent illicò interficerentur. Quæ res multis causam martyrij præbuit, cum mallent pij subire supplicium, quàm tyranno contra Christianam religionem militare.

VANDALI Duce Grosio vel Grosco Galliam po-*pulabundi peruagantes, multas vrbes & Ecclesias subuerterunt, multosq́ piorum martyriò celebres fecerunt: inter quos præcipuì sunt Sedunenses Florentinus & Hilarius: Item Desiderius Lingonensis, cum Vincentio Archidiacono, Item Antidius Vesontiensis Episcopus, vt est autor Sigebertus. Sed paulò pòst ipse Groscus in obsidione Arelatensi captus, & cathenis vinctus, per omnes vrbes, quas miserè vastauerat, ductus, post grauissima tormenta necatus est. Bergomensis, in vita Constantini Magni.*

ATHANARICVS Gothorum Rex, multos *Christianos varijs tormentorum generibus enecauit: Alios obtruncauit gladio, quosdam in exilium pepulit, & ibidem fame & siti languere ad mortem coëgit. Hinc iusta numinis ira miserum exhalauit spiritum, sanguinis fluxu toto corpore erumpentis. Rauisius.*

LEVTHERIVS Alemannorum princeps in *Italia pro Gothis contra Romanos, cum Christianos miserè afflixisset, in rabiem tandem versus, suis semetipsum dentibus laniauit, suoq́ sanguine satiatus periјt. Bultinus eius frater cum XXX. millibus in Campania à Romanis deletus est, quinq́ ex eo numero fuga elapsis. Reliqui Alemanni à Rom. & Hunnis, qui ad Pisaurum stationem habebant, ferro cæsi, & de rupibus præcipitati fuerunt. Qui hanc cladem*

 euitâ-

euitârunt, in vrbe Veneda peste absumpti sunt. Agathius libro 2. de bellis Gothicis.

ALBOINVS Longobardorum Rex, anno Iustini *iunioris tertio, Christi verò 568. in Italiam ingressus cum exercitu, vouit se gladio omnes Christianos deleturum, idq́ue re ipsa perficere cœpit: nam templa diripuit, sacerdotes interemit, Monachos de arboribus suspendit. Gregor. Turonens. libr. 4. cap. 41. Mediolanum quoq́ue obsedit, & facta expugnatione, omnes ciues, quòd Christiani essent, trucidauit, teste Diacono. Deinde Ticinum seu Papiam ciuitatem vltra triennium oppugnauit, quam tandem captam diripiendam & inflammandam totam militibus traditurum se iurauit. Cum iam facta deditione, portam ciuitatis, quæ dicitur S. Iohannis ingrederetur, equus eius de improuiso, in medio portæ montis instar immobiliter consistens, nec calcaribus nec verberibus porrò agitari potuit. Hoc viso quidam ex Longobardis, vltionem quam ciuibus minatus fuerat, Regem remittere iubet, aut fore, vt nunquam cum lapso equo erigatur. Promissa ergo venia, equus confestim sua sponte, Rege incolumi, sese in pedes statuit. Hic tyrannus cum non longè pòst Rosimundæ coniugi suæ è cranio Gundamundi patris Veronæ in conuiuio propinasset, illa Helmicheldem iuuenem in concubitum sui pellectum, eò impulit, vt Alboinum interficiat. Vide Paulum Diaconum libro 2. de Longobardis, cap. 14.*

SVENO Dacorum Rex, subacto totius Angliæ *regno, tanta crudelitate in victos vsus est, vt nec Sacerdotibus aut rebus sacris parceret: Plura enim cœnobia suis donarijs spoliauit, eorumq́ue agros igni ferroq́ue depopulatus est. Ac sanè homini impio, & Anglicum nomen delendi, & religionem Christianam simul ex omnium mortalium pe-*

ctoribus

ctoribus euellendi, non tam voluntas, quàm facultas defuit. In illis turbis Elphegus Cantuariensis Episcopus martyrio affectus est, anno salutis 103. Ferunt eum dum apud milites ob regnum adeptum gloriaretur, repentè velut pugionis supernè demissi ictu confossum, in terram cecidisse, vociferantem, mortem sibi illatam, ac actutum interijsse: & omnes qui aderant, subito rei casu stupentes, percussorem nusquam cernentes, arbitratos id Deorum ira esse factum. Ad posteros etiam fama manauit illum eo ipso cultro fuisse interemptum, quem diuus Edmundus, dum in vita erat, gestauerat &c. Polydorus libro 7.

RAGENARIVS, Dux Normannorum, qui *anno Domini 846. Parisijs Germani monasterium spoliârat, magnificè sese efferens ob victoriam, subitò concidit, & post triduum expirauit, socij verò eius dysenteria plerique perierunt. Aimoinus libro 5. capite 20. de gestis Francorum. Iidem Normanni in Gallijs & Burgundia, ac Lotharingia, in pios grassati castello sancti Lothi per deditionem capto, contra datam fidem Episcopum Constantiensem, & omnes ciues trucidârunt. VVormatiam vsque excurrentes, Moguntinum Episcopum Sunderoldum, cum plurimis alijs interfecerunt, anno Domini 895. Cum per annos septuaginta Christianos passim afflixissent, tandem Arnulphus Imperator centum millia de eorum exercitu concîdit, vix vno atque altero ex suis amisso. Regino libro 1. & Sigebertus.*

REGNERVS Rex Daniæ, qui abolita religione *Christi Idola restituerat, graues pœnas Deo persoluit. Nam ab Helle, quem expulerat, captus est auxilio Gallorum, & in carcere à serpentibus diu excruciatus perijt. Cranzius libro 4. capite 10. Daniæ.*

SVB Ludouico III. Imp. Vngari latrones duce *Rege Chussal traiecto Istro Bauariæ Ecclesias miserè afflixerunt, Sueuiam item, Franconiam, Thuringiam, Saxoniam. Alia manus Italiam populata est. Similiter sub Conrado I. & Heinrico I. circa annum Christi Saluatoris 913. Hamburgum incendio & ferro deuastantes, incensis Ecclesijs Sacerdotes ad aras trucidabant, & clerum vulgo mixtum aut impunè occidebant, aut in captiuitatem pertrahebant. Subita orta tempestas à semicremis Ecclesiarum tectis scindulas eleuauit, quas in ora paganorum rotans, dum fugæ præsidium quærunt, aut in flumen præcipitari compulit, aut vt armata ciuium manu interficerentur, effecit. Cranzius libro 3. cap. 2. Metropoleos.*

MISTEVO VVagirorum princeps, Bernardi *Saxonum Ducis filiæ nuptijs ob religionem frustratus, magna crudelitate Holsatiam diripuit, Heinrico II. imperante. Hamburgi tum ciues tum sacerdotes captos, aut varijs tormentis enecuêrunt, aut tristem seruitutem relicta patria subire coëgerunt. Nec ædificijs parcitum est. Aldenburgensi quoque vrbe expugnata, Christianos, qui eò loci semper fuêre, omnium Scriptorum testimonio, frequentissimi, pecudum more mactârunt: sexaginta presbyteris, inter quos Oddar præpositus fuit, ad maiora reseruatis mala. Illis enim capitum cutis in formam crucis ferro incisa diuulsa est, ac ligatis post terga manibus, omnibus spectandi per singulas Slauorum vrbes stupenda immanitate protracti sunt. Sicque nullum ferè Christiani nominis vestigium trans Albim reliquum mansit. Helmoldus cap. 16. in Slauor. chron.*

ANDREAS & Lenenta, paribus votis ab exilio *contra Petrum regem ab Hungaris reuocati, promiscuæ multitudini, quæ ad eosdem in nouo castro commorantes*

confluxe-

confluxerat, promittere coguntur, se permissuros, vt vniuersus populus pagano viuat more. Andreas cum sine permissione hac regno se rursus potiri posse diffideret, vltrò postulatis annuit. Vulgus itaque religione penitus abiecta, in Christianos omnes, præsertim in Episcopos & Sacerdotes adeò sæuijt, vt Christiani nominis memoria simul interciderit. Ecclesiæ quoque dirutæ, & suis bonis spoliatæ sunt. Gerardus Canadinensis, Beztertus, Buldus & Benetha Episcopi, de Regum aduentu certiores facti, vltrò vt honorificè eos excipiant, obuiam procedunt. Quum ad Giodi pagum venissent, in diuæ Sabinæ templo rem prius sacram facere decernunt, quàm Regulis occurrant. Ibi Gerardus socios præmonuit, iam diem martyrij cunctis imminere, id enim ex nocturna se cognouisse visione excepto Benetha. Peractis sacris, iter versus Pêstum ineunt. Gerardus ob viæ asperitatem & vires deficientes curru vehitur. Verùm vt ad Danubium peruentum est, Regulorum Comites facto agmine impetum in eos faciunt, saxisque petunt: Gerardum tandem curru in præeminentem subuehunt rupem, indeque præcipitem agunt. At cum palpitanti cordi spiritus aliquis adhuc inesse putaretur, hasta transfoditur. Benetha verò, Regulorum intercessione ex hostium liberatur manibus. Eo quoque magnus Sacerdotum, fideliumque numerus, pari crudelitate absumptus est. Auentinus.

Cvm moueret aduersus Stephanum Vngariæ Regem seditionem Cupas, religionis causa, quàm multi auersabantur: in acie cæsus est, ac corpus eius in quatuor partes dissectum, portis est affixum. Bonfinius libro 1. Decad. 2.

Blvsso Vandalorum Dux, à Christianorum trans Albim extirpatione domum reuersus, à suis obtruncatur. Helmoldus in Sclauorum Chronico, capite 24. Vdo

Sclauorum Princeps, Christianæ religionis hostis, & tyrannus crudelis, à quodam Saxone confossus est. Idem.

IOVINIANO proprincipi successit Valentinianus, *Christianus Imperator, qui consortem Imperij asciuit in Oriente Valentem fratrem. Is Catholicus primum, mox Arianismo infectus, horrendis supplicijs Orthodoxos in Asia & Africa affecit annis decem. Multos, quòd Eudoxio communicare nollent, in exilium pepulit. Vnde grando lapidum instar Constantinopoli cecidit. Terræmotus Nicæam, & Germam Hellesponti ciuitatem deiecit. Fames in Phrygia propter combustos in naui 80. presbyteros orthodoxos adeò magna, vt incolæ sedes mutare cogerentur. Cum D. Basilio Episcopo Cæsariensi persuadere non posset, vt alteri parti Arianorum subscriberet, exilij libellum contra eum subscripturus, manus ita concussa est, & contritus calamus, vt nullam literam exarare posset. Tandem bello contra Gothos suscepto, cum sagitta vulneratus esset, in tugurium quoddam se recepit, ibiq; à Gothis circumiecto igni exustus est. Socrates libro 4. cap. 38.*

VALENTIS Imperatoris Cubicularius, qui *Aphraata Monacho, Imperatorem liberius monenti, acrius comminatus fuerat, Imperatori balneum paraturus, mente captus, in solium feruentissimum insiliens perijt. Theodoretus libro 4. cap. 26.*

HVNERICVS Genserici filius, Zenone Imp. *intercedente, Carthagini, quæ 24. annis orthodoxo Episcopo caruerat, Episcopum permisit, & vicissim vt Zeno Arianis Constantinopoli, & in toto Oriente Ecclesias concedat petijt. Ad Orthodoxorum Ecclesias milites vncinis armatos statuit, qui quoscunq; Vandalorum Ecclesiam ingredientes conspicerent vncos in caput impingerent. Ea*

crudeli-

crudelitate multi oculis, multi pericranio priuati sunt. Septimo Imperij anno persecutio inualuit. Sacræ virgines miserè tortæ, & secretis locis contrectatæ, vt stupra sua cum Episcopis indicarent. Pij omnes in Africæ solitudines relegati. Simulauit inde, se concilium religionis causa coacturum, non alieno consilio, quàm vt coacta Homousianorum manu, eos pro libito tractaret. Orthodoxos Ecclesiis, hospitijs, facultatibus omnibus priuatos, inedia mori coëgit, dum à nemine recipiuntur, & à militibus, ne ad Romanos transeant, in limitibus sui regni obseruātur. Martyrum & Confessorum sub hoc tyranno numerus iniri non potest. In vijs publicis milites constituit, qui viatores, nisi testimonium & characterem fidei Arianæ scriptum ostendere possent, vel inuitos rebaptizarent. Noctu itidem vicos & oppida circumeuntes, impetu in ædes facto, somno oppressos baptismate suo cōspergebant, & pueros reluctantes, & se Christianos esse clamantes, aqua immergebant, quasi per vim characterem orthodoxæ fidei illis eluere possent. Patrem hic Gensericum, & Ethnicos Imperatores omnes immanitate videtur superâsse, cuius furori Ariani Episcopi frigidam suffundebant. Ea propter expertus est primum siccitatem ingentem, ita vt magnorum fluuiorum aluei exiccarentur. Fames secuta maxima. Hanc secuta est pestis, quam vt cum suis effugeret, magnam multitudinem hominum Carthagine eiecit. Verum ipse quoq; venenato vlcere correptus, vermibus toto corpore scatens, miseranda morte interijt: ita vt non cadauer, sed cadaueris partes viderētur sepultæ. Victor. lib. 3. hist. Vandalicæ. Turonensis lib. 2. cap. 3. scribit, ipsum à Dæmone correptum, proprijs se manibus dilaniasse.

Anastasius Imp. cum & Magus esset & Manichæus, & Euthychianis hæreticis faueret, Orthodoxos Episcopos malè

tractauit. Monachos plurimos, qui Chalcedonensem Synodum damnare nollent, interfecit, Constantinopoli & in Syria. Regino vltra nongentos martyres sub Anastasio factos asserit. Seuerus Antiochiæ Episcopus hæreticus, Iudæorum præsidio vsus, vltra trecentos secundæ Syriæ Monachos interfecit, eorũq; cadauera canibus & auibus lanianda proiecit, & Christianorum templa spoliauit. Ceterũ improbitatem hanc Imperatoris digna excepêre supplicia. Hunni & Bulgares Thraciam, Illyriam, & præcipuas Orientis partes vastârunt. Constantinopoli multa incendia orta. Imperatori in somnis oblatus est vir terribilis, librum manu tenens & inquiens: Ob κακοπιστίαν tuam 14. annos vitæ tuæ prorogandos deleo. Proximo anno ante eius interitum plurimi mortales Alexandriæ à Dæmonibus obsessi, canum latratus ediderunt, propter Chalcedonensis Synodi condemnationem. Cum aliquando tonitrua horrendum in modum creparent, Anastasius à cænaculo in cænaculum territus fugiebat: & tandem in quodam cubiculo mortuus inuentus est. Diaconus, Nicephorus & Zonaras.

SARACENI in Gallias ab Eudone, & posteà à *Maruntio ex Hispanijs asciti, à Carolo Martello & alijs propemodum deleti sunt, ob suam in Christianos crudelitatem. Eudo & Maruntius vterq; regnis & vita priuati sunt. Sigebertus in chronicis. Iidem ob Constantinopolim obsessam, & Thraciam vicinasq; regiones vastatas, fame, quæ tanta erat, vt Camelos & asinos, & cadauera hominum, & stercus suum in clibano tostum comederent: & peste, quæ trecenta hominum millia absorpsit, puniuntur. A Bulgaribus viginti duo millia cæsi. Grandine ignea cælitus demissa, naues piceæ liquefactæ ac dissolutæ, solis decem saluis: quarum quinq; in Syriam venerunt, quinq; à Romanis captæ,*

Dei

Dei omnipotentis vindicem manum annunciauerunt. Anno Domini 719. & 20. Paulus Diaconus, libro 21. Rerum Romanarum. & Sigebertus in chronicis.

ABAS Saracenus pro sua in Christianos crudelitate *dignam mercedem tulit. Nam Aethiops quidam à Marua subornatus, impleuit follem viua calce, eamq́ in os & nares eius efflauit, vnde ille suffocatus interijt. Paulus Diaconus libro 22.*

TEMPORE Rudolphi Habsburgensis Imp. Mo*nachi Altaichenses inferiores, se vigilijs & inedia confici causati, Volckmarum Abbatem accusârunt, quod genio indulgens, luxuq́ diffluens immunis ab istis molestijs viueret. Monachorum cognati, facta in Monasterium irruptione, omnia diripiunt, & Volckmarum Danubium traijcientem, eminus sagitta interficiunt. Monachi conscij facinoris ab Heinrico Boiorum regulo exiguntur, sex eorum cognati, authores cædis, catenati Straubingam deportantur, biniq́ ibidem supplicium luunt, execti, rotæ innexi, in crucem acti, securi percußi. Auentinus libro 7. Annalium Boiorum.*

CEOLREDVS Rex Merciorum, & Osredus *Rex Berniciorum, monasteria effregerunt, & Nonnas stuprârunt: ideoq́ prior in furorem versus, alter regnum & vitam miserè perdidit. Bonifacius in Epistola ad Ethilbaldum.*

HERODES Antipas Galileæ Tetrarcha, Iohan*nem Baptistam virum sanctißimum in castro Machærunte trucidauit. At non multò pòst exercitus illius contra Aretam Arabum regem missus (cuius filiam cum ignominia dimiserat, superinducta Herodiade, alterius fratris Herodis vxore) ad internecionem perijt, omnibus iudicantibus, iusta*

ultione Numinis ob cædem Prophetæ deletum fuisse exercitum. Iosephus libro 18. cap. 7.

ANTONIVS à Turre Baro Vallesianus, *Guitschardum Episcopum Sedunensem, cum quo agrorum quorundam contentionem habebat, Seduni in arce incautum aggressus, dum oraret, præcipitem dedit per fenestram, anno Domini 1375. Eius mortem Vallesiani armis ulti sunt, multisq́ ultrò citroq́ datis & acceptis cladibus, Baronem cum tota progenie trucidarunt & extirpârunt. Stumpffius.*

ONIAS vir iustus & Deo charus, qui aliquan*do siccitatis tempore impetrauerat pijs precibus pluuiam, mortua Alexandra Iudæorum Regina, in latebras se abdidit, ciuile bellum præsentiens. Hunc in castrum adductum Iudæi, qui cum Hyrcano Pontifice & Areta Arabum Rege Aristobulum Hyrcani fratrem in templo obsidebant, rogabant, ut quemadmodum olim sterilitati attulerat remedium, ita tunc deuoueret diris Aristobulum, & quotquot eius factionem sequebantur sacerdotes: id cum diu recusans cogeretur à turba, stans in medio eorum sic precatus est: Deus uniuersi huius mundi Rex, quoniam & hi qui mecum stant tuus sunt populus, & qui oppugnantur tui sacerdotes sunt, precor ut neq́ hos contra illos, neque illos contra hos orantes exaudias. Post hæc vota eum quidam Iudæi obruerunt lapidibus. Quam crudelitatem Deus ultus est continuò, cædisq́ Oniæ pœnas exegit totius agri inundatione & fame maxima. Iosephus lib. 14. capite 3. Antiquit.*

LEVIGILDVS Vestgothorum Rex, cum fili*um bello persequeretur, & milites eius monasterium inter Saguntum & Carthaginem Sipartbariam inuaserunt.*

Miles

Miles quidam Abbati eius cœnobij seni gladio caput præcisurus, resupinus concidit, & obijt. Reliqui fugêre &c. Gregor. Turonens. libro 10.

CLERICVS quidam, qui Euthymio post mortem *Leonis Philosophi Imp. patriarchatu detruso canos euulserat, domum reuertens, eam hac ipsa hora incendio absumptam deprehendit, filiamq́; membris luxatam, qua multos deinde annos mendicando victũ quæsiuit. Cedrenus.*

NODDO quidam, homo Epicureus, & contem*ptor Arnulphi Metensium Episcopi, cum in symposio ei maledixisset, domum reuersus, flamma cum socijs ardere cœpit inextinguibili: Sed precibus Episcopi curatus, cum nec postea vitam emendasset, vnà cum filio in scelere quodam comprehensus, pœnas capitis luit. Vincent. lib. 22. cap. 76.*

MORTVO Clodoueo Francorum Rege, cum *filios tres reliquisset, Lotharius maior natu, quatuor annis nomine tenus imperauit. Ebroinus enim aulæ princeps reipsa imperans, Rege delitijs dedito, Theodericum Lotharij fratrem regno exuit, & in monasterium Dionysij relegauit. Mortuo Childerico, cum Theodericus reuocaretur, ipse quoq́; (qui in Luxouiense monasterium ob nequitiam detrusus fuerat) viribus resumptis, Theoderici thesauros omnes diripuit, Ecclesias spoliauit, Episcopos exilio & morte affecit. Leodegarium Episcopum Augustodunensem, fame carcere affecit, oculis euulsis, plantis concisis, lingua & labijs amputatis, securi percussit. Theodericus dignitatem ei restituere coactus, in eius gratiam pios valde afflixit. Tandem Ebroinus exosus suis, ab Hermenfrido quodam nobili dolo est necatus: & visus à Diabolis in infernum deportari. Hartmannus Schedelius ætate sexta. Et Trithemius de Regibus Francorum.*

Deli-

De lictore, qui Leodegarium iussu Ebroini in Gallijs interficere conabatur, scribunt, quòd ille post patratam cædem, statim à Dæmone sit correptus, & ardore interno, quasi igni in corpore succenso, consumptus. Vincentius libro 23. capite 125.

NANTINVS Comes sub Childeberto Rege *Francorum, cum ob incertam homicidij suspicionem Heraclium Episcopum acerbè insectaretur, & collegam eius interficeret, bonaq; Ecclesiæ diriperet, excommunicatus ab Episcopo, sed ab alijs Episcopis pecunia corruptis absolutus, mortuo Heraclio, grauißima febri correptus, sese ab Heraclio Episcopo exuri, & ad diuinum iudicium vocari, horrendis clamoribus testatus, expirauit. Cadauer eius nigredinem contraxit, ac si vstulatum fuisset. Turonens. lib. 5. cap. 35. Aimoinus libro 3. cap. 31. de gestis Francorum.*

GVNTHERANNVS Rex Francorum, cum *plurimos Episcopos in exilium agere conaretur iniustè, in grauißimum incidit morbum, & exercitus eius in Hispaniam missus, ad quinq; millia amisit. Turonens. libro 8. cap. 20. & 30. Mundericus Episcopus Ternoderensis castri, vi ab Ecclesia sua auulsus, in exilium, in arctam & detectam turrim ad ripam Rhodani extructam detruditur: vbi per biennium ferè integrum detentus fuit, quod Sigebertum regem Mediomatricum cum fratre Gunthranno bellum gerentem, alimentis & commeatu iuuisset.*

PRÆCEPERAT Heinricus IIII. Imp. in frequenti *procerum suorum corona, funditus deleri Hirsaugiensem Monachorum conuentum, eò quod à Romani Pontificis partibus contra ipsum starent. Ad hoc facinus perpetrandum, fidelem se VVernerus Argentinensis Episcopus præstitit ministrum, qui benignè compellans suos milites,*

de am-

de amplissimis monachorum spolijs spem eis fecit maximam. At milites Episcopo religiosiores in Dei seruos sæuire detrectârunt. Quos Episcopus læsæ maiestatis fore reos, nisi iussa exequantur, pronunciat. Mox ipse lorica indutus conscendit equum cæteris ducem se exhibiturus, sed ex equo, inspectante exercitu, eo ipso momento delapsus, cum magno boatu animam expirauit. Quo viso, cæteri ab incæpto destitêre. Trithemius in Hirsaugiensi chronico.

VNVM solummodo annum Boleslaus Polonorum Dux, *omnibus inuisus, post Stanislai cædem superstes fuit. Russorum enim Principes ab eo subacti, parêre respuerunt: conspirârunt deinde in necem eius nobiles plurimi. Qua tamen conspiratione detecta, ipse suæ saluti consulturus, cum filio Miescone & paucis comitibus in Vngariam fugit, cui tum Ladislaus Geisæ frater dominabatur. Ab eo Boleslaus comiter & honorificè exceptus est, mansitq́ ibi aliquamdiu: verum exagitante eum indies magis magisq́ admissorum facinorum conscientia, mente captus ipse sibi mortem consciuit, anno Salutis 1081. Cromer. libro 4. Boleslaum Deo hominibusq́ perosum, languore inaudito miserè interijsse, filium verò veneno sublatum, Crantz. lib. 3. cap. 14. de Vandalis narrat.*

EXHAVSTI pudoris perfidia atq; proditio M. *Iulij Philippi fuit, qui cum iunioris Gordiani præfectus esset, cum eo ad Persicum bellum profectus, non id solum egit, quòd Misitheum eius socerum, qui alio nomine Mesocles appellabatur, veneno sustulit: verum etiam perfidia atq; ingenti astu, in loca arida atq; sterilia, vbi omnium rerum inopia premebatur, exercitum deduxit. Et cum naues, quibus ad exercitum frumenta comportabantur, demersisset, subornauit qui ad tumultuandum impellerent exercitum,*

& dicerent, in ea mala eum esse deductum iunioris Gordiani inscitia. Ab exercitu igitur Gothorum æquatus, imperij societate spreta, crudeliter Gordiano caput adimi iussit: atque senatui scripsit, Gordianum febre correptum interijsse: & vt perfidiam occultius tegeret, in Deorum numerum, vt alios Romanos principes, retulit: neque alio vnquam nomine quàm Diuum appellabat: quanquam secretò haud pauci essent, qui rem vt gesta erat non ignorarent. Igitur non puduit tam insigni proditione, tantoque scelere principem suum, atque eundem innocentem, cuius stipendio militabat, & cui officij iure atque insuper sacramento erat obstrictus, tollere: sed ita ferente Deo, qui iustus est vltor, haud multò pòst, M.C. Traiani Decij opera, Philippus vnà cum filio à militibus interfectus, perfidiæ suæ munus tulit. Quemadmodum Decius quoque simul cum filio egit. In Thracia enim, cum aduersus Scythas bellum gereret, à Gallio Treboniano, qui Mæsiæ fines cum exercitu custodiebat, proditus, ac postea occisus fuit. Id enim persæpè contingit, vt proditor de alterius proditione pœnas sumat. Fulgosus lib. 9. cap. 6.

VERONENSES Berengario Regi insidias struebant per Flambertum, cui Rex filium ex sacro baptismatis lauacro leuârat, ipsumque honoribus euexerat, cui facilis erat ad Regem aditus. Berengarius certior factus de insidijs, Flambertum aduocat, beneficia ei exprobrat, & cur suæ vitæ insidietur? quærit. Quin etiam vt hominem maiore deuinciret amore, generosum vinum aureo poculo iubet infundi: Bibe, inquit, amorem, dilue rancorem, ac aureum illud poculum ob nostri amorem tibi & tuis reserua. At Flambertus accepto precio traditionis, magis æstuat innocentem tollere Regem. Consueuerat Rex ad Galli cantum plerumque surgere, & templa adire, ac laudes Deo dicere.

Flamber-

Flambertus acceptis sceleris socijs, dum in quodam amœnissimo tuguriolo iuxta Ecclesiam maneret, noctu euntem ad templum bonum Regem capit, ac à tergo rhomphæa occidit: cuius sanguis lapidi inspersus, nullo liquore multis pòst annis potuit abstergi. Milo fortissimus iuuenis, à Rege multis annis educatus, cum frequenter noctis excubias gubernaret, audiens cædem factam, capto Flamberto proditore ac socijs, dominum suum vlturus, omnes laqueo suspendit. Cuspinianus.

LVDOVICVS Sfortia malè partum Mediola*nensem principatum, vixdum conspectis Gallorum armis, XX. dierum spacio amisit. Fugiens in Germaniam cum liberis, Bernardino Curtio Papiensi alumno suo arcem Mediolanensem, præterito fratre Ascanio Cardinale, commisit. Is verò ne vno quidem tormenti iactu, vel aliqua oppugnationis specie exspectata, duodecimo post eius discessum die, arcem quæ expugnari minimè posse credebatur, Galliæ Regi, magna pecuniæ summa, centum cataphractorum præfectura perpetua, & multis alijs muneribus ac priuilegijs in tanta perfidiæ præmium acceptis, tradidit. Sed cum tanta infamiæ nota, tantoq; etiam apud Gallos odio, vt illius familiaritate velut pestiferæ atq; abominandæ feræ ab omnibus reiecta, quocunq; venisset contumeliosis verbis irrisit, pudoreq; & conscientia potentissimis certissimisq; facinorosum hominum flagellis cruciatus, non multò pòst dolore confectus, vitam reliquit. Guicciardinus libro 4.*

ALTINERIVS & Rainbaldus Taurisini cum Rizar*di Camini principis sui vxori atq; filiæ vim attulissent, vnum ex Rizardi militibus impulerunt, vt eum occideret. Quem cum miles præsentibus Altinerio atque Rainbaldo lethali vulnere confodisset, ambo, ceu Rizardo*

fidelem præstare operam vellent, arreptis armis statim militem obtruncârunt, ne res detegeretur, & vt qua mercede dignus erat miles, cum dominum suum occidisset, pro pacto præmio afficeretur. Fulgosus libro septimo, capite tertio.

CLEOMENES Dux Spartanorum, fugatus ab *Antigono, ad Ptolemæum se recepit. A quo benignè primum exceptus, mox Nicagoræ cuiusdam calumnia insidiarum suspectus, se interfecit. Interfectum Rex pelle nudauit, cruciq́ affixit. Plutarchus.*

DIONIS socrum Aristomachen, & Areten v-*xorem, post interfectum Dionem, vt ex vinculis liberatæ fuerunt, Syracusanus Icetes, qui ex Dionis amicis fuerat, accepit. Hic eas fouit aliquamdiu fideliter & honestè: verum à Dionis inimicis inductus, parato eis nauigio, quasi eas esset in Peloponnesum amandaturus, præcepit vt in cursu interficerentur, atq́ in Pontum proijcerentur. Alij viuas adhuc aiunt submersas, vnaq́ cum his infantem, quem Arete in carcere pepererat. Sed & hic pœnas pependit flagitiorum. Quippe captum Timeoleon necauit. Insuper duas eius filias Syracusani Dioni parentantes occiderunt. Idem in Dione.*

PHILIPPVS Antigoni filius, Rex Macedoniæ, *Arati Sicyonij viri clarissimi hospitio vsus, eius nurum polluit, quin etiam Aratum ipsum veneno sustulit & Aratum iuniorem medicamentis ad insaniam redegit. Cæterùm pœnas tandem Ioui hospitij & amicitiæ præsidi non leues flagitiorum tota deinceps vita persoluit. Siquidem bello victus à Romanis sua illis permisit. Deiectus cætero imperio naues quoq́, demptis quinq́, amisit omnes, & mille talenta insuper pendere pactus est, filioq́ obside dato, ex miseratione illorum Macedoniam, & regiones ei contributas retinuit. Dum*

verò optimos quosque & sanguine proximos quotidie occidit, horrore & odio sui totum impleuit regnum. Vnum modò, cum tantis in miserijs rem latam obtineret, præcellentem virtute filium: hunc inuidia & honoris apud Romanos eius æmulatione peremit. Alteri Persi regnum tradidit, quem non iustum, sed subdititium perhibent fuisse, ex Gnathonio quadam sartrice susceptum. Hunc Paulus Aemilius in triumpho duxit, in quo regni Antigonici expirauit successio. Plutarchus in Arato.

ATHENVLPHVS Abbas Cassinensis, Dattum *quendam Apuliæ primatem, qui, Græcis Apuliam igne & ferro miserè vastantibus, ad ipsum cum coniuge & liberis confugerat, hostibus prodidit, à quibus sacco insutus, in mare præcipitatus est. Ad cuius necis vltionem, & ne fortè Græci tota potirentur Italia, cum Heinricus Imperator maximas in Italiam copias ductore Peregrino Coloniense Archiepiscopo mitteret, Athenulphus nullum sibi in Italia tutum locum prospiciens, Hydruntum profugit, & assumptis preciosissimis monasterij rebus, ingressus nauim, vt in Græciam traijceret, vnà cum socijs naufragio perijt. Quo cognito, Imperatorem dixisse ferunt, Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Chronicon Cassinense libro 2. capite 40.*

CVM Tartari per Cumaniam in Pannoniam irrumperent, *Cuten Cumanorum rex, per Oratores apud Vngarorum Regem Belam IV. de Tartarorum crudelitate questus, locum in Pannonia sibi dari petit. Bela non modò postulatis annuit, sed hortatur, vt ad se confugiant, tutissimum illis hospitium offerens. Cuten humanitate Belæ motus, cum tota gente patrijs sedibus emigrat. Bela obuiam in fines vsque progreditur, hospitemque profugum honorificè*

 exci-

excipit. Sed cum vtraq; multitudo simul iter facere non posset, vnus è proceribus à Bela deligitur, qui Cumanos regio sumptu in mediam vsq; Pannoniam duceret. Præter seruitia quadraginta Cumanorum millia regijs impensis in Vngariam venêre. Cumani in itinere Vngarorum sata, vinetaq; affligebant, virgines paßim violabant. Quare tanta hinc in Belam suscitata inuidia est, vt à peregrinis potius quàm à suis amaretur: Vnde in diuersa procerum animi trahebantur: Hic Belam accusabat, ille defendebat. Cutenem tamen pari odio omnes prosequebantur. Quare cum Tartari iam in Pannoniam peruenissent, Bela Rex Cutenem accersi iubet, vt cum cæteris Cumanis ac Vngaris, Tartarico furori pariter occurrat. Sed Cuten infrementem in se populum formidans, Belæ respondet: Se sine præsidio regio, quod à manibus protegat Vngarorum, ad eum ire non posse. Ad hæc infremente multitudine, in Cutenis hospitium fit impetus, Ipse ab Alemannis & Vngaris cum cæteris Cumanis iuxta obtruncantur. Capita è fenestris in populum proiecta, & ius hospitij nefariè læsum. Deinde Cumani à Bela conuocati, dum coirent, audita Cutenis cæde, ab Vngaris ad Tartaros desciuerunt, & cum ijs icto fœdere, superiorem Pannoniam igni ferroq; vastârunt. Quum Vngarum interficerent, dicebant, Hoc te vulnere Cuten immolat, & pœnas scelerato à sanguine sumit. Bonfinius lib. 8. Decad. 2.

INGEMARVS Gothorum & Sueonum Rex *contra Haraldum Daniæ Regem bellum susceperat. Vxorem habebat Danam, Haraldi consanguineam, quæ inita cum proceribus conspiratione, admißis clam intra cubiculum latronibus, maritum à summa trabe catena aurea suspendi procurauit, non procul ab eo loco, in quo nunc Holmensis*

civitas

ciuitas ædificata conspicitur. Scelere cognito, præcipui amici Regis Ingemari vnà cum fratre eius Olauo Reginam in recenti crimine deprehensam, viuam defoderunt. Deinde Ingello Ingemari filio ad regni solium sublimato, Danos adorti, ipsos & eorum Regem Haraldum in fugam conuerterunt. Ingellus victoriam persequens, classe comparata, Daniam inuasit, & Haraldo ad interiora regni confugiente, Haraldi sororem raptam abduxit, & in vxorem duxit. Quæ cum impudicissimè multis se prostitueret, Rex Ingellus ea de re admonitus, cum monitoribus acriter succenseret, à fratre inter iurgium occisus est. Et ita duo fortissimi Reges Suetiæ, pater & filius, à duabus Danicis mulieribus infeliciter perditi, documentum posteris reliquerunt, vt in simili rerum euentu maiorem prudentiam adhibere contendant. Iohan. Magnus lib. 8. cap. 3.

ELISABELLA Britannorum Regina, in Galliam *ad Carolum fratrem, cognomento Pulchrum, visendum profecta, posteaquam Eduardum III. peperit, ortis inter virum ac fratrem discordijs, in Britanniam à viro reuocata, cum sciret ei dedecora sua non ignota esse, à fratre Britannisq́; seditiosis adiuta, partim vi, partim dolo virum Eduardum II. adorta cepit, atq; in carcere iussit occidi. Verum post aliquot annos deprehensa cum Rogerio adultero, à filio in vincula coniecta est. Fulgosus libro nono capite vndecimo.*

SVB Clemente VII. Pontifice, Neapolitanorum *Rex Robertus sine stirpe virili moriens, Iohannam filiam Andreæ, nepotis sui, Caroli Regis Vngariæ filio vxorem dedit. Verum Iohanna hominem socordem perosa, eum per insidias interemitt, alteriq́; fratrueli nupsit, Ludouico olim Tarentini principis filio, quem Roberti fratrem fuisse constat.*

constat. Ludouicus Rex Vngariæ, primi mariti frater, tantum scelus ulturus, cum paratißimo exercitu in Italiam venit, & Sulmone post longam oppugnationem potitus, regnum facilè occupauit, abeuntibus in prouinciam Narbonensem, ob timorem Iohanna & adultero Ludouico, relicto ad regni custodiam Duce Dyrachino, Roberti Regis nepote: quem Carolus prælio superatum & captum vltimo supplicio affecit. Platina, & Ritius libro 3. Regum Neapolitanorum.

GALEOTVS Foroliuij princeps, Iohannis Bentiuoli *filiam duxit in vxorem, à quo dum sperneretur puella, simulata ægritudine, sicarios subornauit medicos, qui eum adorti in cubiculo confoderunt. Volaterranus.*

LVCARDVS, Præmisli Ducis maioris Poloniæ *vxor, à pedissequis suis iugulata est, anno Christi 1283. Nec expers huius culpæ Præmissus, quod ne quæstionem quidem de scelere habuisset, nec pœnas exegisset, habitus, & vulgari certamine notatus est. Causa huius parricidij Præmisso ea fuisse fertur, quod nullos ex ea susciperet liberos. Sed non inultum id scelus tulit Præmissus: quamuis enim alteram duxisset vxorem non multò posterius, Rixam Suetiæ Regis filiam, tamen ne ex ea quidem mares liberos reliquit, vnicam filiam Rixam. Ad regnum Poloniæ euectus, insidijs Marchionum Brandeburgensium miserè confossus, septimo regni mense. Cromerus libro 10. & 11.*

FRIDERICVS Celeiæ Comes ob amorem *concubinæ Veronicæ, quam pater eius in profluentem demergi curauerat, vxorem legitimam ex Croatiæ Comitibus natam, miserè interfecit: atq; deinde inter scorta vitam turpißimam agens, ignominiosè vitam morte commutauit. Aeneas Syluius in Europa cap. 21. & lib. 1. Commentariorum in res gestas Alphonsi regis.*

VOPISCVS, Victor, & Eutropius, Aurelianum Imp. in Thracia interijsse memorant, Mnesthei notarij sui fraude, qui ad quosdam militares amicos eius nomina eorum annotata pertulit, falsò manum illius imitatus, perinde atq; Aurelianus eos interficere constituisset, occisus est. Sed & Mnestheus, in stipitem ligatus, bestijs obiectus. Cuspinianus.

FROTHO Danorum Rex, proprium fratrem à quodam familiarium occultè interfici iussit. Et ne scelus à conscio proderetur, eundem insidiarum ministrum tacitè trucidandum curat. Sed à filijs occisi fratris canum specie nutritis, tandem incendio consumptus, pœnas parricidij luit. Saxo lib. 7.

RICARDVS II. Anglorum rex, Thomam fratrem Ducem Glocestriæ, ignauiam sibi exprobrantem, in venatione seductum ex insidijs interfici curauit. Iohannis Ducis Lancastri fratris filium Henricum, paterna hæreditate spoliatum, in exilium egit. Sed tandem factione procerum Henricus Ricardum cepit, & regno vltrò deposito in carcere mori coëgit. Polydorus libro 20.

MAHOMETVS II. Amurathis II. filius, dominandi libidine & ambitione inflatus, quo die pater è viuis excessit, fratrem nomine Thursinem, sibi à patre multis lachrymis commendatum, mensem agentem infantiæ decimum octauum, continuò iussit occidi, ne pater solus sepeliretur. Vix enim pater animam efflârat, cùm cursim relicta omni celebranda funeris cura, petit ædes, vbi à nutrice infans alebatur. Inuentum in cunis, & sibi risu blandientem, violenta manu abripit, ad proximum parietem inflicturus. Quam facinoris atrocitatem conspicatus Moses, immanissimo tyranno & charissimus & æqualis, orat ne fraterno san-

guine manus inquinet. Exorat ea lege, vt ipse continuò infantem interimat. Paret Moses, moxq́; infantem & præsente & immotis oculis aspiciente Mahometo, multa vi aqua obrutum suffocat. Infelix mater Turca genere, nouerca Mahometi, cuius mater Albana serua fuerat, accurrit illicò, humi iacentem manibus infantem tollit, complet vlulatibus omnia. Et quoniam vitæ mortem in tanto luctu præferebat, tyrannum diris prosecuta imprecationibus exanimis concidit. Iubet mulierem attolli tyrannus, & fucatis verbis dolorem lenire cupiens, necessitatem ferre æquo animo persuasit, cum factum infectum fieri non posset: Veterem Othomannorum principum consuetudinem esse, vt cæteris interfectis vnus semper relinquatur in regno. Nam vt neq; plures sunt Dij, ita neq; plures debere admitti Reges, itaq; bono animo eam esse hortatur, ei se pro filio semper futurum. Et vt insanientem mitigaret fœminam, adiecit, si quid vellet, audacter peteret, illud enim se tanquam matri daturum. Mulier ira ardens ad vindicandam innocui sanguinis iniuriam, facinoris ministrum impium Mosen expetiuit. Quem tyrannus vinctis post tergum manibus, ac pedibus cathenatum dedendum imperat. Efferata mulier cultello, pendente è Zona, pectus miseri hominis, frustra opem Domini coràm implorantis, transfigit: latus inde dextrum aperit, iecur abscissum eruit, datq́; canibus discerpendum. Hac demum vindicta mulier satiata conquieuit. Cuspinianus.

MAMERTES Corinthius, filios fratris sui Sisaphonis *regnandi libidine interfecit, maximo suo malo. Nam vbi Sisapho factũ resciuit, eũ membratim discerpsit. Oui. in Ibin.*

MINDACVS Lithuanorum Dux, à Stroinato fratris *filio per insidias dormiens cum filijs interfectus est, & Stroi-*

natus

natus dominatu potitus, anno Christi 1264. Capta Orsimonia arce, mares puberes trucidauit, impuberes cremauit; fœminas cum cætera præda captiuas abduxit. Sed citò scelerum suorum pœnas dedit. Nam à Voisalco Mindaci interfecti filio superstite, qui in monasticæ vitæ institutum apud Russos professus erat, & à Theophilo eiusdem Mindaci consobrino venationi vacans captus, excruciatus, atque necatus est. Cromerus libro 9.

Ex M. Antonij liberis Antyllum Fuluia natum *prodidit Pædagogus Theodorus Octauio Cæsari. Obtruncantibus eum militibus, detraxit ei Pædagogus, quam collo gerebat preciosissimam gemmam, eamque insuit Zonæ suæ. Id inficiatus & compertus cum esset, in crucem est actus. Cleopatræ liberi cum nutricijs custoditi & liberaliter habiti. Cæsarionem, qui ex Cæsare Dictatore & Cleopatra prognatus ferebatur, miserat mater cum magna pecuniæ summa per Aethiopiam in Indiam. Hunc alter similis Theodoro pædagogus Rhodon induxit ad regrediendũ, tanquam vocaret eum Cæsar ad regnum. Deliberante de eo Cæsare, perhibent Arium dixisse : Cæsaris in multis nomen non expedit esse.*
Eum sub Cleopatræ mortem extinxit. Sicque Deus peccata seminis in semine puniuit. Plutarchus in Antonio.

MACAREVS Mitylenensis, sacrificulus Bacchi, vul*tu quidẽ singularem præ se ferebat mansuetudinem & æquitatem, cæterùm omnium hominum erat impijssimus. Accidit autem quodam tempore, vt hospes ad eum veniret, & in eius fidem aliquantum auri deponeret. Macareus in recessu templi eruta terra, aurum defodit. Interiecto deinde tempore reuersus hospes, aurum reposcebat. Quem cum ille tanquam restituturus depositum in templum introduxisset, morte affecit: atque effosso auro, hospitem in eius locum*

 impo-

imposuit: ac quemadmodum homines, sic etiam Deum clam esse arbitrabatur. Verùm euentus longè secus declarauit. Quare paucis diebus exactis, triennalis diei solennitas aderat. Tum, cùm ille magna celebritate diuinam rem obiret, duo filij eius domi relicti, patris immolationem imitabantur. Accedentesq́; ad aram paternam, ardentibus adhuc holocaustis, iunior collum præbebat, adultior verò gladio æruginoso inuento, fratrem ad similitudinem victimæ mactauit. Familia conspecto facinore, vociferata est. Mater audito clamore exilijt, vidensq́; trucidatum alterum, alterum etiam eodem mucrone interfecit. Allatum est cædis domesticæ nuncium ad Macareum, qui relicto sacrificio, quàm potuit furentißimo impetu in ædes insilijt, atq́; tæda, quam habebat, vxorem interemit. Deinde re comperta Macareus comprehensus, & tormentis examinatus, confessus est, quæ in templo perpetrârat: in ipsis verò quæstionibus vitam amisit. Et sic Macareus vltione diuina, suo ipsius, vxoris & liberorum capitibus dignam pœnam luit. Aelianus lib. 13. de varia historia.

HVLDERICVS VVagner, caupo Villissouiensis *in Heluetia, Egidium Spilmannum ciuem Bernensem locupletem hospitio exceperat. Ei loculos suos Egidius bona fide seruandos committit. Caupo perfidè apertis loculis sigillum Egidij reperit, eoq́; Chirographum Egidij nomine scriptum, magnam pecuniæ vim sibi à Caupone commissam, in trium testium præsentia fatentis, obsignat. Aliquot annis pòst cum testes duos (nam tertius iam obierat) pecunia corrupisset, Egidium in ius vocat, depositum reddendi causa, literas profert, testes producit. Egidius cogentibus amicis cum eo pacifcitur, & moram solutionis vix impetrat. Intera Caupo nouum facinus priori additurus, Lucernæ Archigram-*

ehigrammatei ancillam, illo absente, occidere aggressus, vt domum inde compilaret, ictu aberrans, ancillæ clamore proditus & captus, postquam perfidiam suam erga Egidium detexit, rotæ supplicio affectus est. Testes falsi Bernæ bullienti oleo immersi perierunt. Stumpfius libro septimo Heluetiæ.

Io. IACOBVS Schutz, à Troubach, Argentinæ *hospiti cuidam cathenam Orichalceam magni ponderis seruandam dedit, pro aurea. Mox ab hospite mutuam pecuniam petijt. Hospes non grauatim dedit: pignore deposito fretus. Schutzius cum locum, in quo cathenam hospes deposuerat, obseruasset, clam eam abstulit, & in cloacam proiecit. Depositum inde repetijt. Hospes nihil de fide illius suspicatus, à fure quodam sublatam credebat. Commodum interea falsi crimine conuictus Schutzius, cum iam ceruicem carnifici secandam præberet, fraudem contra hospitem suum commissam fassus est, & corpore suo debitas pœnas luit. Rhenanus lib. 3. Rerum German.*

PHILIPPVS Macedonum Rex iusiurandum *semper contempsit, fœderumq́; religionem nunquam sanctam habuit. Ea propter tandem, cum vix 46. annum excessisset, interfectus est. Tota deniq; domus illius paruo pòst tempore extincta est. Aridæum enim Olympias è medio sustulit, item & filium, quem Philippus ex Cleopatra Attali nepote susceperat, in ænea pelui circumdatis ignibus excruciauit. Cassandri filij, quos ex Thessalonica Philippi filia susceperat, non multò pòst interierunt. Alexander filius, post res maximas in medio victoriarum cursu miserrimè perijt. Pausanias in Arcadicis.*

ANNO Salutis 796. Caroli Magni authoritate *inducti Romani iurauerant, se in posterum in pontificis po-*

testate & obsequio futuros. Tamen post biennium conati sunt se in libertatem asserere, & Reipublicæ ac Senatui ascribere ea quæ Cæsaris nimirum Constantinopolitani essent. Id molestè tulit Leo tertius Pontifex, nam ipse sperabat se potiturum illis bonis. Comprehensus à Romanis oculo altero priuatus est. Mox ad Carolum Magnum in Galliam confugit: eum ille restituit & vno die 300. patricios securi percußit. Mutius libro 9. & Eutropius.

ELFREDVS, qui conspirationis contra Elstanum *Angliæ Regem princeps habebatur, dum Romæ ad altare S. Petri, præsente Iohanne Pontifice, sui purgandi gratia iurare cogeretur, corruit, & post triduum mortuus est. Vincentius libro 24. cap. 63.*

IN Ecclesia Aruernensi quidam impius homo *mendaciter iurauerat. Subitò autem linguam sibi ligatam sentiens, mugire incipit. Ac de admisso scelere dolens ac gemens Dei opem supplex implorat. Sentit itaq; sibi relaxari vinculum linguæ, & expeditè rursus, vt antè, loquitur, publicè confitens suum peccatũ, quo sibi hanc pœnam sciens & volens accersiuerat. Gregorius Turonens. de confessoribus cap. 29.*

LVDOVICVS Bosonis filius, prouinciæ ac Bur*gundiæ regis, per Taurinos ingressus Italiam, regnum inuasit. Verùm captus à Berengario iuniore, ea conditione dimittitur, ne in Italiam reuertatur. Paulò pòst autem oblitus iuramenti, rediens cum exercitu, Veronam capit. Sed captus à Berengario, oculis & testibus priuatur. Bonfinius.*

GODVINVS Cantianorum Comes, Anglis mortuo *Canuto III. Alfredum Etheldredi Regis exulis F. reuocantibus, ipsius virtutes formidans, calumnijs circumuenit,*

per

per insidias in itinere necauit: auctorq́ue fuit Anglis, Eduardum III. Alfredi fratrem ad regnum vocandi. Eduardus Goduino scelus in fratrem commissum condonauit, eius filiam Editham vxorem accepit, & perduellionis reum in integrum restituit. Verùm Goduinus nullo consilio potuit meritum supplicium effugere. Accidit, vt Haraldus filius, qui regium poculum miscebat, Edouardo prandenti daret bibere, is fortè vno pede offenso penè lapsus, auxilio alterius pedis sese à casu recepit, stetitq́ue, vino nequaquam effuso. Tum pater, qui cum Rege discumbebat: Nunc, inquit, frater fratrem iuuit. Ad hanc vocem etsi per iocum emissam, Edouardus turbatus animo (nam in mentem ei venit subitò interitus Alfredi fratris) in Goduinum conuersus, ait: Sic mihi meus frater auxilio esset, si per te licuisset. Tum homo facinorosus iram Regis veritus, cœpit sese excusare, diuinumq́ue numen ad innocentiam declarandam, iusiurandum adyciendo, perinde quasi cum ignaro ageret, appellare, dicens: Si vnquam, Rex, quicquam in necem fratris tui aut in te machinatus sum, precor, vt Dei nutu istud panis frustum me illicò strangulet. Quæ vbi dixerat, sumpto pane, subitò præclusis faucibus, suffocatus est: ac ita parricidium morte compensauit. Polydorus libro 8.

INFAMIS annus Romæ fuit M. Claudio Marcello, *& T. Valerio Flacco consulibus, quum multi ex primoribus patrum simili morbo & euentu mortui essent, ancilla quædam ad Q. Fabium Maximum Aedilem Curulem venit, causamq́ue eius cladis prodituram se professa est, si fides sibi daretur, id indicium apud dominos haud futurum sibi noxæ. Fabius re ad consules delata, à consulibus ad Senatum, fide consensu ordinis, indici data, patefactum est muliebri fraude eam cladem accidere,*

multas esse, quæ in virorum perniciem coquerent venena, ac si secum eant, fore, vt multæ veneficio occupatæ deprehenderentur. Missi qui ancillam sequerentur. Hi quasdam medicamenta coquentes, apud alias recondita inueniunt. Quibus in forum delatis, vigintiq́ numero matronis, apud quas id Pharmaci genus fuerat deprehensum, publicè accersitis, & in his Cornelia & Seruilia, patriciæ gentis, quæ cum salubria esse contenderent, à confutante iudice bibere iussæ, spacio ad colloquendum sumpto, inter se locutæ, id haurire statuunt: medicamento in conspectu populi epoto, ad vnam interière. Inde ad centum septuaginta eiusdem sceleris conuictæ, capitali sunt supplicio affectæ. Valerius Max. libro 2. cap. 1.

ROMÆ Diaconus quidam venenum inter sacra *calici miscuerat: qui cum Gothfrido Lotharingorum Duci porrigere vellet, manum admouere non potuit. Astantes stupefacti, causam diuinitus per preces poscunt. Mox arreptum Diabolus Diaconum grauiter exagitauit: sed liberatus est eorundem precibus, anno 1054. Schaffnaburgensis.*

QVIDAM prouinciæ Narbonensis accolæ, le*pra correpti, regnante Philippo Gallorum rege, eius filio, qui Pulcher cognominatus est, deprehensi sunt, sanie è corporibus suis manante, aliaq́ tabe clam puteos inficere, vt ad vniuersum populum, qua ipsi laborabant, lepra transiret. Quorum scelus cum aliorum valetudini infestum esset, omnes viui in domibus suis combusti fuerunt. Ad id scelus Iudæi eos impulerant, vt alienæ valetudini inuidendo, similes sibi facere alios bene valentes quærerent. Fulgosus libro 9. cap. 11.*

Casali

CASALI in vrbe Salassiæ regionis Italiæ, circiter annum Domini M. D. XXXVI. coniurârunt viri ac fœminæ, quadraginta ferè numero, inter quos & carnifex erat: vt cum pestis antea sæuijsset, & iam cœpisset mitescere, vnguentum conficerent, quo illitis portarum vectibus, inficerentur qui vectes tractarent, apparârant & puluerem, quem vestibus clam inspergentes noxam inferebant. Latuit aliquamdiu, sublatiq; multi, à coniunctis sanguine vel affinitate: data etiam veneficis, vt ferebatur, pecunia hæreditatis ergò. Sed cum cuiusdam Neci nomine fratrem atq; vnicum filium enecassent, vixq; alij quàm domini ipsi domuum, aut filij perirent: simulq; animaduertissent Androgynam se in domos insinuare, atq; eos maximè interire, quorum ædes ingrederetur: deprehensa coniuratione, omnes exquisitissimis tormentis interempti sunt. Fassi etiam, quod in celebri cuiusdam Diui pompa subsellijs perunctis, vniuersos trucidare ciues decreuissent, paratasq; in hunc vsum fuisse supra viginti ollas. Vierus, lib. 2. cap. 50. de præstigijs dæmonum.

PATAVINI pestilentia circa annum salutis 1555. agitabantur, miti quidem illa, sed quæ per interualla ita increbresceret, vt contagij ergò à vicinis vrbibus ab ipsis etiam Venetis proscripti, omneq; commercium illis interdictum fuerit. Gliscente morbo σποραδικῶς potius quàm populariter, deprehensum tandem (Iudæi obseruatione, qui vespillonem per vicum Hebræorum incedentem, pueris fili globum obiecisse viderat) Chirurgum Hispanum, monachum Antonianum Patauinum, & vespillonem fœdus inter se iniuisse, ijs legibus, vti vespillo contagium in vrbe disseminando, pestilentiam aleret. Monachus inter confitendum ab ægris, an pecunias secum in nosocomium extulissent,

garet: Chirurgus numatos & pecuniosos vel pharmaco, vel vstionibus sub medendi prætextu tolleret. In vincula coniectis crimenq; fassis, ceruices laqueo fractæ. Patauini à pestilentia liberati sunt. Huius tragœdiæ meminit Vierus, libro 2. capite 50. de præstigiis dæmonum, ex Bassiani Landi medici authoritate, apud quem id temporis T. Z. amanuensis fungens munere præsens huic interfuit calamitati.

PAVLÒ ante Sigismundi Bohemiæ Regis mortem *Iohannes quidam Robacius, vir optimo genere, at pessimo ingenio, non longè à Cuthnis montibus in edito colle castellum erexit, quem montem Sion appellauit, auguratus ex eo quandoq; loco promanaturam esse veritatem, quæ Bohemicam gentem in libertatem vindicaret. Cum cæteri proceres, audito Sigismundi Imperatoris aduentu, Iglauiam cum vniuersa nobilitate proficiscerentur, vt eum pro dignitate exciperent, hic domi remanens prædas exercebat. Infestat finitimos, & Regem demum lacessere non veretur. Boues ac vina, quæ ex Vngaria ad Imperatorem aduehebantur, intercipit, formidolosa reddit itinera. Ad hunc latronem expugnandum Henricus Prascon à Sigismundo missus, cum menses quatuor castellum natura & arte munitissimum oppugnasset, capto tandem Robacio, cæterisq; latronibus, expugnauit. Cum his etiam Hussitarum Antistes captus est, qui sacra apud eos operabatur. Pragam perducti, omnes laqueo enecti sunt, duo & nonaginta numero. Bonfinius libro 3. Decad. 3.*

ANNO 1314. Engerranus Marinius Normannus, *Longæuillæ Comes, magna cũ authoritate fisci summus præfectus, mortuo Philippo Pulchro rege, opera & factione Caroli Valesij capitalis inimici, quia mentiri eum per iurgium ille dixisset, I. Annali accusatore, peculatus reus,*

furca

furca suspenditur pridie Cal. Maij. Pauiotus Magus, cuius arte Engerrani uxor, ut ferebatur, in Regis perniciem uti statuerat, strangulatur. Simul quædam clauda mulier comburitur. Engerrani statua è summis palatij gradibus deiecta. Ex eo Valesius semper valetudinarius, numinis, vt aiebat, vindicta, ipsemet mortuum vehementer desiderauit.

APVD Saxones anno M. D. mercator peregrè *profectus, reliquit domi vxorem cum filia & ancilla. Carnifex eius loci viri absentia animaduersa, clam per cellam vinariam ingressus, noctu ancillam, quæ vinum pro cœna allatura eò descenderat, trucidauit. Illius moram ægrè ferens filia, ipsa quoque descendit, & à carnifice obtruncatur. Tandem & mater. Trina cadauera in cella vinaria sepelit, totamque domum compilat. Mercatore reuerso, cum de latrone non constaret, carnifex astutissimus, magico vaticinandi genere iam antè celebris, ipsum mercatorem, propter intestinas cum vxore rixas facinoris tam atrocis autorem asserit. Mercator in vincula, tormentorum crudelitate victus, falsò latrocinium se commisisse fatetur, rotaque plectitur innocens. Non multò pòst carnifex argentea pocula mercatoris symbolo notata vendit, & seipsum incautus prodit. Comprehensus, ignitis forcipibus à toto populo in foro dilaniatur. Iohannes Paulus in Spudopædia.*

IOHANNA Regina Neapolitana, Ladislai de*functi Regis soror, vt impudicitiæ probra accepta coniugis imagine tegeret, Iacobo Martiæ Comiti, viro è Narbonensi Gallia regijs natalibus orto nupsit: ipsique Neapolim aduentanti Magnum Sfortiam cum alijs honoris caussa obuiam misit. Verùm Iacobus honorificè exceptus,*

Sfortiam quasi Reginæ consuetudine vteretur delatum, in carcerem conijcit: cuius milites & cognati patrocinio eius suscepto, effecerunt, vt liberaliori custodia haberetur, nec amplius regnum à Sfortianorum incursionibus infestaretur. Pacato tamen regno, Iacobus nihilo secius Reginam in custodia continebat, abutebaturq; imperio adeò insolenter, vt solis Gallis cuncta deferret: Italicos verò homines vsq; ad fastidium omninò reijceret atq; contemneret, & deniq; illustrium amicorum obliuisceretur, qui cum summo scelere atq; periculo ei regium nomen asseruissent. Hac indignitate permotus Iulius Cæsar Capuanus, cuius perfidia præcipuè Sfortia in carcerem erat coniectus, ingenio superbo atq; præcipiti, vlciscendæ cum publicæ tum priuatæ contumeliæ consilium desumpsit. Reginam adit, ipsius iniuriam & communes omnium miserias deflet, quibus se præbuisse initium fatetur: sed accepta fide seriò promittit, tam forti animo, quàm antea incauto, his rebus omnibus finem allaturum, modò ipsa dignum regio sanguine, & præsenti fortunæ consilium sincera fide ad animum transmittat. Confossurum enim sua manu pseudoregem pollicetur, vt Reginam simul & patriam à Barbarorum tyrannide liberet. Tum verò Regina gratias agens excußis lachrymis, & præbitâ dextra fidem dedit, se immortali beneficio obstrictam fore, si id quod egregio voto conciperet, & à Dijs immortalibus, & à fortuna probaretur. Cæterum in id facinus animum pararet, & ad se triduo reuerteretur, vt cuncta aptius, vti opus foret, constitui atq; instrui possent. At sæua mulier, nec oblita recentis iniuriæ, quòd authore Iulio Cæsare, & necatum Pandulphum Alopum amatorem, cuius memoriam occultis fletibus aßiduè percolebat, & Sfortiam tutorem regni, defensoremq; Regiæ dignitatis, tormentis

excru-

excruciatum, ipsamq́ regio fastigio deiectam, in custodia Barbaris traditam, obliuisci non poterat, animum ad vindictam atq́ perfidiam reuoluit, detulitq́ cuncta ordine ad maritum, vt incorrupti amoris, & propensissimæ voluntatis fidem animo eius insereret, & geminata demum proditione vtrumq́ disparibus insidijs aggrederetur. Iacobus ea nouitate periculi exterritus, nec planè mulieris indicio fidem præbens, vbi compositis insidijs in Reginæ cubiculo Iulium Cæsarem eadem de patranda cæde promittentem conopeo tectus audijt, prosilientibus cunctis armatis, extemplò Cæsar est comprehensus, & in foro, cum securi percuteretur, demum dignas instabili & turbido ingenio pœnas persoluit. Iouius in vita Magni Sfortiæ.

LVCILLA Commodi Imperatoris soror, Vero *Principi nupsit, qui fuerat cum patre Imperator. Post illius obitum Pompeiani connubio cessit, irataq́ erat fratri, quòd ille Imperatoria insignia, quæ fuerant sibi post prioris mariti interitum seruata, in Crispinam coniugem suam transtulisset. Quadratum adolescentem nobilem, cuius stupri consuetudine tenebatur, multis illecebris eò perpulit, vt cum plerisq́ senatorij ordinis in Commodum coniurârit. At destinatæ cædis conuicta interficitur. Est & Quadratus, & qui cum eo coniurârant, capitali supplicio affectus. Sabellic. lib. 5. En. 7.*

MEDICEOS fratres adoriri statuerant coniu*rati inter sacra in D. Reparatæ templo. Id verò temporis momentum pro tessera ad stringendas sicas cunctis est datum, quo medijs in sacris Eucharistia populo ostenderetur. Franciscus Pactius, Bernardusq́ Bandinus Iulianum Medicem, quem familiarissimè & comiter fabulando medium tenebant, repentè confodiunt. Alij eodem temporis puncto*

Laurentium adorti, eum supra iugulum in ceruice conuulnerant. Sed ille amicis haud impunè protegentibus, in proximum sacrarium ab æditius receptus, coniuratis subinde ianua prohibitis, seruatur. In tanta trepidatione ac fuga omnis ætatis ac sexus hominum longè tumultuosissima, populus incredibili studio ac pietate erga Mediceos arma capit, ac eorum nomen ingeminat: optimi quiq; eo immani execrabiliq; scelere permoti, coniuratos persequuntur, alios trucidant, alios viuos ad supplicium in curiam perducunt. Iouius in Leone X.

FESTO die Pentecostes Leo V. Imp. cum sacris *interesset, cancellis adhærens, quidam ex ambone (vt fit in multitudine ob pressuram) in caput Imperatoris baculum impegit: cui nisi candelabrum obstitisset, actum erat de vita Regis: sanguinem enim eructauit, & mente alienatus semimortuus iacuit. Autor facti, amputatis manibus ac pedibus, in ignem est proiectus. Monachus autem Marcus miraculum adaugens: Ab hoc, inquit, ô Rex, anno, non amplius decem regnabis, quod & subsecutum est. Cuspinianus & Cedrenus.*

CAROLVS Vngarorum Rex, circa annum 1328. *ferè cum vxore & liberis sublatus est. Felicius enim quispiam de Zachorum familia, stricto gladio in cœnaculo ipsum adortus, sed frustratus ictum, dextram modo eius leui ictu perstrinxit: Reginæ quatuor digitos dextræ manus amputauit: filios verò eius, pædagogi accurrentes obiectu corporum suorum protexêre. Mox parricida à Iohanne Patocio nobili iuuene prostratus, concursu satellitum regiorum membratim dissectus est. De causa sceleris variant authores. Nonnulli affectâsse eum tyrannidem volunt: alij stuprum Claræ sorori suæ à Cazimiro Reginæ fratre, ipsa conscia*

ſcia & conciliatrice, illatum, vlciſci eum voluiſſe memorant. Cromerus libro 11.

EVTROPIVS Eunuchus, procurator Theodoſij Imperatoris, *vt ait Eunapius, Ruffino ſucceßit, Imperatoris etiam Arcadij cubicularius, nullum facinus prætermiſit, tum Magiſtratus publicè vendendo, tum milites calumniando, tum proceres relegando, tum omnibus contumelijs ſenatum afficiendo. Cum aliquando etiam eos, qui in templa confugiſſent, comprehendere vellet, legem promulgauit, qua concederet illos vel ab aris abſtrahi. Ac ea lex vix promulgata erat, cum vltio crudelitatis eſt ſecuta. Nec enim multò pòst Imperatore offenſo, in templum confugit, ſub altari iacens, Iohanne Chryſoſtomo Epiſcopo, indeq; abſtractus, noctu capite plectitur. Sic Eutropius pœnis peccati illius datis, etiam è conſulum catalogo eſt deletus, ſolo collega Theodoro inſcripto. Suidas.*

APVD Chaones adoleſcens quidam primæ nobilitatis *Anthippem amauit, quam omni arte circumueniens perſuadere conatus eſt ſibi commiſceri. Neq; verò ipſa exors erat penitus erga adoleſcentem amoris. Quare clam parentibus concupiſcentias ſuas ſimul expleuerunt. Feſtiuitatem autem aliquando publicam Chaonibus agentibus, omnibusq; conuiuantibus digreßi, in ſyluam quandam peruenerunt. Et tum forte fortunà Regis filius Cichyrus pardalim fugientem in eam vſq; ſyluam perſequens, iaculum in eam immittit, atque ab ea quidem aberrat, impetit autem puellam: Opinatus verò ſe feram eſſe iaculatum, equum propius adigit, & cum videret adoleſcentem in vulnere puellæ manus habentem, amens factus eſt, ac vertigine affectus, ab equo in præruptum ac petroſum locum delapſus eſt, vbi interijt. Parthen. de amat. cap. 32.*

Andreas

ANDREAS Contarenus ob aduersam valetudinem parum mente constans, Hadriatici sinus præfecturam petebat. Accidit vt is post repulsam in comitijs habitam, in adolescentes quosdam inciderit, qui omnem repulsæ culpam per iocum in Franciscum Foscarum Venetorum Principem reijcientes, affirmare auderent, nullam homini, Foscaro incolumi, reliquam fore obtinendæ dignitatis spem. Is ira & dolore in apertum furorem euectus, Ducem in auream ædem sacrorum hora descendentem, per secretioris colloquij speciem medijs scalarum gradibus aggreditur. Cedentibus qui proximè steterant, vt ad aurem commodius admitteretur, exerit repentè ille cupresseum pugionem, quem sub pallio occultum habebat: iugulassetq; continuò senem, nisi Senensium Legatorum alter, qui proximo loco steterat, arrepto illius brachio, in faciem circa nasum vulnus detorsisset. Continuò Patrum apparitorumq; turba cruentatum Ducem reumq; vno tempore circumsistunt: hunc protegunt, illum fugam molientem, ad supplicium retrahunt. Retractus eodem loco dextera truncatur, cum qua ad collum suspensa, ex superiore parte curiæ, vel vt alij dicunt, ad geminas columnas laqueo necatus est. Sabellicus lib. 1. Decad. 3.

IOHANNES Maria Vicecomes insanæ feritatis morbum concepit vsq; adeò horrendum, vt iracundia in rabiem versa, damnatos aut sibi inuisos voracissimis canibus laniandos obijceret, eoq; atroci spectaculo magnopere lætaretur, haberetq; in delicijs Squarciam Giramum alioqui honesta ortum familia, inhumanæ sæuitiæ ministrum, qui ad eam carnificinam ingentes molossos humana carne alendos suscepisset. Dijs itaq; atq; hominibus tale monstrum abominantibus, postridie Idus Maias, sacrorum causa in

templum

templum Diui Gothardi descendentem Andreas & Paulus Baucij fratres, reliqua coniuratorum manu incumbente, duobus vulneribus confecerunt, discissa vsque ad oculos fronte, & dextro crure ad suram detruncato. Exanimem & aliquamdiu ab omnibus desertum pauci ex infimo familiæ ordine in templum maximum detulêre. Ibi cum fœdis vulneribus, & multo cruore deformatus non sine ludibrio spectaretur, infimæ sortis meretrix tempestiua pietatis officium vsurpans, totum cadauer multa recenti rosa contexat. Inde postea à Philippo successore opulentam dotem vt honestè nuberet ingenuæ charitatis nomine habere promeruit. Eodem die Giramus scelestus carnifex, concursu populi latebra extractus, cum viuus vnco traheretur & pro ianua damnatæ & mox ad solum æquatæ domus, horribili meritoque supplicio affectus est. Iouius in eius vita.

ROMANVS Argyropolus, de suæ coniugis cum Michaële Cappadoce consuetudine turpi, vulgi fama edoctus, sacramento adulterium inficiantem, se purgare iubet. Cumque ille peierasset, statim atrox morbus eum inuasisse fertur. Nam certis interuallis mente abalienabatur, oculos distorquebat, tremore corripiebatur, & in terram procidebat, deinde ad se redibat. Zonaras tomo tertio.

PYRAMVS & Thysbe iuuenum pulcherrimus alter, alter quas Oriens tulerat prælata puellis, incredibili amore flagrantes, cum impediente parentum custodia suis votis satisfacere nequirent, pepigerunt, vt certò die in remotum locum sese reciperent. Quò cùm prior venisset Thysbe, metu leænæ ibidem repertæ profugit in latebras, relicto capitis tegumento. Quod arripiens leæna, venienti pòst Pyramo coniecturam præbuit & argumentum deuoratæ amasiæ, mortemque is sibi propterea consciuit. Thysbe paulo

pòst reuersa, vbi mortuum amantem conspicata est, longioris vitæ pertæsa, eiusdem se gladio confodit. Ouid. in Metamorph.

PAPYRIVS Romanus, cum sororem Canusiam *grauidam fecisset, & illa gladio à patre missò sibi corpus confodisset, seipsum quoq; mortuæ sorori dedit comitem. Chrysippus lib. 1. Rerum Italicarum apud Plutarchum.*

OPPIA & Floronia Vestales, stupri compertæ, *sibi mortem intulêre, grauioris supplicij metu, ne viuæ sub terra defoderentur. Volaterra. libro 20. Anthrop.*

Corn. GALLVS poëta elegiographus, Virgilij ami*cus, & coætaneus, præfectus Aegypti designatus, Thebarum ciuitatem spoliasse dicitur: propterea cum repetundarum postularetur, furtiq; & populatæ accusaretur prouinciæ, nobilium indignationem formidans, sibi mortem intulit, anno suæ ætatis XLIII. Marcellinus lib. 17. Propertius:*

Et modô formosa qui multa Lycoride Gallus,
Mortuus inferna vulnera lauit aqua.

Alij scribunt hoc ei euenisse ob linguam nimis effrenem: quod & Ouidius videtur probasse, vbi ait:

Non fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo,
Sed linguam nimio non tenuisse mero.

VALANDER Gothorum rex bello contra Re*thonem Pyratam suscepto, dormiens perijt. Creditum à plærisq; fuit, ipsum à Dæmonio, cui se ob assequendam victoriam deuouerat, suffocatum. Iohan. Magnus lib. 7. cap. 19.*

REGINHERVS, qui se cum alijs à Henrico *IIII. Cæsare incitatum precibus, præmijs & minis dixerat, vt Rudolphum Sueuiæ, & Bertholdum Carinthiæ Duces obtruncaret, ante dictum diem quo Vlricus de Cosheim commentum monomachia amoliri proposuerat,*

à Dia-

à Diabolo abreptus, horrenda morte perijt, anno 1074. Schaffnaburgensis.

VLTIMO anno imperij sui, Heraclius, cum contra *Agarenos ex portis Caspijs eduxisset copias, de gente sæuissima, quam Alexander Magnus ob immanitatem sui super mare Caspium inclusisse dicitur, Angelus Domini quinquaginta duo millia de exercitu eius concidit: quæ res tantum mærorem ei conciliauit, vt eo extingueretur. Otto Phrysingensis, lib. 5. cap. 9. & Gottfridus Viterbiensis part. 16. Chro.*

SVB annum Christi 1152. fama celebris est, *Gulielmum Cauillonensem Comitem, Ecclesijs infestum, & armis inerme sacerdotum pecus oppugnantem, dum frequenti procerum conuiuio epularetur, ab ignoto quodam, in equo pro foribus sedente, euocatum exisse, coactumq́; euestigiò conscendere, è conspectu procul raptũ, nec deinceps vsquam comparuisse. Et Niuernensem Comitem, immunitatis Ecclesiarum hostem, obtorquente sponte se in terga vultu, obiuisse. Paul. Aemilius lib. 5. de gestis Francorum.*

ANDRONICVS iunior Michaëlis frater Imperator, *noctu ad mulierem non ignobili fama ortam, meretricem, commessatum ibat. Eam porrò quidam adolescens formosissimus, & alter Adonis, mutuò deperibat. Vnde Imperator Andronicus æmulatione inflammatus, sagittarios & gladiatores circa meretriculæ ædes in insidijs collocat. Quod autem tempore intempesta nocte Manuel Despota fratrem Imperatorem quærens, casu quodam illac præterijt. Quem cum Imperatorij speculatores properantem cernerent, nec per tenebras cognoscerent, mulierculæ amatorem esse rati, crebris telis impetunt: vnde ille ictu læthali accepto, ex equo delabitur: & concursu militum facto agnitus, semianimis in palatium ægrè delatus perijt. Gregoras libro 8.*

LVDOVICVS I. Boiorum Dux, Palatinus Rheni, *anno 1231. 16. Kalend. Octobris, Kelhaimÿ dum post cœnam in ponte deambulat, à Stichio morione, quem per ludum incessebat, cultello lethali vulnere sauciatur, moxq́ in conspectu omnium aulicorum exanimatus corruit. Aliÿ dicunt eum ob illatum stuprum alienæ vxori, à duobus feris pueris, quos maritus violatæ coniugis, auidus vindictæ, solitos pecudes & quicquid digito monstrasset dilaniare, educârit, dilaceratum esse. Auentinus libro 7.*

ANTIOCHVS & Seleucus fratres, Asiæ Syriæq́ *Reges, imperio contendebant. Victus tandem Antiochus à Seleuco fratre, dum trepidus & ferè solus per deuia & ignota loca salutem quærens discurreret, in latrones incidens, ab eisdem occiditur. Seleucus autem Asia perdita, varÿsq́ modis afflictus, ex equo cadens, expirauit. Sic qui eodem ex vtero in lucem exierant, eodem miseriarum globo inuoluti periêre. Guido Bituricensis.*

THORISMVNDVS Vestgothorum Rex, To*losæ tertio anno Regni sui ægrotans, dum sanguinem è vena mittit, à proprio cliente (subtractis antea armis) trucidatur, perfidia fratris Theoderici. Vna tamen manu, quam liberam habebat, scabellum tenens, aliquot ex insidiantibus occidit. Io. Magnus lib. 15. cap. 21.*

EDMVNDVS Anglorum rex, fortè conspicatus an*te se hominem latrocinio insignem, & ob id diu sibi antea inuisum, subitò inuasit, ac in terram prostrauit, quem cum ita iacentem cæderet, ab eo tum immemore futuri periculi, vt præsens euaderet, est cultro confossus, Latro verò euestigiò dilaniatus. Polydorus libro 6.*

THEOPHYLACTVS Romani Lacapeni F. tre*decim annos natus, patriarchatum Constantinopolitanum adeptus,*

adeptus, canibus & equis deditus, plus venationi quàm religioni tribuebat. Et cum multas equas excellentissimas aleret, pulchriorem ex ijs ad insaniam vsq; deamauit, vt cum olim pareret, & ipse sacris intentus id à nuncio audiret, sacris relictis, pullum inspexerit in loco quo alebantur, ac demum ad ceremonias redierit. Sic etiam equitationis rabie perijt. Nam dum velocissimè prope mare curreret in equa, muro illisus sanguinem euomuit, indeq; hydropisin incurrit, ac miserè perijt. Cuspinianus.

MORTVO Ludouico Balbo Francorum Rege, *Ludouicus Carolomannusq; Balbi ex pellice filij, regium nomen inuadunt: præclaraq; initio facinora aduersus Normannos piratas edidêre, & Bossonem eiusq; filium Ludouicum Prouinciæ finibus continere se cogunt. Deinde redeuntes maioribus viribus, Normannos cum viribus arcere non possent, ingentem vim auri illis dederunt, duodecim annorum inducias spondentibus. Nec res diu lætæ fuêre. Carolomannus in equo ludibundus, dum refugientem domum puellam insequitur, impetu equi intra humile ostium illatus, corporis compagem soluit. Ludouicus aprum venabulo premens, intorto aliunde telo transfigitur. Aemilius libro 3.*

ANNO Salutis 1536. vitam finijt Galliæ Regis *filius natu maximus Franciscus, octodecim annorum adolescens. Veneno perijsse fama fuit, & Italus quidam Sebastianus Moncucullanus in suspicionem vocatus, habita quæstione, diuersis equis Lugduni fuit distractus, & Rex datis postea literis ad Germaniæ principes, inter alia grauem de ea quærimoniam habuit, in Antonium Leuam, & Ferrandum Gonzagam, Cæsaris administros, omnem inuidiam facti conferens. Sleidanus lib. 10.*

CRATHIM legimus apud Sybarim pastorem fuisse, *qui cum in libidinem esset procliuior, capellam omnium formosissimam deperire cœpit. Quumq; Veneris incendio acrius titillaretur, eam frequenter inibat, ac vti amicam gratè amplexabatur, non sine multa suauiatione. Quin etiam munuscula ei offerebat, pabulum videlicet lætius amœniusq;: Molles quoq; substernebat accubitus, quibus velut Nympha decumberet, & mollius quiesceret. Quod contemplatus dux gregis Hircus, œstro Zelotypiæ agitatus, dormientem adortus est, eiq; synciput illisit. Volaterranus & Cœlius.*

DIRCE mulier, dolens maritum suum Lycum *Antiopæ amore captum, Antiopam ipsam tauri cornibus alligauit: ad cuius vociferationem protinus accesserunt Zethus & Amphion eiusdem filij, qui ad vlciscendam iniuriam matri factam, tauro indomito Dircem alligauerunt, eaq; morte extinxerunt. Propertius lib. 3.*

VXOR Æmilij adolescentis, Zelotypiæ morbo *affecta, dum suspicaretur maritum alterius puellæ rapi desiderio, in syluas profectum secuta est. Vbi cum ad explorandam rei veritatem, in dumis & vepribus delitesceret, à canibus feram esse opinantibus laniata est. Re cognita, Aemilius seipsum interfecit. Plutarchus apud Sybarim Italiæ oppidum hoc commemorat factum.*

LVCIANVS Samosatensis interijsse fertur *à canibus, cum rabiem suam contra veritatem exercuisset. Nam in peregrini vita perstringit Christianismum & ipso Christo maledicit homo consceleratus. Suidas.*

ANNO 1056. quidam nobilis, dum in luxurioso *conuiuio licentius genio indulgeret, stupenda murium gliri-*

gliriumq́ multitudine circumuentus arroditur. Per mare nauigio vectus, adcò nihil effecit, vt à muribus insectantibus, magno etiam nautarum periculo sit deuoratus. Vincentius lib. 25. cap. 117. Martinus, & Nauclerus.

SACRILEGVM quendam, qui Clementis *templum spoliârat, murium corrosione interijsse, anno 1012. in Saxoniæ scribitur chronico. VVilderolphus quoq́ Argentinensium Episcopus, occulto Dei iudicio à muribus absumptus dicitur, anno 997. Lycosthenes.*

AFRI Calabriam ingressi, Iohanne X. Pontificatum *obtinente, cum iam magnam prouinciæ partem cepissent, oppugnarentq́ Cosentiam, eorum rege in oppugnatione ictu fulminis diuinitus necato, paßim dilabuntur, & ad suos redeunt. Deus enim populi sui calamitatē miseratus à principibus terræ derelicti, tum demum telum suum in hostes Christiani nominis direxit: quod nisi fecisset, de nomine Italico, de Ecclesia actum profectò tum putabatur. Platina. & Fulgos. libro 9. cap. 12.*

SARACENI Constantinopolim obsidentes *sub Leone Isauro, fame, frigore, bello, & peste conficiuntur, ac postea igneæ grandinis tempestate mare ebulliens, naues eorum omnes præter quinq́ accendit, anno Domini 719. & 720. Sigebertus. & Paulus Diaconus, lib. 21. rerum Romanarum, & libro 6. cap. 14. de Longobardis.*

SELEVCVS Gryphi filius, regno exutus ab Antiocho *Eusebe, fuga delatus in Ciliciam, postquam à Mopseatis receptus est, cœpit ab eis tributa exigere: qui non ferentes exactionem, vnà cum Regia & ipsum & amicos concremauerunt. Ioseph. lib. 13. cap. 21. Antiquitatum.*

PHALARIS tyrannus Agrigentinus, dum ci*ues suos multis torqueret supplicijs, à populo vnà cum*

liberis

liberis & coniuge crematus est, & in eodem tauro, quo reos puniebat, lege talionis suffocatus est. Ouidius in Ibin.

CVM Phocenses post direptum fanum Delphicum *prope Abas, vbi non multum abest Apollinis templum, arcem extruere niterentur, Bœoti in eos inuaserunt, subitoq́ue pars palantes in oppida proxima arripuerunt: alij ad quingentos in templum cum confugissent, extincti sunt, miro quodam modo. Erant circa templum lecti & mensæ complures. Cumq́ue in tentorijs Phocensium, qui ad templum se receperant, ignis relictus casu lectum vnum incendisset, tanta repentè, adeoq́ue supra omnium fidem flamma excitata est, vt templum & Phocenses, qui eò se contulerant, viui cremati sint. Visusq́ue est Deus salutem, quam supplices petiuerant, eis concedere voluisse. Diodorus libro 16.*

STEPHANVS Persa Eunuchus sacellarius, & *Monachus Theodosius generalis, qui sua crudelitate Iustinianum II. Imp. in odia omnium induxere, eo per Leontium deiecto, pedibus vincti, per forum tracti, ad bouem combusti sunt. Cuspinianus.*

CAROLO VI. Francorum Rege ex morbo mente *læso, patruis arbitrium rerum demandatum. Qui verò soluti publica procuratione, vtebantur Regis intima familiaritate, illi fermè æquales, ad illum oblectandum, aut noua ludorum lusuumq́ue oblectamenta ipsi adinueniebant, aut obsecundabant qualiacunq́ue excogitanti; vt & illud: Adulta virgo nubebat nobili, & in aula gratiosissimo adolescenti. nocturnisq́ue ludis Rex cætero ornatu deposito, vultu in leonini oris imaginem personato, reliquum corpus pice delibutum, multoq́ue lino depexo, ac in villos confecto ita contexit, vt hispidi ac semiferi portenti speciem spectantibus præberet ipse, eodemq́ue habitu quinque præterea nihilo saniores*

in cœtum

in cœtum Principum matronarum virorumq́ prodeunt, in orbemq́ reste data choreas pedibus plaudunt, fescennino carmine modulantes. Tota ex Regia concursus fit ad picatorum spectaculum. Ludouicus Aurelianensis Dux, Regis frater, studio clarius visendi correptam facem propius admouit. Scintilla ex ea in Regem forte incidens, repentinum in omnes illos effusa flamma conflauit incendium. Duo inopes auxilij consilijq́ pertinaci conflagratione miserabili vlulatu periêre, tosti, fœdoq́ nidore. Duo inter manus elati, cum biduum animam traxissent, expirauêre: Vnus ruens in propinquam promi cellam, aqua vinoq́ se perluens, salutem sibi peperit. Concursu ad Regem facto, vxor Biturigis Regem, antequam ad viuum flamma iam corpus lambens peruenisset, veste vt caudata fluxaq́ erat inuoluit, ac ignem restinxit. Aurelianensis errorem imprudentiamq́ excusans, crimine se liberauit. Exin valetudo mentis Regis multò magis suspecta mortalibus fuit, nec vlla piacula cælestium placandorum omissa. Aemilius lib. 10. & Fulgos. lib. 9. capite 12.

CAROLVS Nauarræ Rex, Io. Francorum Regis gener, *sub Carolo VI. anno Christi 1387. incendio absumptus est fraude suorum conflato, an fortuito. Optimates intolerabilia tributa conquesti, alij compedibus vincti, alij extrema metuentes, nihil non ausuri per desperationem erant, & sola morte Nauarri liberari poterant: qua & in tempore insecuta est, eo miraculo, vt fides rerum commento fabulæ adumbrata videatur. Ad sexaginta, vti ferunt, natus annos, ac intemperantia libidinis viribus exhaustis, vt reficeretur, toto corpore excalfactorijs medicamentis delibuto, cum decubaret, iussit ignem in ænea pila strato lineisq́ calefaciendis inferri. Dum improuidè infertur, tre-*

pidantq́ ministri, scintilla in ipsum fortè prolapsa, continuò fomenta illa inflammauit, ac eum ita affecit, vt quintus decimus dies tosto finis vitæ fuerit. Annales Francici parum absimili argumento aliam famam edunt: inductum eum insutumq́ linteis aqua vim Naphthæ habente, quamq́ idcirco Franci ardentem dicunt, perfusis, cùm qui insuerat, candelam ardentem filo ex acu exurendo admouisset, flamma protinus fusa, ita ambustum, vt intra biduum expirârit, miro popularium gaudio, non magno suorum luctu, &c. Aemilius lib. 9.

CONVENERANT Germani aliquot Comites, *in arce VValdenberga apud Eberhardum Hohenloënsem Comitem, cum amicitiæ nomine, tum Bacchanalium causa: qui mos inter eos, qui Christianæ pietati nomen dedêre, plus nimio frequens est. Vt ergo nobilibus matronis, & virginibus, quæ aderant, nocturnum ludicrum non vulgare exhiberent, Faunorum personas, multa stuppa lineis vestibus pice resinaq́ agglutinatis, imitati, sub facibus progrediuntur, & iucundissimo spectaculo conuiuas ad ludum prouocant. Ludo intentis omnibus accidit, vt malè auspicata tessera in terram fortuito casu delaberetur. Eam puer personatus dum repetit, funalis incautius adhibiti flamma concepta, opem astantium implorare cœpit. Eberhardus pro sua pietate puero opitulaturus, eodem malo corripitur: Corripiuntur & cæteri, quos Comitis eiusdemq́ affinis & hospitis periculum sui fecerat periculi immemores. Nouitate rei astantes primum delectari, modò vbi ex horrendis clamoribus rem seriam agi viderunt, ad labrum proximum, quod in hunc euentum paulò antè, seu diuinatione quadam imminentis mali, seu nobilis vnius, quem multum licet deprecantem in eam*

pertra-

pertraxerant societatem, suasu & consilijs, aqua adimpleri Comes iusserat, certatim accurrunt. Eò vbi ventum, incertum qua sorte, alueus modò non exaruerat. Erat qui psycterem aqua plenum afferret, sed in ipso limine præ nimia festinatione collabitur. Alterius aquam iam iam infundere parantis cadus ligneus fatiscens, auxilij desperatione calamitatem auget. Vix tandem copiosa veste iniecta sopitus est ignis, & persona quidem illæsa reperta, nisi quantum de stuppa picata flamma absumpserat: carnes verò subiectæ, tam miseris vstulatæ modis, vt nullis medicamentis vel ardor conceptus extingui, vel dolor mitigari potuerit, adeoq; paucis pòst horis, Gregorius Tubingensis, Albertus & Eberhardus Hohenloënses Comites, natalium splendore, & virtutis opinione apud suos illustres, in ipso ætatis flore vitam cum morte commutârunt, anno Christi 1570.

THEOCRITIANVM satellitem Amantij Eunuchi imperio inhiantem, comprehensum, & custodijs detentum, ingentibus pòst saxis cæsum, Iustinus Imp. iussit in mare proijci, vt tam imperio quàm sepultura priuaretur. Cuspinianus.

HEINRICVS II. Gallorum, & Philippus Hispaniarum Reges, post diuturna bella pacem facere anno Salutis 1559. cum Gallus filiam Philippo, Margaritam sororem Philiberto Duci Sabaudiæ in integrum restituto desponderet: dum nuptiæ Parisijs celebrantur Sabaudi, Rex equestribus ludis cum præfecto satellitum suorum Lorgeo, multum licet reluctante, congressus, conti in pectus adacti fragmine galeam non rectè clausam subeunte grauiter vulneratus, oculum primò, inde mentem, vndecimo die vitam quoq; amisit, & quas contra Lutheranos conceperat

minas, Francisco filio exercendos reliquit. Sabellici supplem.

IOHANNES ab Hornach Vngarus, qui vt *Caroli Siciliæ Regis mortem vlcisceretur, Reginam Vngariæ Ludouici viduam cum Maria filia, Sigismundo Venceslai Imp. fratri desponsata, cepit, matrem submersit, filiam in vinculis habuit. Cæterum à Sigismundo domitus, forcipibus candentibus dilaniatus est. Stumpffius.*

VLADISLAO Polonorum Rege ab Vngaris *ad regnum vocato, cum Albæ Regiæ coronaretur, Vngarus quispiam obscuræ sortis indicauit magnam auri vim ab Elizabetha Regina Alberti defuncti Regis sibi oblatam esse, vt Vladislaum Regem ferro vel veneno de medio tolleret. Id siue verum fuit indicium, siue ementitum spe maioris muneris, Vladislaus irremuneratum prætermisit atq; dissimulauit, ne quam Elizabethæ infamiam suscepti sceleris inureret. Vngari verò indicem ignitis forcipibus immaniter dilaniatum dissecuerunt. Cromerus libro 21.*

IOHANNES Leidensis Rex Anabaptistarum *forcipibus candentibus laceratus est. Vrbe enim Monasteriensi capta, multudini venia data est, domus direptæ, Rotmannus in confertam hostium turbam incurrens confoditur. Rex cum Cnipperdolingo & Crechtingo capitur. Cum essent adducti Telgetum, Rex ab Episcopo rogatus, qua fretus authoritate tantam sibi licentiam arrogasset in suam ciuitatem atq; populum? rogat inuicem, Quis ipsi ius & imperium in eam ciuitatem dedisset? Cumq; responderet Episcopus: de collegij populiq; voluntate sibi ditionem hanc obuenisse: tunc ille: & se diuinitus eò vocatum esse dixit. XIII. deinde calendas Februarij, anno 1536. Monasterium reducuntur, singulis attribuitur custodia separatim: & omnia*

agun-

aguntur, vt ab errore deducerentur. Rex agnouit peccatum, ac precibus ad Christum confugit, reliqui duo nec vllum fatebantur delictum, & obstinatè sua defendebant. Postridie Rex in locum editiorem productus, alligatur palo: aderant bini carnifices ac forcipes igniti. Ad tres primos morsus conticuit, deinde misericordiam Dei continenter implorans, cum horam & amplius ad hunc modum laceratus esset, transacto demum per pectus mucrone, decessit. Idem supplicium & socios eius perculit. Extincti caueis ferreis illigati singuli, ad summam turrem vrbis expositi pensiles, Rex medius, & quanta est hominis statura, sublimius. Sleidan. lib. 10.

THOMAS Munzerus siue Monetarius, nouum *genus Prophetiæ per insomnia professus, Alsteto Saxoniæ oppido, vbi concionabatur, ob seditiosa dogmata pulsus, inde Norinberga, Mulhusum Thuringiæ vrbem suo veneno imbuit, nouumq; ibi Magistratum, suæ fauentem hæresi, quem suo nutu moderaretur, instituit. Iam cum anno 1525. rustici per Sueuiam & Franconiam in armis essent ad millia XL. nouum se Gedeonem ac Iehu professus, conflatis in æde Franciscanorum machinis bellicis, maximam hominum multitudinem ex agris ad se perduxit, opinione prædæ ac melioris fortunæ. Albertus Comes Mansfeldensis collectis celeriter aliquot equitum turmis, Anabaptistas, qui ducem Pfiferum audacem hominem habebant, fudit, sic vt Franckhusium fuga petere cogeretur. Vbi dum morantur, coëunt Saxo, Hassus, Brunsuicensis, & Monetarium cum suis in monte circumsident. Victi Anabaptistæ, captum Franckhusium, captus tum quoq; est Monetarius ipse, & ad Georgium Saxoniæ Principem atq; Landtgrauium adductus: Quæstioni subiectus, cum præ dolore exclamaret,*

Saxoniæ Dux inquit: Cogita ergo miserorum hominum cladem, qui per te nefariè circumuenti, hodierno die perierunt. Mulhusij è seditiosis quàm plurimi sunt plexi, & in his quoq; Pfifferus. Eò quoque adductus Munzerus admodum fuit animo perturbato atque deiecto, neque suæ fidei rationem explicare potuit: sic vt ipsius confirmandi causa, Brunsuici Dux Henricus voce illi præiret. Moriturus agnouit delictum suum, & principem adhortatus est ad clementiam erga miseros homines, ita fore, vt nullum eiusmodi posthac sit ipsis extimescendum periculum: simul admonuit, vt libros de Regibus diligenter euoluerent. Eo confecto sermone, gladio percussus, caput affixum hastæ, medijs in campis collocatum. Sleidanus libro. 5.

BRANDOLINVS Comes, à quo Magnus Sfor*tia ad Viterbium sauciatus, & penè interfectus fuit, erat Braccianæ factioni Sfortiæ contrariæ vehementer addictus: similemq; animum Tiberius filius aduersus Sfortianos semper exercuit, ne à paterna disciplina discederet, vnde illi demum fatale exitium. Francisco enim Magni F. Mediolani ad principatum tanta felicitate profecto, cum Braccianas opes vndiq; fractas deletasq; conspiceret, sese turbido ingenio à vetere inuidia odioq; ad perfidiam vertit. Atque ita deprehensus, & custodiæ traditus, vt imminenti supplicio se eriperet, præacuto ferreæ lucernæ manubrio sibi iuguli venam perfodit & interijt. Iouius in Sfortia.*

TARQVINIVS Rex, M. Tullium vel Attilium *duumuirum, quod librum secreta ciuilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abijci iussit.*

iussit. Idq; supplicij genus non multò pòst parricidis lege irrogatum est. Iustissimè quidem, quia pari vindicta parentum ac Deorum violatio expianda est. Valer. Maxim. libro 1. capite 1.

PAVLVS Chupor Vngarus à Bossenis, à Rege *Sigismundo deficientibus, captus, bouino tergo insutus, in profluentem ab Hernoia cum his verbis demersus est: Qui sub humana specie, bouina quondam voce vtebaris, bouinam quoq; nunc cum voce formam indue. Nam cum os moresq; bouis Dux ille præferret, in Regia quandoq; à Paulo ludibrij loco per mugitum salutatus est: vnde cœptum graue odium, facta vindictæ copia, hoc immane supplicij genus inuenit. Bonfinius libro tertio, Decad. tertia.*

STRABO libro Geographiæ XIIII. scribit, *fluuium esse nomine Letheum, vicinum Libybus Hesperijs: huic imminere montem, cui nomen Thorax, in quo fama est, Daphidam Grammaticum cruci suffixum fuisse, quod maledico carmine Reges incessiuisset, vnde dictum illud manârit in vulgus, φύλαττε τὸν θώρακα, id est, caue à Thorace. Hoc velut ænigmate prouerbiali festiuiter admonentes, frenandam esse linguam, ne voces petulanter emissæ, per iugulum aliquando redeant. Erasmus in Adagijs.*

NINVS Assyriorum Rex, Pharnum Medorum *Regem, quia eius dicto non statim paruisset, cum vxore & septem liberis cruci miserabiliter affixit. Sabellic. lib. 1. En. 1. Sandox Aeolidis præfectus à Dario cruci affixus est, quod pecunia corruptus iniustè iudicasset. Alexander ab Alexandro, libro tertio capite quinto. Sataspes Persa, Trabeaspis filius, à Xerxe Rege cruci affixus est, quod Zopyri filij Megabyzi filiam virginem vitiasset, quodq; etiam*

totam Africam non peragrasset, quod se fecisse ad diluendum stuprum dixerat. Herodotus.

BOMILCAR, Amilcaris filius, Pœnorum Dux, *veniens in suspicionem Carthaginensium, quod cum Agathocle conspiraret, in medio foro patibulo suffixus est. Vnde ille magno animo de cruce in Pœnos clamitando, eorum & ingratitudinem & crudelitatem illis exprobrando expirauit. Trogus libro 33. Iustinus lib. 22.*

HANNO Carthaginensis, Philippi Macedonis *Regis temporibus, quòd in filiæ nuptijs principes ciuitatis veneno necare tentasset, captus, ac primum virgis cæsus, deinde effoßis oculis, & manibus cruribusq́; fractus, cruci affixus est. Iustinus libro 21. Orosius libro quarto capite sexto.*

Val. BESTIVS à L. Imbrico affixus est cruci, *quòd Ruseium filium, suæ fidei commissum, interfecisset, vt eius auro poteretur. Plutarchus.*

TITVS Hierosolymam oppugnans, captum *vnum ex hostibus, cruci pro muro affixit, si fortè reliqui vel hoc spectaculo territi deditionem facerent. Sed frustrà. Eos etiam, qui pabuli causa è ciuitate erumpentes, cum Romanis congrediebantur, comprehensos omnes Titus crucifigi iußit. Capiebantur autem indies Iudæorum quingenti, & amplius, quos Romani ira & odio suffigebant, cum tantam multitudinem custodire non possent. Tandem & spacium crucibus deerat, & corporibus cruces. Ioseph. lib. 6. cap. 7. & 12.* belli Iudaici.

THEODEBERTVS, Lotharij Francorum Re*gis filius maior, omni muliere corruptior, & ad libidinem solutißimus, in complexu pellicum maturè disceßit. Ritius. Ladislaus Rex Apuliæ, dum Florentiam pergit, in itinere*

in coitu

in coitu mulieris, quæ medicatam opera Florentinorum vuluam habuit, extinctus est. Volaterranus libro 22. Anthropol.

INTER tres filios Mahometis Turcorum Imp. *Mustapha iuuenis præcipuæ indolis primus extitit: Is in prælio contra Vsuncassanum egregiè se gessit: Iosephum Persianum Ducem Regis Caramaniæ fautorem in fugam conuertit. Cum hyemaret Iconij, venationibus ac venereis rebus nimium indulgens, in ipso iuuentutis flore extinctus est. Iouius in Baiazete II.*

GIACHETVS Geneua Salucianus, cum in *Saluciano populo non paruæ existimationis vir haberetur, iamq́; ætas ingrauesceret, atq; ex vxore liberos procreasset, Veneris appetentior, occultè per posticum puellam adhibebat, sub eo prætextu, vt illius rebus, quæ vsurpabantur, tuendis operam daret. Itaq; cum semel admissa puella, diutius quàm consueuerat, recipere se ad vxorem & liberos tardaret, seriorq́; hora vxorem & liberos in suspicionem adduceret, ne quid ei aduersi contigisset, quia strepitum nullum, vbi ipse esset, euoluendorum librorum (vt ei mos erat) exaudiebant: postquam vocando pulsandoq́; non profecerunt, effracto loci ostio, cum lumen intulissent, inuenerunt, in puellæ complexu eum illius ventri, eo modo, quo Venus exercetur, incumbere, atq; vtrumq; exanimem, sine vllo violentæ mortis signo esse. Fulgosius libro nono capite duodecimo.*

FRIDERICVS Austriæ Dux, electus Romanorum Rex, *& à Ludouico Bauaro captus, è carcere liberatus paulatim contabescens, paucos annos superuixit. Fertur enim nobilis quædam mulier, cui maritus erat nomine Fridericus, miles impiger, vt eum indesinenter Rex*

 amaret,

amaret, poculum amatorium Regi obtulisse. Quo exhausto, viribus primum cœpit deficere, dehinc inualescente morbo, corpus computruit. Tandem dysenteria resolutus, animam exhalauit in arce Austriæ, cui Gutenstein nomen est, anno salut. CCCXXX. Cuspinianus.

FRANCISCVS Rex Galliæ, anno 1536. *Franciscum Delphinum filium hæredem regni & nominis destinatum, repentino oppressum morbo amisit. Nec defuere qui suspicarentur eum veneno fuisse sublatum: cuius nefarij criminis repentè reus factus quidam Sebastianus Montecuculus pœnas dedit, cum ab equis in compita in diuersa currentibus discerperetur. Nonnulli præcipiti iudicio eum damnatum ferebant, tanquam insontem, qui dolore victus inter immania tormenta, vt calamitati suæ finem imponeret, se reum miser fecisset, & authores tanti facinoris Antonium Leuam, & Ferdinandum Gonzagam Cæsarianos duces nominasset. Qui obruti tantæ infamiæ nomine, calumniam à perdito impudentissimoq; homine temerè impositam anxiè diluere contendebant, cum nonnulli Delphinum ex nimia iactatione ludo paruæ pilæ æstuantem, sudoreq; madentem, frigidam intemperanter hausisse prædicarent, nullis præsertim apparentibus veneni indicijs, quando præcordia visceraq; eo immodico rigore correpta, extincto penitus innato calore, mortem accerserint. Iouius libro 35. Historiarum.*

SVB Maximini & Diocletiani imperio, qui Chri*stianos vehementer afflixit, post famem grauissimam, pestis in singulas domos & ætates horrenda sæuijt, eos præsertim absumens, quos propter alimentorum copiam fames absumere nequibat. Opulenti igitur & Principes, ac præsides, alijq; infiniti, qui magistratibus fungebantur, hoc mortis*

genere

genere miserandum in modum interibant. Erantq́ omnia vbiq́ luctu, planctibus & ploratibus plena. Et ad hunc modum duplici veluti armatura mors belligerans, fame scilicet ac peste, totas familias breui tempore absumpsit. Quæ scilicet præmia erant iactantiæ Maximini, & edictorum quæ per ciuitates contra Christianos publicauerat. Eusebius libro 9. cap. 8.

APPION Alexandrinus Grammaticus, qui *Iudæorum circumcisionem irrisit, cum tandem Aegyptiorum more circumcisus esset, inflammatione inguinum oborta, pœnas dedit blasphemiæ. Iosephus lib. 2. contra Appionem.*

DOMINICI Syluij Venetorum Ducis vxor *luxurie & delicijs insignis, tanto putredinis fætore repleta est, vt eam nemo sanus ferre, nec vllis odoramentis arceri valuerit: quo malo misera aliquamdiu torta expirauit. Vincentius lib. 20. cap. 53.*

L. SYLLA, homo sæuus & crudelis, & qui se *multorum sanguine polluit, is Metrobium Lysiodum licet exoletum non dissimulabat perpetuò amare. Vnde etiam morbum aluit ex leui ortum occasione, & perdiu exulcerata viscera sua ignorauit. Hinc putrefactum corpus, & in pediculos totum versum, vt cum multi interdiu & noctu tollerent eos, nulla parte potuerit tamen, quod reijciebatur, æquare illud, quod succedebat: verum omnes vestes, balneum, pollubrum, cibus, illo repleretur fluxu & tabe, adeò suppullulabat. Ideò sæpius die ingrediebatur balneum, abluens & abstergens corpus. Cæterum nihil proficiebatur, vincebat enim celeritate conuersio superabatq́ copia omnem purgationem. Plutarchus in Sylla. Plinius libro 7. Natur. historiæ, & 11. cap. 33. scribit, Syllam perijsse erodente seipso corpore, & supplicia sibi gignente.*

ANNO Coloniensis Episcopus, cuius insignis *fuit erga Henricum IIII. Imp. perfidia, vlcere fœtido in vtroq; pede exorto, & in crura ac fœmora vsq; serpente, vt ossa nudarentur, diu tortus expirauit, Anno Christi 1075. iuxta Schaffnaburgensem & Marianum.*

MELES vel Melitus Atheniensis, amatorem su*um Timagoram inquilinum hominem fastidiens, per contemptum, vt de summo saxo se abÿceret, iussit. Timagoras, qui semper omnia, quæ puer imperaret, facienda putasset, animam etiam ipsam facilè profudit. Vnde enim iussus erat, impigrè se præcipitem dedit. Meletem verò recognita suæ in illum acerbitatis adeò pœnituit, vt ex eodem seipsum etiam saxo deiecerit. Pausanias in Atticis.*

T. MANLIVS Capitolinus, cum regni affecta*ti suspicione in carcerem coniectus esset, populi consensu liberatus est. Bursus cum in eadem culpa perseueraret, reus factus, de saxo Tarpeio præcipitatus est, domus diruta, bona publicata. Gentilitas eius Manlÿ cognomine iurauit, ne quis posteà Capitolinus vocaretur. Suetonius de viris illustribus. Cornelius Nepos scriptum reliquit, eum verberando fuisse necatum.*

FRIDERICVS Episcopus Curiensis, rebellis *factus Rudolpho Imperatori, & captus à Comite VVerdenbergensi, biennium in custodia detentus, tandem elabi cupiens, aliquot linteamina consarciuit, quibus tanquam per funem se demittere voluit, & euadere captiuitatem. Sed dimissus propemodum vsq; ad terram, lethaliter cecidit, & subsequenti nocte defunctus est. Bruschius in Episcop. Germ.*

BALDATIVS pedestrium copiarum haud igno*bilis ductor, manu promptus & audax, cum diu Floren-*

tinorum

tinorum stipendia meruisset, in palatium tandem accersitus, dum Magistratui contumaciter respondet, ex altissimis fenestris in forum præcipitatus est, & quamuis iam expiranti, ceruix abscissa est. Aeneas Syluius capite 54. Europæ.

ALEXANDER Imp. Leonis V. frater, frequentibus *deditus conuiuijs & ebrietatibus, cum nunquam prandium nisi post balneum caperet, immoderatissimè quondam ienticulatus, ludo pilæ se voluit exercere, corpus extendendo: statim equum ascendit ac lineam rupit, qua sanguis è naribus ac pudendis toto die effluxit, ac sic enormi fluxu extinctus est. Cuspinianus.*

ALCINOE vxor Polybi Corinthij, Xanthum *Samium relicto marito secuta, pœnitentiaq́ue ducta, in mare se præcipitauit. Parthenius in Eroticis cap. 27.*

MILO tyrannus Pisæ, cum subditos multis affi*ceret tormentis & cruciatibus, ab eisdem in mare submersus est. Ouidius in Ibin: Vtq́ue Milo sub quo cruciata est Pisa tyranno, Viuus in occultas præcipitêris aquas.*

PSYLLORVM finibus quodam tempore, cum *Auster perquam validus & diuturnus flauisset, eoq́ue flatu vniuersa eorum aqua exaruisset, dolore moti constituerunt vlcisci iniuriam illam. Propterea communi edicto omnes sumptis armis in Austrum, perinde quasi hostem, iure belli profecti sunt: Atq́ue ita profectis, ventus magno spiritus agmine venit obuiam, & vniuersos cum omnibus copijs armisq́ue, cumulis arenarum & montibus operuit. Et ruina omnes ad vnum perierunt. Herodotus lib. 2.*

MISIT Cambyses maioris Cyri filius, quinqua*ginta hominum millia, qui templum Ammonis Iouis diriperent, contemptu religionis, direptum incendio fœ-*

darent: sed ingens illa hominum manus cum inter Oasim & Ammonios pransa esset, subita ventorum tempestate, priusquam ad locum veniretur, arenarum cumulis obruta est, vt nemo ex tanto agmine sit nuncius repertus. Ex proximis tamen arenarum accolis eius rei fama ad posteros manauit. Sabellicus libro quarto capite tertio ex Herodot. libro 2.

PAPVS Florentinus, cum Sigismundi Vngariæ *Regis nomine, multa præclara facinora contra Venetos gessisset, auro demum à Venetis corruptus, in Vngariam reuersus est. Quem, detecta viri auaritia, Sigismundus infuso in os auro necari iussit. Bonfinius libro tertio Decad. 13.*

CONIVRATIONE contra Mediceos fratres *Laurentium & Iulianum parum dextrè obita, Saluiatus antistes, qui officij specie cum magno comitatu ad vexilliferum, Octouirosq́ Reipublicæ præfectos de more salutandos ascenderat, vt curiam occuparet, audito fremitu discurrentis ad arma populi, pauidus suis ipse implicitus sermonibus comprehenditur: statimq́ ipse affinesq́ eius omnes comites, vulgata inaudita sceleris atrocitate, è fenestris suspensi laqueis præcipitantur. Franciscus etiam Pactius coniurationis princeps, quem populus domi ceperat, ab eadem fenestræ columella, è qua pendebat Antistes, deijcitur, cæteriq́ eorum satellites curia inclusi apparitoribus strenuè operam nauantibus iugulantur. Nihil atrocius eo spectaculo fuit: nam cum frequentes curiæ fenestræ deligandis capistris non sufficerent, vt sequentium supplicijs expeditior locus foret, laquei ante deiectorum ac morientium præcidebantur, ita vt magistratus supremæ pœnæ loco, parricidarum cadauera iratæ multitudini, vncis trahenda, ac in profluen-*

fluentem Arnum præcipitanda relinquerent. Biduo pòst pari studio ac diligentia montanorum hominum in summis Apennini iugis ex fuga retractus Iacobus Pactius, dignitate atque opibus eius familiæ princeps: ad quæstionis examen patefacta coniuratione, eandem fœdissimi supplicij contumeliarumque omnium fortunam tulit. Iouius.

IOHANNES Antonius Vrsinus, princeps Tarentinus, *qui bello Neapolitano Iohannem Andegauensem contra Ferdinandum Arragonium secutus fuerat, longa quartana confectus, cum Tarentinorum legatos, ob initum cum Rege Ferdinando consilium suspectos securi se percussurum minatus esset, & puer minas hasce legatis indicasset, ab ijs noctu cubiculum ingressis strangulatus est. Pontanus lib. 5. belli Neapolitani. Inualuit opinio, à quodam eius aulico magnis largitionibus à Ferdinando corrupto, lacinia lodicis elisis faucibus extinctum fuisse. Ritius libro 4. Neap. Reg.*

ANNO 12. Constantini Copronymi Imp. impi*us & profanus ille Pontifex Anastasius anima cum corpore pereunte, mortuus est, ex miserrimo morbo, qui Chordapsus dicitur, merdam per os egerens, dignasque dedit pœnas suarum in Deum & preceptorem Germanum Patriarcham iniuriarum. Cedrenus.*

ANASTASIVS II. Rom. P P. Theoderico re*gnante, vir parum secunda fama, vt qui Acacium hæreticum quem primò expulit, ab exilio reuocare tentauit. Vltore Deo dum in secessu ventrem soluit, subitò occubuit. Gratianus, & Volaterra. libro 22.*

MICHAEL Thraulus cum annis octo & mensi*bus nouem crudelissimè imperasset, correptus Phrenetide, profluuio ventris animam excacauit. Cuspinianus.*

Virgo

VIRGO Vestalis stupri comperta, iuxta portam, *quæ dicitur Collina, viua defoditur. Tumulus ibi intra muros terreus est, in longum porrectus, Agger latino sermone vocatur: in eo ædicula subterranea extruitur modica, gradus habet quibus descenditur supernè. In ea lectus ponitur stratus, & lucerna accensa: eorum quoq; quæ ad victum sunt necessaria, pauca, vt panis, aqua in ampulla, lac, oleum: quasi corpus abominentur maximis consecratum ceremonijs fame conficere. Damnatum lectica indunt, atq; vndiq; obnubunt eam, vinciuntq́; loris, vt ne vocem quidem mittere illa, quæ valeat exaudiri, queat: ita eam per forum deuehunt. Decedunt autem via omnes taciti, prosequunturq́; sine voce, atq; ingenti cum mœsticia. Neq; est spectaculum illic vllum magis horrendum, nec tristior facies ciuitatis vlla alio est die. Vbi ad locum illum est lectica delata, apparitores ei vincula demunt. Pontifex Maximus ante supplicium preces quasdam arcanas tensis ad cœlum manibus peragit. Inde educit obuolutam, atq; in scalis, quà descensus est in domunculam, constituit: tum auertit se cum alijs sacerdotibus. Postquam illa descendit, retrahuntur scalæ, & ædicula multa iniecta desuper humo contegitur, donec complanatum solum aggeris fit. Plutarchus in Numa. Sic Minutia Vestalis suspecta libidinis, propter elegantem corporis cultum, viua defossa est. Liuius libro 8. Oppia Vestalis virgo, eò quòd stuprum contra leges commisisset, viua in terram defossa est. Liuius libro 22.*

ANNO Christi 1382. Zauissa, Episcopus Cracouiensis, *in prædio suo Dobrouoda, seu repentino morbo, seu de scala lapsus, cum aceruum ad constuprandam rusticam puellam ascenderet, extinctus est. Cuius funus cum*

pompa

pompa militari à Dobeslao patre & Creslao fratre Castellano Sendomiriensi elatum esset, ferunt noctu in Basilica Cracouiensi, vbi sepultus est, exauditos esse strepitus & hinnitus equorum discurrentium, Dæmonumq́; voces vociferantium: Proficiscamur meretricatum. Et mirum est, sed multorum sermonibus celebratum, hoc ita ferè vsu venire in hac basilica, non modò post funera nonnullorum clarorum hominum, vt aliqua terriculamenta existant, verùm etiam vt principum, Episcoporum, atq; etiam prælatorum, vt ita dicam, & Canonicorum propinqua mortes signis quibusdam prænuncientur. Cromerus libro decimotertio.

RATHOLDVS Dux Frisonum, prædicatione *Vulfradi Episcopi ad baptismum adductus, cum vnum pedem in lauacro haberet, retrahens alterum, interrogauit: vbi nam plures suorum maiorum essent, in inferno, an in Paradiso? Et audiens plures esse in inferno, pedem è colymbethra extrahens: Satius est, inquit, vt plures quam pauciores sequar. Et sic tertia die subita morte periјt. Sigebertus in chronicis.*

CATVLLVS Pentapolitanæ Libyæq́; Præfectus, *ob interfectos iniustè Iudæos, diris agitatus, defluentibusq́; extis, horrendum in morem periјt. Ioseph. lib. 7. cap. vlt. Bell. Iudaic.*

CONSTANTINVS Copronymus Imperator *elephantico morbo correptus, maximis consumptus cruciatibus, cum imperasset annos XXXV. moriens dixisse fertur: Addictus sum inextinguibili flammæ. Eius nurus Irene, Theodori Antistitis hortatu, cadauer refossum publicè cremari iussit, cineremq́; iactauit in mare. Cuspinianus.*

GREGORIVS VII. Pontifex, ab Henrico IIII. *Imperatore, quem diris miserrimè exagitauerat, pontificatu deiectus. Salernum in exilium abijt, ibiq; morsibus conscientiæ exanimatus perijt. Benno.*

HELENA Tyndari & Lædæ filia, post destru*ctam Troiam Menelao marito restituta, Spartam venisset, post aliquot dies Menelaus obijt. Eo mortuo statim Helenam expulerunt duo ciues Spartani, Nicostratus & Megapenthus, quod eius causa tot ruinæ, totq; clades fuissent subsecutæ. Igitur regno & marito priuata, Rhodon exul proficiscitur ad Polyzo Reginam. A qua hospitio suscepta famulis inuisa esse cœpit, quod Tlepolemus Polyzo maritus expirasset apud Troiam, interfectus à Sarpedone Lyciæ Rege. Die quadam fingentes se velle recreari, persuaserunt Helenæ, vt vnà viridarium ingrederetur, vbi curas omnes semouerent, & mentem fastiditam diuersis ludis & cantionibus refocillarent: quibus malè cauta mulier consensit. Illæ verò vnanimes laqueum eius collo imposuerunt, & ad proximam arborem suspenderunt. Guido Bituricensis.*

MARTINA, Heraclij vxor, cum veneno sustu*lisset Constantinum iuniorem priuignum, à senatu ante biennium imperij capta, & in exilium in Cappadociam missa est, lingua matri, naribus autem filio Heraclonæ abscissis. Volaterranus.*

MICHAEL Calaphates, cum Zoën, Michaëlis *Paphlagonis antecessoris & consanguinei vxorem, cum qua se regnaturum promiserat, eiecisset, populus indignatus, cum Zoëm maximè amaret, armis domum circumdat. Ille in concionem prodiens, saxis obruitur: fugiensq; tandem capitur, atq; oculis multatus in exilium mittitur. Idem.*

Sara-

SARACENI triennio integro, mari & terra *Byzantium obsedêre sub Leone III. Quidam authores classem ter mille, alij CCC. nauium habuisse aiunt. Quibus viribus Barbari confisi, Byzantium adorti sunt. Sed cupiditas prædæ ab interiore vrbis oppugnatione eos auertebat, alioqui in apertum discrimen vrbs venisset. Ex castris enim ingens multitudo profecta, prædandi studio per Thraciam vagata, segetes vastando, in Bulgariæ fines irruit. Bulgari Christianæ fidei, & patriæ charitate ad vltionem accensi, ad duo & triginta prædatorum millia interfecêre. Interim circa Byzantium grauis seditio orta ob Zulemonis Ducis mortem, donec Amiras in defuncti locum Rex gentis creatur: qua causa oppugnationem vrbis morabatur. Quæ iam tota assiduis precibus dedita, supplicationibus diuinum poscebat auxilium. Sed mox maior clades Saracenos adorta: nam peste, fame, frigore toto triennio maxima pars hominum consumitur. Ergo patriam repetierunt, acceptis nauibus, quæ supererant, decem tantum: quarum quinque superueniente ventorum turbine disiectæ, à Romanis sunt captæ: reliquæ quæ effugerant, calamitatis nunciæ, in patriam reuersæ sunt laceræ. Stationariæ naues partim fœdis tempestatibus, partim cœlesti igne periclitantur. Zonaras autem tradit, fluxili igne, & qui in aquis ardet, humectus appellatus, à fabro Callinico, qui ex Syria Byzantium veniens, sub Constantino Pogonato inuento, naues hostium & bellicas & onerariam concremasse Romanos. Byzantium quoque graui pestilentia laborauit, adeò, vt quidam trecenta millia hominum interijsse scribant. Cuspinianus.*

HERODIS Magni, Iudæorum Regis numerosa *soboles, intra centum annos tota ferè interijt, exemplo*

memorabili, parentum improbitatem etiam in seros nepotes graui vindicta redundare. Iosephus libro decimo octauo capite 7.

PROGENIES Cæsarum in Nerone defecit, *quod futurum compluribus quidem signis, sed euidentissimis duobus apparuit. Liuiæ olim post Augusti statim nuptias Veientanum suum reuisenti, præteruolans aquila gallinam albam, ramum lauri rostro tenentem, ita vt rapuerat, demisit in gremium: cumque nutriri alitem, pangique ramulum placuisset, tanta pullorum soboles prouenit, vt hodie quoque ea villa ad gallinas vocetur: tale verò lauretum, vt triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent: fuitque mos triumphantibus, alias confestim eodem loco pangere. Et obseruatum est sub cuiusque obitum, arborem ab ipso institutam, elanguisse. Ergo nouissimo Neronis anno, & sylua omnis exaruit radicitus, & quicquid ibi gallinarum erat, interijt, ac subinde tacta de cœlo Cæsarum æde, capita omnibus statuis simul deciderunt. Augustique sceptrum è manibus excussum est. Suetonius. Hinc Ausonius:*

Aeneadum generis qui sextus & vltimus hæres,
Polluit & clausit Iulia sacra Nero.

ANNO Salutis 1342. Venetæ vrbi, præcedente *terræmotu, noua vis pestilentiæ inguinariæ incubuit adeò lethalis, vt ex omni languentium numero, vix centesimus quisque mortem euaserit. Ex Scythia primum orta dicitur, inde per oram Pontici maris & Hellespontum grassata, per Græciam demum & Illyricum Italiæ insinuatur. Hanc credo esse pestilentiam, quæ Italiam humano cultu insigniter deformauit. Veneti in tam fœda vrbis vastitate edictum proposuêre, vt quicunque hominum Venetias cum coniuge & liberis peterent habitandi causa, perseuerarentque biennio*

in nouo incolatu, pro ciuibus haberentur. Sabellicus lib. 8. Ennead. 9.

CÆSAR Borgia Alexandri VI. Pontificis ex *Vannotia Romana nothus, Cardinalatum à patre acceptum repudiauit, vt liberius suæ tyrannidi incumberet. Ducem Candianum fratrem suum noctu propria manu occidit, & in Tyberim abiecit, vt ei in præfectura pontificiæ militiæ succederet. Gallorum Regi affinitate iunctus potentissimos quosque Italos vexare cœpit. Feltrios Vrbino, Sfortias Pisauro, Malatestas Arimino, Appianos Plumbino, Varanos Camerino eiecit. Astorem Manfredum Fauentinum principem iuuenem formosissimum captum constuprauit, interfecit, in Tiberim abiecit. Principem Bisellium sororium suum in vxoris amplexibus confodit. Veneno locupletissimos quosque sustulit, & inter eos Cardinalem Borgiam cognatum suum. Iamque Romæ tyrannidem affectabat, nisi Alexander iusto Dei iudicio, venenum innocentibus paratum cum filio imprudens bibisset. Quod cum impius senex superare non posset, sceleratam euomuit animam. Cæsar verò iuuenili robore eo superato, à Iulio II. captus, occupatas arces restituit. Neapoli iterum captus, & in Hispaniam missus, triennio post deceptis custodibus elapsus, Regis Nauarræ castra secutus, ictu bombardæ periit. Garimbertus lib. 5. de Vitis Pontificum.*

ALOYSIVS, vel Ludouicus Grittus, Andreæ *Venetorum Ducis filius nothus, ab eo dum Constantinopoli ageret susceptus, in magna gratia fuit apud Solymannum Turcorum Imp. & ab eodem è Byzantio missus cum amplissimis mandatis ad Iohannem Pannoniæ Regem, vt Budæ consideret, tuereturque in iis regionibus Othomannicum nomen, consiliisque omnibus belli & pacis interesset, impedito*

Solymanno bello Persico. Grittus Iani Dociæ ducis Hungariæ calumnijs adductus, Americum Cibachum Varadinensem Episcopum, cui primas inter omnes proceres Iohannes Transyluaniæ Rex deferebat, ad se cum splendido comitatu venientem perfidè oppreßit, eius potentiam & fidem suspectam habens. Cuius crudeli morte sic permoti sunt Transyluani populariter, vt manu facta Grittum ad oppidum Meges captum securi percusserint, & in eius cruore proceres & propinqui penulas militares, solenni ceremonia, more gentis intinxerint, vt diu secum exactæ vindictæ memoriam deferrent. Ianus Docia, qui sua manu Americo caput detruncârat, grauiore supplicio affectus discerptusq́ est. Quum Gritti truncus à carnifice nudaretur, loculus in fœmorali cum gemmis immensi precij repertus est, adeò vt ea omnis præda aureorum nummum quadraginta myriadas superasse dicatur. Iouius. Erat Gritto filius Antonius Episcopus Quinqueecclesiensis, eum Clemens Pontifex, in patris auiq́ gratiam cogitabat adiungere numero Cardinalium. Sed ecce, dum regnum sibi Ludouicus pollicetur, & in summa est omnium expectatione, pater etiam hoc tanto filij successu plurimùm gauderet, per occasionem simultatis atq́ factionis in eum excitatæ, comprehensus ab aduersarijs & capite mulctatus fuit, circa annum Sal. 1534. Sleidanus libro 9.

HIPPOLYTVM Theseus, quem ex Antiope A-*maZone tulerat, Troëzenem miserat nutriendum. Qui cum adolescere cœpit, ad mysteria in Atticam profectus, vbi primum in conspectum venit, cœptus est perditè à Phædra nouerca adamari. Inde cum Theseo ad Pitheum in TroëZenem profecta, Hippolyti concubitum petijt. A quo præter opinionem repulsa, irarum plena cum Theseo Athenas reuertitur: hic*

hic multa de priuigni audacia & temeritate questa, se incæsti ab eo interpellatum, cum Troëzene esset, absentem falsò criminatur. Atrocitate criminis consternatus Theseus, per internuncium Hippolyto significari iubet, resciuisse patrem, quas, loci opportunitatem nactus, nouercæ insidias tetendisset. Vehebatur tum fortè curru Hippolytus, qui mulieris artem scelusq́ agnoscens, factam apud patrem ab ea fidem ratus, doloris magnitudine turbatus, quum iam minus sibi ac minus constaret, habenæq́ manibus excidissent, equis subito casu consternatis, distractus interijt. Hippolyti morte Athenas nunciata, Phædra & ipsa sibi mortem consciuit. Sabellicus libro 6. Ennead. 1.

ERANT Olauo Regi Danorum duo eximiæ spei *filij, Frotho videlicet, qui Vuildam Suetiæ Regis Siuardi filiam, & Haraldus, qui Signem Caroli Gothorum Regem inter se inimicissimorum filias in matrimonium assumpserant. Hæ ut erant ex duobus patribus summè dissentientibus natæ, ita suos maritos fraterno vinculo coniunctos, ad inextinguibile odium perducentes, occasionem præstiterunt, vt Frotho fraternæ necessitudinis immemor, fratrem suum Haraldum omni probitate ac militari disciplina conspicuũ, structis occultè insidijs trucidaret, filiosq́ eius Haraldum & Haldanum, nisi industria Caroli materni aui præseruati fuissent, æquali crudelitate perdidisset. Quorum natu maior Haldanus, cum post multos & varios casus adoleuisset, non solum patruum, eundemq́ patris sui occisorem Frothonem occidit, sed & regnum eius Daniam occupauit: deinde in Sueones (eò quod inde oriunda esset VVilda, quæ putabatur Frothonem ad fraternam necem accendisse) arma conuertit, Regemq́ eorum Siuardum, ob mala merita malè educatæ filiæ, occidit. Iohannes Magnus libro 20.*

Tempo-

Tempore Constantini Pogonati Imp. cum *quidam solus cane comitante iter faceret, est à latrone, quales itinera solent insidere, interfectus. Latrone fuga se subducente, canis in eo loco permansit, Domini cadauer custodiens. Fortè alius quidam eà pergens superuenit, cadauerq́ proiectum cernens, motus misericordia, tellure effossa perijt. Canis id officium pergratum habuit, seq́ vltrò homini comitem ac seruum adiunxit. Erat autem is homo conditione caupo: & solebat canis, ijs qui cauponam intrarent, exirentq́, adulari. Post aliquantum temporis, is etiam latro, cuius meminimus, in eam cauponam bibendi causa intrauit: quem canis agnoscens, allatrauit: in eiusq́ faciem insiluit. Hoc sæpius factum, Dei instinctu apud multos suspicionem excitauit: comprehensusq́ latro, & coram iudice constitutus, cum facinus vti erat perpetratum confiteretur, debitas pœnas luit. Cedrenus.*

In Granatæ regno, inter Antidonam & Anti*cheram vrbes Petra est edita, Pegna amatorum, hoc est, Petra amantium dicta, ob hanc causam: Iuuenis quispiam Hispanus Christianus Granatæ domino Saraceno seruiens, mutuo amore filiam deperibat, & tum libertatis, tum religionis, tum amorum causa cum ea inscio patre fugam inijt. Peruenerant iam ad collem hunc, cùm patrem eminus insequentem vident, metuq́ territi petram ascendunt, & subeuntes auulsis cespitibus & saxis ascensu arcent. Pater ira frendens, sagittarios è pago proximo accersiri iubet. Miseri amantes desperata venia atq́ fuga, se mutuò complexi, præcipites se dedêre ab ea parte qua pater ascensum vrgebat casuq́ extincti, omnium reliquorum animos, præterquam duri & immoti patris, sic permouêre, vt ambos, inuito sene, vti erant vestiti constrictiq́ eo loci sepelirent. Laurentius Valla lib. 1. Historiar.*

RICARDVS II. Anglorum Rex iuuenis, cum *summa in omnes liberalitate vteretur, extitêre nonnulli domestici, qui quod à Rege gratuitò impetrabant, aliJs precio concedebant: qui absq; precio, gratias agebant, perinde quasi gratia non à principe, sed à venditoribus fieret. Res ista effecit, vt in caput Ricardi sit coniuratum, quò eo adempto, omnis inuidendi materia tolleretur. Ita Princeps beneficium serebat, vt fidei fructum meteret, sed quia in immeritos priuatim conferebat, odium omnium sibi cumulauit, sic vt paßim iactaretur illud: Væ terræ cuius Rex puer est. Erant in domo regia Iohannes Ansleius eques, & Hugo Cartonus, duo teterrima capita, qui scelere coniuncti coniurârant aduersum Regem, sed vrgente maleuolentia, alter alterum facinoris concepti insimulat. Re delata ad senatum Regium, Cartonus pernegauit se vnquam cum Ansleio contulisse, sed affirmauit Ansleium voluisse secum coniurare, se verò non dedisse aures, & eum veritum ne insimularetur, suum falsißimè detulisse nomen. In re dubia placuit, vt inter se dimicarent, & palàm per præconem denunciaretur, eum proditorem habitum iri qui ab altero victus foret: non quò sic victus, incognita causa puniretur, sed vt aliquod rei indicium liquidius fieret per certamen. In certamen descendunt, pugnant pro honore, pro vita: Ad extremum Cartonus accepto graui vulnere, humi prosternitur, iamq; spiritum edens, vt criminis conuictus, culpam fassus, ad supplicium trahitur. Polydor. lib. 20. Histor. Angl.*

IOHANNES Habsburgensis Comes, ab exu*libus Tigurinis persuasus, Tigurum vrbem cum suis ingressus est pacis conciliandæ specie, reuera autem vt noctu incautos ciues opprimeret, & portis patefactis exercitum in*

urbem introduceret. Coniuratorum plærique in diuersorio congregati erant. Comes Tocenburgensis, qui apud ciuem diuerterat, sceleris conscientia perculsus, inito cum ciue consilio, conscensa nauicula fugit. Nauta cum sibi ab illis insidias fieri intellexisset, ne fugam illorum detegeret, in alto nauim euertit, & comitem cum famulo & ciue submersit. Mox in urbem reuersus, rem gestam indicauit. Accessit & alterum indicium pueri, qui post fornacem dormienti similis recumbens, coniuratorum in diuersorio consilia Consuli patefecit. Aere itaque campano excitis ciuibus, priusquam portæ recluderentur, coniurati in fugam versi, partim interfecti, partim capti, digna scelerum suorum supplicia luerunt. Anno Domini 1350. XXIIII. Febr. Stumpfius.

EST Stocholmia emporium regni Suetiæ celeberrimum, *in quod ex omni gente & natione, maximè autem ex Germania inferiori ciues conscribi consueuerunt, & inter eos non rarò miscentur illi, qui vel ob æs alienum, vel turpe aliquod facinus in sua patria nequeant commorari. Hi crescentibus diuitijs, solent sæpe naturam, quam paupertas occultauerat, aperire. Tales igitur Teutones in ciuitate Stocholmensi, tempore Regis Alberti (qui ex Magnopolensi Ducatu rex Sueonum & Gothorum creatus fuerat) centum septuaginta inuenti fuerunt, qui occulta conspiratione colligati, se cucullatos fratres appellitabant: creuitque postea eorum numerus ultra mille quingentos. Horum studium præcipuum erat, coniectis in Sueones & indigenas conuitijs, ad rixas & lites prouocare, ut demum apud Regem delatos vita aut fortunis spoliarent. Sunt enim Sueones ad verbales iniurias omnium mortalium impatientissimi: confestim enim iniuriosa verba verberibus compensare solent. Origo odij ex commercijs cœpit, quorum lucra alieni-*

alienigenæ ad se solos transferre nitebantur, nulla facta æstimatione reliquorum ciuium, quibus maior, aut certè æqualis Reipublicæ cura incumbebat. Erant autem inter cæteros Suetici generis mercatores centum septuaginta. Hos illi cucullati in libello designatos Regi Alberto occultè deferebant: asserentes, nisi ipsi quantocyus è medio viuorum tollerentur, actum omninò fore de Teutonico nomine in ea ciuitate. Albertus cognita Teutonum suorum perfidia, illorum precibus, quantumuis Sueonibus parum faueret, acquiescere noluit. Eo autem à Margarita Danorum Regina capto, noctu ex arce, quam ab Alberto suæ concreditam fidei tenebant, clam eruptione facta, duce Alffo Greuerad Sueones imparatos adorti occidunt, opes diripiunt, primates in arcem ductos serris ligneis dissecant, reliquos ciues ex arce per naues ad proximam insulam Cheplingam deportatos primùm insigni ludibrio, deinde grauissimis tormentis affectos, postremò viuos in domo quadam inclusos combusserunt, Anno Christi M. CCC. LXXXIX. ipsa nocte, qua Christicolæ festum corporis Christi celebrare consueuerunt. Eadem autem hora qua hæc fiebant, suboriebantur tot fulgura, tot coruscationes, tot portentosa tonitrua, tantaq; inundatio pluuiarum, vt & ipsa ciuitas Stocholmensis mox submergenda crederetur. Hæc fuit illa calamitas, cuius meminit Albertus Cranzius, inquiens: Stocholm insigne Suetiæ emporium, de cœlo fulmine tactum penè totum conflagrauit: perierunt incendio mille sexcenti homines. Fœminæ, pueri, & sine numero puellæ, nauibus res suas inuexerunt cum paruulis, aderant quoq; viri non pauci: Sed priusquam soluerent, ingruebat promiscuũ vulgus incendia declinans. Tanta itaq; multitudine naues (quamuis maximæ) oppletæ fuerunt, vt omnis illa multitudo momento oculi submergeretur. Ioh. Magn. lib. 21, hist. Goth.

DVM Alexander Magnus in Asia esset, Dymnus quidam ex Calestra Macedoniæ oppido, cum plerisque alijs Regi insidiatus est. Amabat is Alexandri exoletum Nicomachum nomine, quem ratus fore, vt in societatem sceleris ascisceret, destinatæ cædis participem fecit. Ille vt commodius falleret, iureiurando pollicitus est, rem in occulto habiturum: inde per Cebalinum fratrem, ne suspicionem coniuratis faceret, dat operam vt Regi indicium deferretur. Cebalinus Philotæ Parmenionis filio, qui plurimum apud Regem authoritate & gratia valebat, primò rem aperuit, vt per eum Rex de ijs quæ pararentur certior fieret. Is vbi alia atque alia causando indicium de industria detrectare visus est: Cebalinus per Metionem armentarij præfectum rem detulit. Iubet confestim Alexander Dymnum ad se trahi, qui destinati parricidij conscius, continuò sibi manum intulit. Inde quæstione habita, plerique conuicti sceleris, pro concione, Macedonico more lapidibus cooperti sunt. Philotas & ipse multis cruciatibus prius affectus, vt coniuratorum vnus occisus est. Occisus & Parmenio pater, tanquam & ipse eius consilij non ignarus. Eum Mediæ Alexander præfecerat, nec vllius opera magis fuerat ab eo bello vsus, quippe qui omnibus prælijs læuum cornu prouocare solitus esset. Perijt ille septuagenarius, secutus ex Macedonia Regem, cum tribus filijs. &c. Sabellicus lib. 5. Ennead. 4. ex Diodoro libro 17.

QVVM Germaniæ principes, à Pontificibus Romanis contra Fridericum II. Imp. concitarentur, Albertus Ratisbonensis Episcopus, qui Pontificis sequebatur partes, ciues vrbis suæ locupletes quinque & quadraginta Imperatori studentes fraude cepit, cathenaque vinctos ad Staufen deduxit. Conradus Cæsar Friderici F. & Ottho Regulus Boiorum

iorum, Palatinus Rheni, Alberti ac ministrorum eius prædia vastant diripiuntq́, Albertum captiuos reddere cogunt, & Ratisbonam cum copijs intrant. Cæsar more maiorum in æde D. Haimerani hospitio receptus est. Dum quinto Kalend. Ianuarij cubitum iuisset, nocte intempesta Albertus, & Conradus à Hohenfels, clam in cubiculum admißi, cum antè explorassent non plures quàm tres in eodem conclaui Cæsareo quiescere, in tenebris adoriuntur: duobus occisis, tribus in vincula coniectis, arbitrantes Conradum cæsum esse, abeunt. At Cæsar sub scamno delitescens euasit. Deinde Episcopum, percussores, Monachorum præsidem, hostes Reipub. iudicat, parricidij condemnatos proscribit. Vlricus Abbas demum dignitate mouetur. Albertus in ordinem Monachorum redigitur. Conradus, princeps coniurationis, fulmine de cœlo tactus sub dio equitans interijt. Auentinus lib. 7. Annalium Boiorum.

IOHANNES Rudolphi Ducis Austriæ F. ex *filia Ottocari Bohemorum Regis, patre in lecto insidijs occiso pupillus relictus est, Alberto I. Rom. Rege tutore. Albertus eius bona tutoribus commisit, iuuenem apud se honesta conditione tenuit. Qui cum prauo seductus iniquorum consilio, quasi Dux esset sine terra, crebrò patrimonium suum maternum peteret (quod illi negabatur) cum tribus alijs coniurationem inijt, qui curam custodiendi corporis regij habebant, quibus semper Rex vitam suam concredidit: hi erant Rodolphus de VVart, VValtherus de Eschenbach, & Vlricus de Palma. Hi quatuor semper cum Duce Iohanne latus Regis stipabant, tanquam omnium charißimi & fidelißimi. Octauo autem Kalend. Maij, anno Christi millesimo, trecentesimo octauo, cum Rex filios suos cum Duce Iohanne ac nonnullis Baronibus in mensa habuisset,*

 hilaris

hilaris ac lætus, omnes roseis sertis redimiuit. Quatuor illi coniuratores cibum capere non poterant, necem meditantes Regis, erat enim illo die traiecturus Vrsam fluuium prope Vindonissam. Nauim conscendens, ablegatis omnibus alijs ministris, hos solum quatuor detinuit & traiecit. Inde conscenso equo, Rudolphus de VVart: Quamdiu (inquit) istud cadauer equitare permittemus? frenumq; equi apprehendens, cum inter eundum de more clementissimus Rex loqueretur, Dux Iohannes pugione collum Regis primus ferit. Vlricus faciem & caput per medium secat, cæteri nihil tale suspicantem Regem ensibus transfodiunt, inter Vrsam Arolamq; Heluetiorum flumina, haud longè à Rheno. Occisores fuga Friburgum dilapsi, sed dolo elusi, castrum relinquunt. Vlricus de palma Basileæ in domo Conuersarum latitans, obijt. Castro eius obsesso per Leopoldum Ducem Austriæ, qui cum fratribus omne patrimonium diuisit, præter Morauiam, quam imperio subiecit, ex eo oppugnato, quinquaginta sunt decollati. Munitionibus verò VValtheri destructis, ipse pastorem agens, post annos triginta quinq; sese manifestat moriturus. Rudolphus de VVart cum famulo post longam occultationem Romam pro assequenda venia petens, à Theobaldo Comite de Blomont capitur, & Leopoldo traditur: A quo famulus rota cruciatur, Rudolphus post multas inanes excusationes, caudæ equi alligatur, & ad supplicium ductus, fractis rota membris, crudelissimè necatur. Iohannes Dux, nepos Regis, profugus per syluas & ferarum latibula, tandem in Italiam venit: Postremò ad Heinricum Imperatorem successorem Alberti, in Tuscia Pisis per Papam missus, in habitu Fratrum Eremitarum perpetuis carceribus est condemnatus. Sic omnes illi parricidæ diris discerpti supplicijs, aspiciente Regina

Eliza-

Elizabetha, filia Meinhardi Comitis Tyrolis & Goriciæ (quæ vnicè maritum dilexerat, & sanguinem parricidarum pedibus calcauerat in vindictam) debita sua præmia tulerunt. Cuspinianus.

GALEACIO Maria Mediolanensibus imperante, *erat Nicolaus Montanus Bononiensis, vir (vt illis temporibus) non ineruditus, ex eorum genere, qui nobiles pueros in literis instituendos suscipiunt. Huius inter cæteros erant auditores Mediolani tres adolescentes eius ciuitatis cum primis nobiles, Iohannes Andreas Lampognanus, Carolus Vicecomes, & Hieronymus Oleatus, quibus ob egregiam indolem virtutis plurimum omnium indulgebat. Erat hominis ingenium longè acerrimum, & siue hoc à natura haberet, siue studio esset & diligentia consecutus, minimè ad hominum vitia, principum imprimis, dissimulanda accommodatum. Hic iuuenes veterum exemplis ad tyrannidem Galeacij vindicandam, & patriam seruitute liberandam animauit, maximè cum priuatas erga Galeacium odij causas haberent. Io. Andreas querebatur sacerdotio propinquum à Pontifice auctum, cuius vberrima vectigalia essent, nullius precibus, aut gratia assequi potuisse, vt secundum Pontificis decretum illi sacerdotij possessionem daret. Oleatus & Vicecomes cum minus munitas domos ab eius libidine habuissent, iniquissimo animo ferebant (vt sunt Itali minimè omnium apti ad suorum flagitia dissimulanda) in nobilissimis familijs tantam maculam & labem, viuo eo, qui illam imposuisset, hærere. Itaq; in remotissima ædium parte iuuenili consilio contra Galeacium conspirârunt, & qua vulnus facilius pateret, quod esset commodius gladij genus atque expeditius, explorabant. De tempore conuenit, vt die natalis Christi Galeacium*

ad D.

ad D. Stephani operirentur, & in ipsis foribus salutandi specie illum obtruncarent. Stipati igitur clientibus suis, quos simulatione aquæ ductus per vim aperiendi armatos adesse iusserant, pugionibus intra vestem abditis, fores obsederunt. Io. Andreas Galeacium in iugulo & sub aluum saucium reliquit: Olcatus in iugulo pariter & pectore: Carolus humerum & tergum momento transfixit. Concidente principe, cum à suis deserti coniurati, omnium gladijs se peti viderent, fuga sibi consulere cœperunt. Io. Andreas implicitus vestium lacinijs, quas laxas atq; amplas nobiles fœminæ humi trahunt, à Mauro satellite Galeacij interficitur: Carolus multis vulneribus à militibus confoditur. Oleatus cum sibi ferro via patefacta incolumis è templo euasisset, ad paternas ædes cõfugit: vnde à patre, ne esse particeps consilij videretur, excluditur. At mater sacerdoti familiari & clienti commendatum, atq; ab eo mutata veste domum perductum in præsentia seruauit. Ibi cum biduum delituisset, audacia sibi vtendum, ac fuga salutem petendum meliore consilio quàm tempore statuit. Verùm itineribus vndiq; obsessis comprehensus, supplicij genere teterrimo afficitur, cum viuus laniatus, atq; in quatuor partes dissectus esset, non minore in tanto cruciatu perferendo constantia, quàm in tyranno interficiendo fiducia animi & audacia. Nam carnifice illi ad tantum supplicium gladio imminente, ita ex magno horrore collecto animo, dixisse fertur: Mors acerba, fama perpetua, stabit vetus memoria facti. Brutus libro 6. hist. Flor.

MORTVO Eugenio IIII. Stephanus Porcarius *Eques Romanus, vir in dicendo acerrimus, ciues suos in Ecclesia Aræ cœli congregatos, ad capessendam libertatem cohortatus est, quod diceret paruum quodque oppidum*

mortuo

mortuo loci domino, de libertate, vel ſaltem de moderanda Regentium cupiditate verba facere. Verùm reclamante Archiepiſcopo Beneuentano, tum quidem Camerario, de reipſa nil deliberatum eſt. Electo autem Nicolao V. Bononiam à Pontifice relegatur, hac conditione, vt ſingulis quibusq; diebus Niceno gubernatori vrbis ſeſe offerret. Quem ſimulata ægritudine decipiens, Romam admonentibus coniuratis, properè rediјt, hac mente, vt cum vrbem attigiſſet, ſumptis armis populum ad libertatem conuocando, Pontificem & Cardinales caperet. Rem factu facilem dicebat. Nicolaum Pontificem Epiphaniæ die in æde beati Pauli ſacra facturum, haud magno negotio comprehendi poſſe, populum libertatis amore opem laturum. Ad colligandum autem præſulem cathenam auream ſecum attulit, à ſe iam pridem paratam, quam coniuratis oſtendit. Neq; enim mox occidendum Præſulem ex vſu eſſe dicebat, ſed ſeruandum, donec arcem ſancti Angeli recuperarent. Verùm dum feſſus longitudine itineris & diutina vigilia aliquantulũ quieſceret (aliquot enim noctes inſomnes duxerat) detegendæ rei tempus & occaſionem dat. Cognita hominis audacia, Pontifex ſenatorem Iacobum Lauagnolum Veronenſem ciuem, & Vicecamerarium, cum armato milite domum eius ſtatim mittit, vt captum in carcerem perducerent. Is autem aduentare armatos intelligens, ad ſororem confugit, relicto domi Baptiſta Sarra cum aliquot ſeruis, homine quidem impigerrimo & audaciſſimo, qui domo cum ſocijs erumpens, incolumis aufugit. Cognita inde Stephani per indices fuga, hominem apud ſororem in capſa deliteſcentem capiunt, & captum ac ſeriem coniurationis faſſum, ad muros arcis ſancti Angeli ſuſpendunt. Eodem quoq; ſupplicio afficitur in Capitolio Angelus Maſſa, cum filio ac ſocio Sano, lecta prius audi-

audientibus omnibus coniurationis ſerie, milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, quinto Idus Ianuarij. Platina, & Sabell. lib. 5. Ennead. 10. & Aene. Syl. cap. 58. Europæ.

FVERVNT nonnulli Ianizari ac cubicularij, *quos ſui ſtudioſos Mahometus II. Turcorum tyrannus ſæuiſsimus arbitrabatur, qui de eo necando conſilium inière. Ingreſsi tentorium, cum iam contentis arcubus ſagittas emiſſuri forent, Maudromenus Conſtantinopolitanus ex coniuratis vnus, veluti quodam afflatus ſpiritu, conclamat repentè: Caue vitæ tuæ, mi here Amyta, caue tibi, caue: ſuoq́ illum conſopitum corpore procumbens, protegit. Et ita qui certò periturus erat, vnius Chriſtiani ſerui impietate ſeruatus eſt. Nam reliqui adoleſcentes exoleti eo clamore excitati, confeſtim auxilium tulerunt. Et experrectus tyrannus ſuam funeſtam rabiem generoſo conſpiratorum cruore ſatiauit: immanis alioqui, & ad omnem cædem feruens ac alacris. Ex ea hora omnes pòſt ſuſpectos habuit, neminem ſibi fidum putabat (quis enim eum amet, quo nemo crudelior, nemo atrocior ac ſuperbior, nemo ingratus magis vnquam extitit?) neminem in cubiculum quietis tempore, qui duodecimum ætatis annum exceſsiſſet admittebat. Narrant quidam aliter hanc hiſtoriam, quòd ſcilicet in Oriente quidam magnus Tartarus, ob odium quod in Turcum habuit, magos quoſdam precibus ac precio induxerit, vt caput Turci ſibi adferrent. Mahometus de inſidijs certior factus, dum ſub habitu religioſorum armati Regiam ingrederentur, captos omnes obtruncauit. Cœpit deinceps religioſos omnes per edictum imperio expellere: nec vllum ſinebat in habitu religionis captum euadere. Cuſpinianus.*

Alphon-

ALPHONSVS Cardinalis, Pandulphi Petruccij *Senensium tyranni F. vnà cum fratre Borghesio à Leone X. Papa translato ciuitatis imperio in Raphaëlem Petruccium, domo pulsus, non semel cum occulto pugione in Senatum venit, vt nullo protegente, oportunum ictibus Pontificem aggrederetur, interq; tumultuantes & trepidos senatores erũpendo prætorianos falleret. Fertur etiam eum in venatione incautius diuagantem, Prætorianis paßim dispersis, adoriri voluisse: quas omnes cogitationes, propter inauditi sceleris infamiam, vitæq; periculum penitus abiecit. Itaq; ad struendas subtiliores insidias conuersus, Vercellium circumforaneum Chirurgum, admirandis quibusdam experimentis clarum, sibiq; intima coniunctum familiaritate, maximis pollicitationibus perpulit, vt in necem Pontificis operam præstaret, si curandæ fistulæ, quæ illi in ima sede abscessus nata erat, excluso vetere medico vocaretur: quando tum facilè foret, nihil verentem linamentis venenato medicamine intinctis absq; vlla tanti sceleris suspicione protinus enecare. In hanc spem Alphonsus Vercellij peritiam atq; felicitatem laudando, per Iulium Blancium Leonis cubicularium, & Cardinales gratia familiaritateq; valentes aßiduè commendabat, iamq; exturbato vetere medico, locus Vercellio erat patefactus, nisi Leo cunctis aduersantibus salutari quadam verecundia, minimè se nouo medico aperiendum esse iudicasset. Detecta autem re per interceptam epistolam arbitrarijs conscriptam notis, Alfonsus captus in carcere strangulatur: Vercellius & Antonius Alfonsi scriba, curru per vrbem circumducti, raptimq; discerpti cãdentium forcipum morsibus, ad extremum strangulati in frusta secti sunt. Cardinalibus tribus crimen faßis & supplicibus Leo clementer ignouit. Iouius in Leone.*

QVO tempore Mindarus Spartanus magnam *cladem in Hellesponto accepit, Corcyræ sæua seditio exorta est, cum miserabili immensaq; eius vrbis ciuium cæde, quam multis quoq; alijs causis, tum verò maxima populi inter se simultatibus & intestinis odijs excitatam ferunt. In nulla namq; vrbe vsquam compertum est, tantam, tamq; horrendam sanguinis ciuilis effusionem patratam, neq; maiorem vllo in loco, maiorïq; exæstuantem rabie contentionem desæuisse. Ante eam seditionem mutuis odijs interijsse circiter mille & quingentos, memoriæ proditum est, eosq; omnes ciuium vrbisq; optimates. Qui dignitate præstabant inter eos, ad statum paucorum optimatumq; aspirantes, Lacedæmoniorum partes fouebant. At populi turba, societatem Atheniensium complectebatur. A Lacedæmonijs optimates primoresq; vrbium sociarum magistratibus gerendis, & administrationi Reipublicæ præficiebantur. Athenienses contra iura populi statumq; popularem vrbibus constituebant. Corcyrenses itaq; cernentes nobilitatem primoresq; iam paratos ad tradendam in Lacedæmoniorum manus vrbem, præsidia copiasq; ab Atheniensibus accerserunt ad rerum suarum defensionem. Conon prætor Atheniensium Corcyram adnauigans, sexcentos ibi Messenios ex Naupacto ductos, præsidio reliquit, ipse cum nauibus præteruectus in anchoris se constituit ad Iunonis templum. Messenij eos qui Lacedæmonijs adhæserant, inuadunt, ac repentè concursu in forum facto, alios capiunt, nonnullos obuios obtruncant, supra mille vrbe eijciunt, tum veriti numerum potentiamq; & vires expulsorum, seruis libertatem dant, aduenas inquilinos in ciuitatem nomenq; ciuium transcribunt, &c. Diodor. libro 13.*

Bello

BELLO Peloponnesiaco optimates Corcyrenses à plebe Atheniensibus fauente pulsi, Lacedæmoniorum classe reducti in patriam fuerant. Verùm vbi Lacedæmonij Atticarum nauium numerum veriti domum fugere, in Iunonis templum plerique concesserunt. Vnde quidam sunt ad supplicium vi extracti: nonnulli inibi sibi mortem consciuere: quidam mutuis se vulneribus peremerunt. Plebeius ensis ita est in eum ordinem euagatus, vt impunè creditores sint à quibusdam debitoribus interfecti, paterque filium obtruncarit. Alij obstructo Liberi patris delubro necati sunt, estque eò res fœdior visa, quod ad id tempus nulla Græcarum vrbium ciuili fuerat seditione iactata. Peruasit procedente tempore id malum vniuersam Græciam, vt ciuitates ferè omnes in diuersas factiones abiuerint. Quod accidit, vt qui opibus & nobilitate pollerent, optimates sint vocati, reliqua multitudo plebis nomen fuerit sortita. Exules qui medio tumultu dilapsi mortem effugerant, captis muris, qui in continenti erant, inde egressi, sæpius prædam ex insula agebant. Quorum assiduæ incursiones famem haud multò pòst ijs qui in vrbe agitabant, ingentem attulêre. Miserunt exules ipsi Lacedæmonem & Corinthum auxilia imploratum, iam enim in spem venerant recuperandæ vrbis. Sed cum nihil impetrare potuissent, proprijs viribus freti, sexcenti numero, incensis nauibus quibus vsi fuerant, vt omni euadendi spe adempta, cogerentur vel inuiti strenuè insulam obtinere. Histonem montem occupant, ibique muro instructo, ex occasione vrbanam multitudinem assiduis incursibus infestabant. Athenienses cum classe Corcyram aduecti, in oppidanorum gratiam exules subitò adorti ea conditione in fidem receperunt, vt traditis armis in Ptichia insula tamdiu sub custodia essent, quoad Atheniensis

populus de exulibus, quod fieri placeret, suffragio decreuisset, interim fides violari videretur, si quis inde moliretur fugam. Corcyrenses veriti, ne quid Athenis mitius de exulibus statueretur, subornant qui eos occultè adirent, ibiq; velut hospitali iure impulsi, monerent, vt fuga sibi salutem quærerent, compertum habere se Athenis latum suffragium, vt exules, qui in Ptichia insula sub custodia essent, Corcyrensibus ad supplicium dederentur. Res in tanta animorum consternatione credita est, nauigiumq; temerè adepti, quum custodia elapsi naui in altum abijssent, ab ijs, qui ad hoc ipsum præmissi fuerant, intercepti, ab Atheniensium Ducibus nullo alio ex vrbe decreto expectato, Corcyrensi populo, quia fidem violâssent, ad necem deduntur. Aedificio quodam inclusi ad inimicorum libitum, sub custodia non singuli, sed deni viceniq; ad supplicium educti, cum multa exprobratione fœdè trucidati sunt, præter paucos, qui vel cruoris satietate, vel quia non tanta inuidia, vt cæteri eminebant, sine custodia intus relicti, ædificium, priusquam animaduerteret quisquam, interiore parte occluserunt: inde Atheniensium fidem frustra implorantes, in se maiora adhuc multitudinis odia irritârunt: tum conscenso ab ijs, qui ad eorum cædem missi sunt, custodiæ fastigio, tegulis atq; alijs omnifariam telis supernè deiectis, velut ruina quadam obruti sunt. Eorum quidam ne viui caperentur, spicula & sagittas in se missas iugulo admouerunt. Alij restibus quas ex suis vestibus fecerant, suspendio mortem præoccupârunt. Atq; hunc Corcyrensium discordia exitum habuerunt. Sabellicus libro 6. & 7. Enead. 3.

ANNO Iustiniani septimo, Byzantij orta est seditio, *quæ tesseram popularem dedit (hac enim nota se inuicem coniuncti agnouerunt) expulsiq; sunt ciues boni, & incensa ædificia, inter quæ & templum Sapientiæ Dei fuit: sed repressa*

pressa est à Iustiniano, auxilio Belisarij, sublatis authoribus Hypatio & Pompeio, & trucidatis triginta hominum millibus. Procopius. Euagrius libro 4. cap. 13.

APVD Pannonios Sigismundo Imperatore regnante, *in ea Mœsiæ parte, qua recentiori nomine Transyluania appellatur, agrestis, cui Antonio nomen erat: item in alia regione, qua Nyrium & Zamoskenium dicunt, alius Martinus nomine, cùm magnam agrestium manum coëgissent, ipsi quoque se Reges appellârunt, & pro viribus Pannonicam nobilitatem armis insequebantur. Sed haud multò pòst Vngaris principibus ad propulsandum commune periculum ad arma excitis, incondita agrestis multitudo prælio fusa, cum in Vngaricæ nobilitatis potestatem venisset, in contumeliam admissi facinoris hæc mala tulit, quòd eorum nonnullis effossi oculi, quibusdam dissectus nasus, alia autem alijs membra detruncata fuerunt. Egnatius lib. 5. cap. 3.*

MAGNENTIVS in Gallia Constante Imperatore *interfecto, tyrannidem inuasit. Contra illum Constantius ex Oriente mouens, cruento prælio ad Mursam victor & victoriam persequens, Lugduni obsessum manus sibi inferre coëgit. Interea Romæ gladiatores Nepotianum, Eutropiæ sororis Constantini Augusti F. Imp. declarauerant. Quem Heraclides Senator in Magnentij gratiam obtruncauit. Syluanum Ducem in Gallia milites Imperatorem dixere, & eundem mox Agrippinæ obtruncauere: cuius cæde intellecta, Constantius tanto exultauit gaudio, vt ferè insanus haberetur. Gallo patruele homine impurissimo cæso, Iulianum eius fratrem adoptauerat, & Gallijs præfecerat, quem cum milites Augustum salutassent, indignatus Constantius, arma à Persis in Iulianum mouens, ad Mopsocrenas febri extinctus, quem viuum ferre non poterat, moriens successorem declarauit.*

MORTVO Theodosio, & externis & ciuilibus *bellis Oriens atq; Occidens, miserè sunt concussi. Ruffinus perfidia sua Hunnorum Regem Caianum euocauit, ipse ab Arcadio interfectus est. Stilico Honorium generum opprimere cogitans, cum Alaricum Vestgothum in Gallias properantem perfidè violasset, ab Honorio cæsus est cum Eucherio filio. Gildo in Africa tyrannidem exercens, à fratre Mascezele: Mascezel à militibus interfectus est. Gratianus in Britannia res nouas molitus, à Constantino quodam, Constantinus cum Constante F. à Constantio, quem Honorius Cæsarem creauit, domiti sunt in Gallia multo sanguine.*

BASILIO II. Romani F. XXI. annorum *adolescente Imperium Constantinopolitanum suscipiente, Bardas Sclerus Orientis præfectus imperium affectauit, & varia fortuna vsus, multis cladibus Basilium affecit, donec tandem à Phoca Barda Eunucho victus, ad Cosroën Babylonium confugit. Interea Phocas Bardas à Ducibus reliquis Augustus salutatus, acie cum Basilio dimicaturus, equo humi lapso prostratus occubuit, & cum vita Imperium amisit.*

THOMAS fœderatorum ordinum Princeps, *Leonis V. Imperatoris morte intellecta, siue quòd de eo benè meritus esset, siue quòd ad imperium aspiraret, aduersus Michaëlem Traulum, qui imperium inuaserat, Vires suas omnes colligens, haud contemnendas copias eduxit, omnemq; ferè orientalem plagam sibi vendicauit, arreptis simul omnibus vndiq; publicis vectigalibus. Quibus auctus, aggressus est insuper Agarenos, finitima quæq; deprædantes, ob hæc ipsa ciuilia bella: quos suo exercitu insecutus fudit, ac omni commeatu priuauit. Dehinc in colloquium veniens*

cum

cum illis, pacis conditiones has transegit, vt si Rom. Imp. euaderet, fines Imperij illis concederet habitandos. Placuêre conditiones, & percussis fœderibus, Thomas Antiochiam ingressus, à Patriarcha eius ciuitatis Iohanne coronam Imperij accepit, & sese Imperatorem appellari passus est. Michaëlem acie vicit, omnes Orientis regiones subegit, Constantinopolim grauiter obsedit. Tandem Bulgarorum auxilijs victus, Adrianopolim fugit desertus à suis, & manibus pedibusq́ truncatus, in triumpho ductus, crudeliter cum filio necatus est. Cuspinianus.

Ob ignauiam Michaëlis Parapinacei, Nicephorus *Bryennius Proëdrus Dyrrachij tyrannidem occupat, & Constantinopolim obsidet. At Nicephorus Botoniates imperio occupato, Michaëlem in cœnobium detrudit, Bryennium ab Alexio Comneno acie victum oculis priuauit, similiter Nicephorum Basilacium Bryennij successorem apud Dyrrachium captum excæcauit. Defecit à Botoniate Constantinus Constantini Ducæ Imp. F. & ab exercitu Imperator salutatus, sed mox desertus, relegatus est. Interea Comneni duo fratres, Isaacius & Alexius, defectione facta, Constantinopolim proditione ceperunt, & Alexius Imperator creatus est.*

Colomanni F. Stephanus II. Vngariæ Rex *liberis orbus Belæ II. patrueli suo regnum concessit. Quo regnante Borichus Colomanni filius nothus procerum quorundam studijs accitus regnum occupare nitebatur. Contra quem Bela ducto exercitu, vt proditores comprehenderet, conuocata concione suorum, eos percontatus est, an Borichum legitimum Colomanni filium, an adulterio natum pro explorato haberent? Qui de regno bene sentiebant, respondere: Diu se hoc compertum habuisse, Borichum*

adulterinum esse filium. At reliqui mussitare ac dicere, Borichum è legitimo matrimonio natum, Rutenam Colomanni coniugem præter fas & æquum adulterij specie fuisse repudiatam. Qui cum tanquam sorices sese prodidissent, statim supplicio sunt affecti. Lampertum Comitem à Regis pedibus auulsum, frater proditionis impatiens, subselliorum fragmine diffracto capite interfecit. Nicolaum eius filium ante Regem obtruncari iussit. Borichus omisso exercitu, cum paucis vix elapsus, victoriam & regnum Belæ reliquit. Bonfinius libro 6. Decad. 2.

SVB Iustiniano Imperatore grandis orta est Con*stantinopoli seditio, quam Procopius libro 1. belli Persici latè describit, & elegantissimè Zonaras in Iustiniano, ob factionem Venetam & Prasinam, in qua quadraginta ferè hominum millia desiderata sunt. Aedes Sophiæ & alia multa nobilissima ædificia incendio conflagrârunt. Et Hypatius atque Pompeius fratres, Anastasij principis sororis filij, occisi sunt: quòd coadunata ciuili manu circum ingressi, Hypatius torque aureo redimitus pro diademate, locum Imperatoris occupasset, & in clypeo leuatus Rex esset appellatus: Pompeius verò sub chlamyde loricatus, palatiũ inuasisset. Quos Iustinianus vtrosque arcta custodia detentos, tandem obtruncauit. Tum à militibus cæsi, in mare sunt proiecti, ipsorum bona publicata. Aliorumque senatorij ordinis bona in publicum sunt redacta, & ipsi varijs modis excruciati, & incendium nobilissima quæque vrbis ædificia dehonestauit, & quicquid venusti ac egregij reliquum à priori sub Leone incendio superfuerat, absumpsit. Stozas penè vltimus militũ & Martini magistri militum clientulus, tyrannidem in Africa arripiens, authorque seditiosorum effectus, in Ducem Salomonem sæuiebat, totamque Africam tyrannico ritu vastabat. Traiecto*

iecto igitur mari, Belisarius solita felicitate rebelles fugauit, prouinciamq́; liberauit. Cuspinianus.

Anno Christi M. D. XVII. turbæ magnæ in *Londinensi ciuitate à paremptitijs, id est, seruis ciuium ad tempus excitatæ sunt. Ii namq; simultates vt plurimum cum artificibus & mercatoribus externis gerunt, quia æmuli emendi vendendiq́; artis præcipuè sunt. Duo igitur Monachi, alter Dominicanus, alter Canonicus regularis, concionando multitudinem concitauerunt, deplorantes plebis incommoda & iniurias, quibus illa assiduè afficiatur, quòd mercatores artificesq́; alienigenæ ex longinquis partibus illuc aduolent, bonamq́; victus ac lucrorum partem è manibus ciuium rapiant. Ergo authore quodam Iohanne Lincolno, inter se coniurârunt contra opifices externos, vel mercatores, statueruntq́; Calendis Maij, cùm more suo, benè manè eo ipso die solerent sese effundere in agros, atq; inde redire, reportantes ramos virides, vt ne cædis vlla suspicio oriretur, in eos impetum facere, & alios verberare, alios vita, alios fortunis spoliare. Sed dum illi per vicos, perq́; forũ minaciter fremebant iactabantq́; breui futurum, ut iniurias à peregrinis acceptas, quòd sibi victũ eriperent, manibus vlciscerentur, eorum consilia illustrata patefactaq́; sunt, adeò, vt negotiatores externi Regis opem implorârint, rogarintq́; vt se ab iniuria tueretur. Prætor Paremtitios in officio cõtinuit. Iohannes Lincolnus cum quatuor socijs morte multatus est, ac eorum corpora in frusta diuisa ad singulas vrbis portas appensa: item alij numero decem diuersis locis suspendio necati. Erat porrò spectaculum ex omnibus sæculis antea inuisum, cernere fixa humi stare per vrbem tot vno tempore patibula, quæ cum valde ciuium mentes vulnerarent,*

decimo quinto pòst die sublata sunt. Reliqua noxiorum turba collo in laqueum inserto ad Vestmonasterium ducitur, vbi Rex pro tribunali sedens, omnibus suppliciter manus tendentibus veniam concessit. Polydorus libro 27.

MORTVO Sigismundo Imperatore Vngariæ Rege, *secundum Alberti Austriaci coronationem, sæua Budæ seditio suscitatur. Nam cum ciuitas ex Vngarica Alemannicaq́ gente constaret, ob morum dissimilitudinem contrariaq́ studia, grauibus inter se factionibus laborabant: hinc inter eos antiqua conditio fuit, vt vno ex Alemannia, & Vngaria prætorem vrbanum altero anno crearent, quem Iudicem appellant: rata ac firma inter eos fuit ista consuetudo, quæ sacræ sanctionis loco habebatur. Alemanni, quando arte, vrbanitate, opibus & calliditate plus poterant, sæpe infensam sibi gentem prætura priuare studuerant. Nacti itaq; Alemannum Regem, abrogandæ gentis consilia ineunt. Erat in vrbe ciuis, Vngarorum princeps, qui Iohannes Euthues dictus est; vir profecto grauissimus, multi consilij compos, atq; his admodum formidolosus, quandoquidem Alemannorum probra molestius quàm cæteri ferre solebat. Is vnus erat, qui nec in senatu, nec publicè priuatimue suæ nationis dignitatem quoquo modo lædi patiebatur, vnde vniuersam in se Alemannorum inuidiam planè conflauerat. Contra hi hunc vnum in Republica patronum habere putabant, qui liberè vbiq; loqueretur. Iohannem igitur sub prætextu criminis illi ceperunt, in suis ædibus in vincula coniecêre: mox in abditis penetralibus varijs cruciatibus afficere occœpêre: quibus tandem enectum, culeoq́ insutum, alligato gutturi lapide, in Danubium clam demerserunt. Octo circiter dies facinus tale delituit: mox cadauer emersit, ac ripis ab vndis expositum, clandestinum*

scelus

ſcelus indicauit, quum plurima vulnera & ſtigmata circumferret, id ab Alemannis vulgus factum eſſe repentè coniecit, cum his olim infenſum nimis eſſe cognouerat. Eo tempore noui Regis gratia multum nobilitatis Vngaricæ Budam fortè confluxerat: deprehenſo facinore, tumultus in vrbe ab Vngaris excitatur, atque ingens mox oborta ſeditio. Hungari Teutones in domibus obſident, expugnant, nulli ſexui, nulli ætati parcunt. Albertus Rex vti populum ſedaret, Iacobum Marchianum Minoritam (Aeneas Syluius Capiſtranum habet) ablegat, cum ipſe furori populi ſe credere non auderet. Iacobus ſimulachrum Saluatoris crucifixi manu geſtans, furenti armatoque populo obuiam factus, vt cædi parcant ſupplex orat. Ille verba eius minimè intelligentes (neque enim tempus ferebat interpretem) boni ominis loco Chriſtum ſuis cœptis Ducem habituri, ſublimem Iacobum, ſimulque crucifixum in vlnis attollunt, ac bacchati per vrbem, nunc iſtam, nunc illam domum compilant. Fiunt tamen aliquanto minora ſpolia, & à cædibus temperatum eſt ob præſentiam Iacobi, modò precibus, modò lachrymis furorem incenſæ plebis lenire conantis. Aen. Syl. cap. 1. Europæ. Bonfinius lib. 4. Decad. 3.

ANNO Salutis 1524. menſe Nouembri, *cœperunt à ſuo Domino, Comite Lupfio, Sueuo, diſſidere homines ruſticani, propter onera, quibus grauari ſe nimium querebantur: idem & alij deinde vicini faciebant, in ſuum quiſque magiſtratum, ita quidem, vt imperij ſenatus, qui per abſentiam Cæſaris Caroli V. Rempub. procurabat, & tum erat Eſlingæ, miſſis legatis controuerſias aliquot ſedaret. Et hoc quidem fuit initium maximi periculoſiſſimique motus, qui magnam deinde Germaniæ partem peruaſit. Sequentis anni vere primo, per Sueuiam atque vicinam Germaniæ*

 par-

partem, quæ est ad Danubium, altera fuit exorta tempestas ordinis plebei contra quosdam proceres Ecclesiasticos, iamq́ iureiurando ac fide data societatem coibant, obducta causa, quasi & Euangelij doctrinam tueri, & seruitutem ab se profligare vellent. Euulgata quædam ipsorum postulata, numero ad XII. de quibus à magistratu sibi fieri satis volebant, ea mox alijs communicata, paßim nouos incendebant motus. Sueui confœderati Vlmam cum copijs tendunt in rusticos, qui tunc primum & ipsi prodeunt in aciem, tripartito exercitu. Vnum agmen consedit prope Biberacum, alterum in Algouia, tertium ad lacū Brigantinum seu Constantiensem. Sueuici fœderis Imperator Georgius Truccesius VValpurgus, cum suis copijs Lippeniū profectus, quod est duobus infra Vlmam milliaribus oppidulū, proximè Danubium, vbi magno numero illi consederant, non expectatis peditum turmis neq́ tormentis, & equitum inuectus caterua, magnā eorum partem concîdit: reliqui se in flumen præcipitauerunt, atq́ ibi oppreßi perierunt: Oppidum deditione captum diripitur, & ex hostibus multi capite plectuntur. Qui per Algouiā erant, Truccesio se dedidêre. At in diuersa parte Sueuiæ circa Halam & per Franconiā ingenti numero alij confluxere, & Paschatis die VVinspergū occupauere, nobiles trucidauere, Ludouicum Comitem Helfestenum hastis vtrinq́ proiectis confodere. Copijs diuisis vnum agmen tendebat in agrum VVirtenbergicū, & ibi plerisq́ locis occupatis, Eßlingā rectà petit. Eos Truccesius profligauit, interfectis aliquot millibus: in captiuos etiā grauiter animaduertit, eos potißimum, qui Comitem Helfestenum trucidârant, ex ijsq́ vnum cathena laxè religatum ad palum, vt discurreret, circumposito igni torret, ad eumq́ excitandum ignem ipsemet ligna comportat, idem alij ex nobilitate faciunt. Pòst oppidum

VVinsper-

VVinspergum incendit, & ne rursus ædificaretur, edicit. Alterum agmen in Franconiam ibat, & incensis illic circiter ducentis arcibus, nobiliũ ædificijs & monasterijs, eoq; amplius, VVirciburgum vrbem capiunt, & arcem obsident. Truccesius autẽ ex agro VVirtenbergico superueniens, ad Engelstatum vicum eos concîdit. Pòst VVirciburgum recipit, Ludouici Palatini auxilijs. Iam verò incendiũ hoc in vicinam quoq; Lotharingiam peruenerat. Antonius Dux ad Tabernas vsq; progressus, quo loco tã Lotharingici quàm Alsatici maximo numero conuenerant, cum aliquot insuper rusticanorum millia his auxilio venirent, prope vicũ Lupfenstenum, ad mille quingẽtos occidit, reliquis fuga dilapsis, & postridie in eos, q̃ circa Tabernas erant, ingentem edit stragem. Qua tamen in re fides desiderata fuit. Nam iussi deponere arma, & impunitate promissa, cum per medias equitum & peditum cohortes prodirent inermes, domum quisq; suã redituri, leui quadam occasione concitata turba, cæsi fuerunt magna sui parte: pòst à furente milite direptum est oppidum, & arx Episcopi, ciues etiam & promiscuè omnes interfecti, nullo discrimine. Ea facta strage, cum princeps domum rediret, alter rusticorum exercitus ad vallis VVileræ fauces consederat, vt transitu ipsum prohiberent. Sed commisso prælio cæsi fuerunt supra millia quatuor. Itaq; maxima cũ præda plurimisq; captiuis domum reuertit. His tribus autem locis ad XVII. millia putantur esse cæsa, mense Maio. Consimilis fuit passim aliorum etiam exitus, & ad Petershemum agri VVormaciensis oppidum, magno numero fuerunt à militibus occisi, cum facta deditione arma deposuissent. Aderant huic cæde princeps Palatinus, & Archiepiscopus Treuirensis Richardus: quorum ille quidem magna vi conabatur furentem militem retinere, hic autem non solum probâsse,

verum etiam multos ipse confodisse fertur. Quibusdam tamen in locis, dexteritate magistratus & intercessorum, placidè res composita fuit. Sic motus Brisgoicus contra Ernestum Marchionem Badensem ab Argentoratensibus, & Songauicus contra Ferdinandum Regem ab Heluetijs compositus fuit. Hoc incendium inde à Turingia & Saxoniæ finibus ad alpes vsq; penetrauit, per Salisburgensem etiam agrum excitata demum seditione, quam exercitus Sueuici fœderis tandem oppreßit, multis proscriptis. In quorum numero fuit Geismeierus rusticorum Dux, qui per Alpes cum parte copiarum ad Venetos penetrauit, ab ijsq; stipendio donatus annuo, Patauij tandem proditione interfectus est. De numero cæsorum in hoc bello, quod æstate fuit vna confectum, non idem omnes iudicant: qui minimum, ad quinquaginta millia paßim occubuisse ferunt. Sleidanus libro quarto.

ANNO Christi 1461. Cracouiæ oborta seditio, *in qua Andreas Tencinius, vir vetustate & claritate familiæ nobilis, concursu ac tumultu vrbanæ multitudinis in æde diui Francisci memoriæ dicata oppugnatus, effractisq; foribus in adyto seu sacrario inuentus, immaniter trucidatus est: interfecti cadauer per mediam plateam, quæ Fratrum dicitur, in forum contumeliosè tractum, luto oblitum, & pugionibus confossum, ambustaq; barba & capillis ludibrio habitum, & biduò in curia ciuitatis, quod Prætorium vulgo vocant, asseruatum, tertia demum die amicis ad sepulturam redditum est. Cromerus lib. 24.*

BELLO Iudaico confecto, Iudæi qui Antiochiæ *erant, astu cuiusdam apostatæ grauißimè sunt à gentilibus circumuenti. Nam Antiochus quidam, cuius pater Iudæorum princeps erat, (consilijs facinerosorum hominum, qui*

ære alieno obstricti, forum & scripta publica concremandi occasionem sibi dari cupiebant) cum Antiochensium populus concionaretur in theatro, progressus in medium, patrem suum & cæteros deferebat, insimulans eos, quòd vna nocte totam ciuitatem incendere statuissent: & velut huius consilij participes quosdam hospites Iudæos tradidit. His autem auditis, populus iram cohibere non poterat: sed in eos quidem qui traditi fuerant, ignem iußit afferri, statimq́ omnes in theatro concremati sunt. In multitudinem verò Iudæorum properabat irruere: si eos celeriter vlti essent, patriam suam seruatum iri existimantes. Antiochus autem iracundiam magis accendere, mutatæ voluntatis argumentum, quodq́ Iudæorum mores odisset, exhibere se credens, si paganorum ritu sacrificaret, idemq́ iußit & cæteros compelli facere, renuendo enim manifestos insidiatores fore. Huius autem rei periculo ab Antiochensibus facto, pauci quidem consenserunt: alij verò qui noluerunt, perempti sunt. Antiochus autem acceptis à Romanorum Duce militibus, sæuius instabat suis ciuibus, nequaquam eos die septimo ab opere cessare permittens, sed omnia cogens facere, quæ diebus alijs agerent. Tamq́ validam necessitatem imposuit, vt non modò apud Antiochiam septimæ diei feriæ soluerentur, sed ab hoc exordio in cæteris quoq́ ciuitatibus ad breue similiter tempus fieret. Iudæis eiusmodi mala perpeßis, altera denuò calamitas accidit. Namq́ quod quadratum forum exuri contigit, & archiua monimentorumq́ receptacula publicorum, itemq́ basilicas, vixq́ ignis inhibitus est super omnem ciuitatem magna nimis vi ruens, huius facti Antiochus Iudæos accusat: & Antiochenses fidem habere dictis suis persuasit, vt penè se vidisse ignem à Iudæis inijci arbitrarentur: & tanquam furore correpti,

magno cum ardore cuncti aduersus eos qui accusabantur, impetus facerent. Vix autem motus eorum potuit reprimere collega adhuc iuuenis legatus, postulans sibi permitti referre ad Cæsarem gesta. Iosephus lib. 7. cap. 21. Belli Iudaici.

SCRIBIT Eusebius libro 4. cap. 1. hist. Ecclesiast. *Dion, & Eutropius, circa annum decimum octauum imperij Traiani, Iudæorum calamitates maiorem in modum inualuisse, quas proprijs ipsi sibi furoribus conciliarent. Primùm enim, qui in Libya, Aegypto, Alexandria, apud Cyrenem etiam & Thebaida habitârunt Iudæi, infesta multa vicinis gentilibus, inter quos habitabant, intulere certamina, ita vt carnibus etiam ipsorum, quemadmodum Dion scripsit, vesci, sanguine eorum tingi, ac pellibus velari cœperint. Quosdam per medium vsq; ad verticem dissecuere, alios bestijs laniandos obiecere, alios in mutuas digladiationes commisere, adeò vt circa Cyrenem solam, ducenta & amplius (vt Dion ait) hominum millia delata sint: strage illa excepta, quam apud Aegyptum ediderunt, ac Cyprum, in qua insula circiter ducenta & quadraginta hominum millia trucidârunt. Libyam certè adeò vastam & vacuam hominibus à Iudæis esse factam, Eutropius & Orosius tradiderunt, vt nisi Hadrianus Colonias aliunde in eam deduxisset, deserta prorsus relicta esset. Atq; hæc tamen nondum belli, sed seditionis & tumultus speciem habuerunt. At sequenti anno, numero & armis instructi, bellum intulere Lupo, qui tum totius Aegypti Præses erat, vbi in primo quidem conflictu Iudæi victoriam obtinuerunt, sed qua paulò pòst amissa rursus, & miserabili eorum interitu permutata est. Nam quæ desperatione victoriæ ex prima pugna Alexandriam confugerant gentes, ibi Iudæos omnes interemerunt. Consistentibus interea alijs apud Cyrenem, qui audita clade*

eorum

eorum, qui se Alexandriæ præsidiorum loco continuerant, ad agros Aegypti, & castella depopulanda duce Luca se conuerterunt. Contra quos Traianus Marcium Turbinem misit, qui pedestri, nautico, & equestri bello eos aggressus, longo quanquam & difficili bello superauit, interfectis Iudæorum multis myriadibus, non per Cyrenem modo, sed Aegyptum omnem. Erat adhuc reliqua Iudæorum manus apud Mesopotamiam, ad quam opprimendam L. Quintum Imperator misit, qui bello eos graui persecutus prostrauit & deleuit.

SVB annum Hadriani decimum septimum noua rabie & væsania correpti, iterum bellum cum Romanis infelicissimũ gessere, post quod deletionem extremam paßi sunt. Dion Iudæis dolorem & belli causam illud peperisse, quod Hadrianus Hierosolyma gentibus etiam inhabitanda concesserat, & ex aduerso templi propriam & ipsi Ioui ædem extruxerat. Spartianus verò hanc eius causam prodidit, quòd genitalia Iudæi circumcidere prohibiti fuerint. Ducem sibi quendam delegerunt Barocchabam (qui se filium stellæ vocauit, vt alluderet ad Prophetiam Bileam, maioremq; ad omnes ausus sibi authoritatem conciliaret) cuius insignis in Christianos fuit crudelitas, propterea quòd expetiti à Iudæis & postulati ad belli communis societatem, subsidia sua denegassent. Hadrianus congressus cum Iudæis, fame prius ac siti domitis, ad oppidum Hierosolymis vicinum Bethora victor de illis euasit, interfectis vnius diei prælio (vt Nicephorus scribit) quinquaginta octo myriadibus. Anselmus, qui Iulium Seuerum eius belli Præfectum fuisse scribit, cæsa esse indicat quinquaginta Iudæorum millia, arcibus eorum captis quinquaginta, vicisq; nongentis &

octoginta quinq; fame, ferro & igne deuastatis: cæteris in perpetuum quàm longißimè & vrbe expulsis, ac per orbem terrarum diuenditis. Fuit hæc nouißima Iudæorum deletio. Nam nec vrbem nomen vetus retinere Hadrianus voluit, sed restauratam de suo nomine Aeliam Capitolinam, vt Dion ait, vocari iußit: nec è longinquo etiam patriam antiquam Iudæis aspiciendi potestatem esse, legibus cauit. Addit Eusebius in Chronico, curasse Hadrianum, vt ad partem superiorem portæ, quà in Bethlehem iter esset, ad maiorem ignominiam Iudæorum, marmorea suis effigies affigeretur, in perpetuam memoriam, Romanorum potestati omnem Iudæorum gentem esse subditam. Author Dion est, extremam eam cladem præceßisse inusitata prodigia: Sepulchrum Salomonis, quod in summo cultu Hierosolymis & reuerentia Iudæi habuêre, spontè & nullo impellente corruit: lupi ac hyenæ in vrbes vltrò ingressæ, vlulatibus mala imminentia denunciârunt.

ANNO IIII. Iustiniani Imp. Samaritani & Iudæi *in Palæstina, quendam Iulianum Regis corona ornatum sibi præfecerunt, armisq; contra Christianos sumptis, rapinas, cædes, & incendia ediderunt. Hos Iustinianus occidione deleuit, Iulianoq; caput amputauit. Cedrenus.*

SOCRATES lib. 7. cap. 13. narrat, diaboli*co facinore Iudæos malitiam suam extremam prodidisse in quodam loco, quem Inmestar vocant, inter Chalcedonem & Antiochiam Syriæ. Nam cum ibi ludicra agerent, & poculis indulgerent, Iudæi, non tantum Christianos & ipsum Christum horrendis ludibrijs & conuicijs prosciderunt, sed etiam erecta cruce, misellum puerum Christianum vi apprehensum, in eam crucem suspenderunt, & tamdiu verberârunt, donec expiraret. Imperatores re cognita, de authoribus sceleris graues sumpsêre pœnas.*

Impe-

IMPERANTE Alberto Austriaco, quidam cognomine Rindtfleisch / *conditione agricola, se, vt Iudæos vbique gentium deleret, cœlo demissum, diuinitusq́ue delectum prædicat. Credit vulgus turmatimq́ue prouolans, Ducem sequitur. Orto tumultu, Iudæi in omnibus ferè Franciæ & Boiariæ ciuitatibus ac oppidis concremantur: viri atque fœminæ obstinatissimo animo cum paruis liberis, omniq́ue supellectile in medium se incendium mittunt. Albertus Imp. furore vulgi euanescente, grauiter de percussoribus Iudæorum supplicium sumpsit, aliosq́ue in vrbibus vnde excisi erant, collocauit. Auentinus lib. 7. Annalium Boiorum.*

ANNO 1145. fame permaxima in Gallijs grassante, *Ecclesiarum Christi munificentia tanta fuit, vt multa modiorum millia in pauperes erogarent. In Lingonensi Parochia apud Morinandum, vbi quamplurimi quotidiana stipe fouebantur, quidam diuendens carnes hominum à se iugulatorum coctas, deprehensus, laqueo necatus est. Sigeberti continuator.*

HENRICVS robore & venustate corporis atq; *acumine ingenti præstans, ab Henrico III. cui ab intimis fuerat consilijs multis annis, Ecclesiæ Augustanæ præfectus est. Sed insolentia, seueritate, & fastu, multorum animos à se auertit. Adhæc, nimis familiariter, remotis arbitris, cum Imperatoris coniuge, Agneta conuersari visus est, quæ res non modo suspicione non caruit, verùm ipsi extremum attulit exitium. Imperator enim re cognita, Episcopo vim intentat, missoq́ue milite, eum capere iubet. Qui cum in arcem Falckenstein se abdidisset, obsidione cinctus, deditionem facit. Rex reliquos impunè abire permisit, at Episcopi pudenda, lignea cuspide transfixit, sicq́ue Augustam re-*

 dire

iussit: in itinere ex vulnere interijt. Anno Christi, 1063. Herman. Constractus, & Schafnaburgensis.

Cassander Antipatri F. Alexandri Magni *odio flagrans, eius domum totam funditus euertere contendit. Nam & Olympiadem Alexandri matrem, ijs Macedonum, qui in eam acerrimis flagrabant odijs, lapidibus obruendam tradidit: & Alexandri filios, Herculem ex Barsine, Alexandrum ex Roxane susceptos, venenis peremit. Neq; tamen ipse satis fortunatus è vita discessit, neq; eius stirpi incolume regnum permansit. Ex morbo enim aquæ subter cutem fusæ, viuens etiamnum erumpentibus undiq; vermibus, extabuit: Ex eius verò liberis Philippum natu maximum regno iam inito tabidi corporis lues sustulit. Cui cum successisset Antipater, Thessalonicen illius matrem interfecit, Philippo Amyntæ filio & Nicasipolide genitam. Parricidij ea fuit causa, quòd ea plus beneuolentiæ Alexandro, qui erat Antipatri liberûm minimus, impertiret. At hic accito in auxilium Demetrio, fratre interempto, matris cædem vltus est. Verùm intellexit percussorem paratum, quem sibi socium adsciuerat. A Cassandro itaq; Deorum aliquis, quisquis ille fuerit, meritam pœnam exegit. Pausanias in Bœoticis.*

FINIS LIBRI PRIMI.

TRAGICORVM, SEV TRISTIVM ET HORRIBILIVM HISTORIARVM

Liber Secundus.

ENgerranus Marinius aulicorum intimus apud Philippum Pulchrum Francorum regem nihil non poterat. Mortuo Rege, premendi hominis princeps inuentus est ex ipsa regia Carolus Valesij Comes, noui Regis Ludouici Hutini patruus. Causa atrocis odij, quòd dum apud Pulchrum controuersia esset inter duos summos Normanniæ proceres, Haricuriam, Trancredouillanumq; : alteri Engerranus, alteri Carolus aderat. Exorta contentione, exardescentibusq; studijs, mentiri Carolum Engerranus dixit. Id verbum nobilitati grauius omni vulnere, in memoria Caroli eo vsq; sedit, vt viuo Pulchro fratre exequi dolorem non ausus, in rudimento regni Ludouici Hutini vltionem petierit. Peculatus reum agere placuit, accusatore Iohanne Annali. Engerranus cernens crimina secundis auribus à Rege accipi, se rei capitalis, non pecuniariæ existimationisúe reum agi: velut certa, si nimij splendoris sui memor esset, cruce ante oculos obuersante, in quam demissißimam potuit humilitatem se deyciens causam suam egit. Reductus ergo, & quia fides criminum non fiebat, & quia turpe erat, noui Regis supplicem ad supplicium abstrahi, ad Iudices legesq; reiecta causa. Cum trahitur ampliaturq;, dicitur deprehensa esse Engerrani

vxor,

vxor, quæ Pauioto Mago præceptore simulachrum cereum fingeret. quod leui igni admoueret, vt eo paulatim liquescente, perinde sensim ac lenta tabe rex deperiret. Magi gula fracta: & Engerranus furca suspensus. Ad hoc statua quæ ad summos gradus regiæ posita ei fuerat, amota. Locus vacuus, basisq; inanis hodie visitur. Mox illos, quibus gaudio fuerat supplicium viri, desiderium eius cepit, & insecuta mala, diuinæ ex Engerrani nece iræ attribuebantur. Carolus Comes graui morbo correptus, cum nec extingueretur, nec vlla ope humana leuaretur, pœnas defuncto dare diuturno supplicio miserrimè animam trahens videbatur. Nullum igitur erga inopes liberalitatis, nullum in superos templaq;, nullum pro Engerrano deprecationis obsecrationisq; genus omisit. Tandem vi morbi, quæ in præsens resederat, rursus grassante, nullum religionis munus, nullas cœlestium pacis impetrandæ partes omittens, exorauit regem Francum, vt Engerrani propinquis redderetur illius corpus furca refixum: eiq; amplè magnificeq; summaq; religione suis ipse impensis funus fecit, iustaq; persoluit, ne morte sua illi parentaret. Sic quoque continuò obijt. Aemilius libro 8.

MONS, accola montis Silicei, in Patauino agro, *proditionis insimulatus, cum Veronam ad Ecelinum tyrannum deduceretur, fortasse animos ei faciente innocentia, magnis clamoribus vociferatur: Neq; se, neq; suorum quemquam proditionis infamia ac crimine vnquam laborasse. Quæ verba cùm tyrannus à Palatio audiret, eò descendit, vbi mons erat, subitaq; concitus ira, atq; toruo vultu Monti appropinquans, inquit: Proditor, etiam hiscere audes? Quo verbo tanta animi indignatio Montem perculit, vt nequaquam excusare obiectum crimen cogitaret: verùm in ty-*

in tyranni collum inuasit, adimereq́ pugionem quo cinctus erat, contendit. Quod cum facere nequiuisset, in terram prostratum vnguibus atq; dentibus ita deformauit, vt vix multis diebus sanari vulnera possent, tandemq́ oppressum enecuisset, nisi ab astantibus ministris Ecelinus adiutus, & Mons interfectus fuisset. Fulgosus lib. 9. cap. 3.

IOHANNES Andreas Lampugnanus Mediolanensis *ciuis, in iudicio contendebat cum Branda Castilionense, Comensi Episcopo. In qua re, vir qui patrimonium alea ac prodigalitate decoxerat, cum litis detrimenta grauiter faceret, & vt fieri solet, in Principem malorum suorum causas conferret: in tantam non iram, sed rabiem exarsit, vt neglectis quæ supererant fortunis, cum sextum mensem in ea animi perturbatione perseuerasset, ingressum Mediolani principem Galeacium sancti Stephani fanum, qua die illius memoria colitur, vt missarum solennia audiret, tribus comitibus adiutus, interemit. Neq; verò militaris cohors, quæ armis tegere Principis corpus solebat, tueri eum potuit: quia repente Iohannes Andreas, cum nullus tam grande facinus ausurum quenquam putaret, ad patrandum scelus apparuit. Qui dum postea re peracta apparitorum telis confoderetur, sæpius, Ita mori volo, horrenda voce exclamauit. Fulgosus libro 9. capite 3.*

HYRCANVS Iudæorum Rex atq, Pontifex, à *fratre Aristobulo pulsus, & postea per Pompeium recuperato regno, cum omnibus quæ antè possederat, eius possessionem quadraginta annos quietè retinuit. Deinde à nepote Antiocho, Aristobuli filio, atq; Parthis pulsus, desectis auribus, in Parthiam captiuus est abductus. Cum postea Antigono Herodes successisset, arte magnisq́ promissis*

iterum in Iudæam perductus Hyrcanus, cum in priuata fortuna quieturum se speraret, propter falsas suspiciones ab Herode occisus fuit: in eoq́ Assamonæorum regnum finem accepit. Fulgos. lib. 6. cap. 11.

AD inuidiam vsq; Polycratis Samiorum tyranni *abundatissimis bonis conspicuus vitæ fulgor excessit, nec sine causa. Omnes enim conatus eius placido excipiebantur itinere, spes certum cupitæ rei fructum apprehendebat: vota nuncupabantur, simul & soluebantur: velle ac posse in æquo positum: semel duntaxat vultum mutauit perquam breui tristiciæ salebra succussum, tunc, cum admodum gratum sibi annulum, consilio Amasis Aegyptiorum regis, de industria in profundum, ne omnis incommodi expers esset, abiecit, quem tamen continuò recuperauit, capto pisce, qui eum deuorauerat. Sed hunc, cuius felicitas semper plenis velis prosperum cursum tenuit, Orœtes Darij regis præfectus, in excelsissimo Mycalensis montis vertice cruci affixit: ex qua putres eius artus, & tabido cruore manantia membra, atq́ illam læuam, cui Neptunus annulum piscatoris manu restituerat, situ marcidam Samos amara seruitute aliquamdiu pressa, liberis ac lætis oculis aspexit. Valer. Max. libro sexto capite vndecimo ex Herodoto.*

DION Hipparini filius, in exilium missus à Dionysio, *cum bis mille militibus eum rursus expugnauit: effecitq́ vt in quo statu ipse fuisset antea, in eum iam suæ calamitatis authorem detruderet. Sed felicitate ea parum diuturna existente, à coniuratis, quibus ipse libertatem dederat, trucidatus est. Aelianus libro quarto variæ historiæ.*

Diony-

DIONYSIVS iunior tyrannus Syracuſanorum, poſsidebat non pauciores quadringentis ſeremes & quinqueremes, pedeſtres copias ad centum millia hominum, equitum nouem millia: in promptu habebat omnem apparatum bellicum quingentis nauibus. Reconditum frumentum ad centum modiorum myriades, & armamentarium ſcutis, gladijs, haſtis, & catapultis plenum refertumq́. Verùm paulò pòſt ſenſit, labante fortuna, omnium ſuarum rerum pernicioſiſsimas viciſsitudines. Ab Icete enim Leontinorum tyranno obſidione preſſus, cum præter arcem Syracuſanam omnia amiſiſſet, Timoleontis Corinthi fidei ſeſe dedens, cum pecunia & paucis amicis in Timoleontis eſt caſtra clam Icete deuectus. Ac tum primum priuatus & demiſſus eſt viſus, vnoq́ nauigio cum modico pecuniæ Corinthum deportatus: qui in tyrannide natus fuiſſet & enutritus omnium clariſsima & maxima, quam decem annos tenuerat, alios fuerat duodecim à bello per Dionem geſto certaminibus & bello iactatus. Hic ſcelera ſua ſuperauit calamitatibus: filiorum enim adultorum funera, filias virgines conſpexit conſtupratas, ſororis eiuſdemq́ coniugis obſcæniſsimis libidinibus ab hoſtibus violatum corpus, eam inde vi cum liberis peremptam & in altum demerſam. Dionyſium, poſtquam delatus Corinthum eſt, nemo fuit inter Græcos quin aſpicere & appellare deſideraret. Alij cladibus eius ex odio læti libenter eò concurrerunt, vt à fortuna velut præcipitatum conculcarent: alij inclinationem reſpicientes atque vicem eius dolentes, contemplabantur in rebus infirmis mortalium & manifeſtis exemplis obſcurarum & diuinarum virtutem cauſarum. &c. Plutarchus in Timoleonte, Iuſtinus libro 21.

LYSIMACHVS Thraciæ & Macedoniæ Rex, *sublatis Antigono, Demetrio, Ptolemæo, Pyrrho æmulis, beatus sibi videbatur, quando Agathocles filius, ab Arsinoë nouerca Ptolemæi Lagi filio veneno sublatus est. Hoc primum impendentis ruinæ initium. Secutæ inde Principum cædes, supplicia luentium, quod Agathoclis interitum liberius questi essent. Mox qui exercitibus præerant, ad Seleucum defecerunt, quorum impulsu Lysimacho bellum intulit, idq́ue vltimum certamen fuit successorum Alexandri, & velut ad fortunæ exemplum hi duo reseruati, annos quatuor & septuaginta Lysimachus natus, Seleucus tribus adhuc annis maior. Lysimachus quadraginta liberis alijs alio casu amissis, postremus ipse domesticæ cladi cumulus accessit. Lætus ea victoria Seleucus, quod vnus ex omni cohorte Alexandri, & velut victorum victor superfuisset, septimo victoriæ mense à Ptolemæo magni Ptolemæi filio, Arsinoës fratre, insidijs exceptus perijt, regnumq́ue Macedoniæ, quod Lysimacho ademerat, cum vita perdidit. Sabellicus libro octauo Enneadis quartæ, ex Diodoro Siculo.*

INCONSTANTISSIMA fuit Demetrij eius, *cui Nicatoris cgnomentum fuit. Nam cum in prælio pater Demetrius Soter, Seleuci filius, aduersus Alexandrum Balantem, qui se Antiochi Epiphanis filium ferebat, vitam cum Syriæ regno amisisset, & ob eam causam ipse in Cretam profugere coactus esset: inde amicorum ope adiutus, Alexandro magnis viribus resistente, nihil profecisset, nisi fortuna inexcogitato casu eum subleuasset. Nam cum Ptolemæus Philometor, cuius filiam Alexander duxerat, genero opem in eo bello magnis viribus ferret, detecta coniuratione, quam in eum Alexander moliebatur, mutata in Alexandrum voluntate, iniuriam vlcisci decreuit. Itaq́ue ereptam*

ptam ex eius matrimonio filiam, Demetrio Nicatori coniunxit, fœdereq́ inito, cum in Alexandrum arma, quæ ante pro eo habuerat, conuertisset, Alexander in Arabiam pulsus, illic est occisus, relicto filio Antiocho, quem Græci Theon, hoc est, Deum appellârunt: qui Diodori Apameni, Tryphonis cognominati opera, Demetrium in Syria persecutus, paruo tempore, vt pater, regno eum deiecit. Nicator verò, cum se in Ciliciam recepisset, seruante eum ad alios grauiores casus fortuna, misso Syriaco bello, à Græcis quibusdam vocatus, in Parthiam se contulit, fretus Parthica expeditione confecta, facilius Syriæ se recepturum esse regnum. Sed in contrarium res ei cessêre: quippe in prælio à Parthis captus, apud eos in carcere est asseruatus. Variante autem sæpius Syriæ fortuna, post Antiochi Dei ac Diodori mortem, item fratris Antiochi Soteris, qui in prælio à Parthis cæsus fuerat, Nicator à Parthis liberatus est, atq; in aui regno restitutus. In quo, variante rerum fortuna, haud diu mansit. Nam ab Alexandro Zebenna, qui apud Ptolemæum Physconem Regem Aegypti in magna gratia erat, motis in eum armis, superatus pulsusq́, cum Ptolemaidem ad Cleopatram coniugem se recepisset, inde exclusus, in Tyrum modico seruorum comitatu nauigauit, vt ibi se templi religione tueretur. Sed vix bene adhuc appulerat, cum priusquam asylum teneret, ab insulæ præfecto interficitur. Seleucus inde, alter ex Demetrij filijs, quia iniussu matris diadema assumere esset ausus, illius opera interficitur, altero filio Antiocho, cui ob nasi magnitudinem Grypho cognomen fuit, rege constituto. Sabellicus libro 1. Ennead. 6.

ZEBENNA negociatoris Protarchi filius, Euergetis *Ptolemæi fictione, & fortunæ præsidio factus est Syriæ*

Rex. Sedens igitur in throno regio, mercimoniorum oblitus, & in stolidam superbiam delapsus, insolenter agere, & in Euergetem, qui eum promouerat, ingratus esse cœpit. Quod tam ægrè tulit Euergetes, vt cum sciret Gryphum Demetrij Regis filium, Syriæ titulo magis quàm regno insignitum, superuiuere, eum statim concitârit in Zebennam. Victus Zebenna, fugit Antiochiam, vbi pecunijs exhaustus, Iouis simulachrum ex auro solidum auferre sategit. Commota vrbe fugiens: maris tempestatibus agitatus, & à socijs desertus, captus est à latronibus, & Grypho viuus transmissus, à quo miserè occisus est. Guido Bitur.

NERO Cæsar ab immensis delicijs, quibus antè *vtebatur, in omni re sua immodicus, omnium odio eum premente, in serui sui domum profugit: atque illic vrgente siti, qui aureis gemmatisque vasis assueuerat, velut nouus Diogenes, quia aliter non poterat, è caua manu poculum sibi fecit, & cum calcei deessent, atque ipsi in nudis pedibus per cannetum nuperrimè desectum transeundum esset, vt occultè locum peteret, in quo latêre posset, magna ex parte pronus, per terram in quadrupedis speciem perrexit, atque ne acuti cannarum stipites læderent, vestem subdidit. Ad hanc necessitatem redactus est, qui olim vrbes, prouincias ac regna dare consueuerat, vt calceos in pedes non haberet, manuque pro pedibus vteretur: & deficiente vase, manum pro poculo adhiberet. Fulgosus libro 7. capite 6. ex Suetonio.*

VARII ac graues A. Vitellij casus fuerunt. *A Galba enim in Germaniam ad regendos exercitus missus in viaticum pecuniarum rationem nullam habebat, nisi vxoris margaritas vendidisset, quæ postea cum socru, in parte*

parte alienarum ædium habitauit. Ipse quoque dum ab vrbe discederet, vix à creditoribus explicare se potuit. Is tamen ex tam humili fortuna ab exercitu in Germania creatus Imperator, Romam venit Augusti nomine salutatus. Ceterùm fortuna, quæ tam feliciter arridere ijs visa est, breui tantam felicitatem in miseriam luctumq; conuertit: captumq; atque vinctum Vespasiani militares Duces per vrbem traxerunt, apposito gladij mucrone sub mento, ne vultum obtegere ab iniuria posset, cum cœno sordibusq; eum pueri incesserent. Cæsus per hunc modum, & ad scalas Gemonias coniectus, ad quas aliorum corpora projciebantur, quibus sepeliendi ius negatum erat. Fulgosus libro 6. cap. 11. ex Suetonio.

IMPERANTE Galieno, cum Celsus priuatam *in Africa vitam ageret, vbi tribunus per aliquot tempus fuerat, ob insignem iusticiam venerabilemq; aspectum, Paßieni opera, qui in Africa proconsul erat, item Pomponiani, qui fines Libycos tuebatur, ab exercitibus Imperator creatus fuit. Sed cœptum hunc fauorem mutante fortuna, Galienæ opera, Galieni Imperatoris propinquæ, post septimum diem interfectus est, & corpus à canibus deuoratum. Fulgosus libro 6. cap. 10.*

BELISARIVS Iustiniani Imperatoris archi*strategus, deuictis Persis, vltraq; Euphratis ripam deiectis, non multò pòst in Africam missus, Vandalos omnes eiecit, Gilimeremq; eorum Regem cepit, deq; eo postmodùm triumphauit. Hinc in Italiam exarchus missus, Gothicum omne nomen contudit, Romam libertate donauit, de Vitige Gothorum rege apud Rauennam capto, Gothisq; ipsis omni Italia pulsis triumphauit, omnibusq; in prouincijs*

maxi-

maxime insignis semper extitit. Constantinopolim reuocatus, premente inuidia excæcatus, in Sophiæ templo panem mendicare quotidie coactus est, frequenter hac voce vsus: Panem Belisario date, quem virtus extulit, inuidia oppreßit. Egnatius libro sexto capite 10. & Pontan. lib. 2. cap. 8. de fort. domest.

IAM decimum annum Iustinianus II. Constantinopoli *imperabat, cum à Leontio Patricio captus, imperium & nasum simul amisit, atq; in exilium Chersonam, quæ in Ponto est, missus fuit. Leontius tertio anno pòst, & naso & imperio priuatus à Tiberio Absimaro, quem Punici exercitus per seditionem ad occupandum imperium iuuerant, in carcere asseruatus est. Deiecto Leontio, Tiberius imperium occupauit, suspicionum plenus, cum accepisset iuuenem patricium, Philippum Bardanium nomine, in somnis vidisse, capiti suo aquilam insidere, arbitrabatur ea re imperium portendi, eumq; in exilium Chersonam misit. Tollere quoq; è medio Iustinianum decreuerat. Cæterum Iustinianus re intellecta, ad Cacanum Turcarum Regem profugit: atq; eius sorore in matrimonium accepta, cum eius quoque opera cum Trebellio (Bulgarorum, qui inter Scythas nominantur, rege) fœdus iniuisset, magnis viribus ab vtroq; adiutus, depulso Tiberio imperium recuperauit: inuentumq; in carcere Leontium, post longa tormenta publicè interemit, & propter priora mala suspiciosus, vt Tiberius, cum eum bello cepisset, ipsum quoq; occidit. Cum eodem modo perdere Philippicum vellet, & Chersonam euertere, quod in ea exulem se contemptum fuisse dicebat, contra multorum sententiam, qui ad humanitatem atq; clementiam eum hortabantur, magna classe Chersonam profectus, à Cherronensibus atq; Philippico, quos desperatio ad rebellionem impulerat,*

lerat, armis exceptus, atq; insuper ab exercitu proditus, in fuga vnà cum Tiberio filio captus fuit. Ambos Philippicus securi percussit: qui de exule Imperator factus, nec multò pòst ab Anastasio proditus, & lumina & imperium amisit. Fulgos. lib. 6. cap. 11. è Zonara.

PVLSVS in exilium Andronicus à patruele *fratre Emanuele secundo Imperatore, ortis seditionibus, ad Turcas profugit. Cæterum postea reuocatus ab eodem prouinciæ Ponticæ præfectus est. Interim, cum Emanuele defuncto, filium impuberem, qui successerat, Alexius patruus tegeret, auaritia atq; crudelitate insignis: vt eius administratione, quæ omnibus inuisa erat, remedium daretur, Andronicus à populo vocatus est. Qui Constantinopolim profectus, & pupillum & patruum occidit, cum ipsorum stirpe, ita vt vnus Isacius eam vim effugerit. Per hunc modum Andronicus imperio potitus, dum acerbè Isacium insequitur, quia fuga parere sibi salutem desperaret, coëgit vt impar præter omnem rationem arma tentaret. Quamobrem, id quod omnium minimè Andronicus verebatur, & propterea paratos milites in vrbe nullos habebat, nocte Isacius Constantinopolim ingressus, populum ad arma exciuit, obsessóq; in Palatio Blaquerno Andronico paruo tempore locum expugnauit, atq; Andronico manus iniecit. Quem primum effosso oculo, nudum in asino auersum constituit, asini cauda pro imperatorio sceptro data, cum caput illi reste tanquam diademate cinxisset. Deductus autem per totam vrbem Andronicus, tandem furcis suspensus, fœdissimè vitam amisit. Fulgosus lib. 6. cap. 11.*

PETRVS Vinea Campanus, obscuro natus lo*co, sed doctrina atq; eloquentia, quantum ætas illa tulit, insignis, Friderici II. Imperatoris arcanorum omnium*

particeps ac moderator. Cæterùm per inuidiam, quæ in aula & oritur, & nutrimenta habet, atque virtutis perpetua est insectatrix, in suspicionem adductus, tanquam cum Pontifice Alexandro III. sentiret (quo cum Fridericus bellum gerebat) luminibus est priuatus: cuius rei impatiens, atque ob id in furorem conuersus, ad Sanctum Miniatum, quod Ethruriæ oppidum est, sibiipsi mortem consciuit. Idem ibidem.

CVM Gulielmus II. Neapolis & Siciliæ Rex *sine liberis decessisset, regnaque ad Tancredum hæreditatis iure peruenissent, aduersus Pontificem pro feudo contumaciter agentem, Celestinus III. Pontifex ex Panormitano virginum monasterio, Constantiam olim Rogerij Regis filiam, iam anum ad se acciuit, eamque matrimonio coniunxit Henrico VI. Friderici Aenobarbi filio. Hinc graue cum Tancredo bellum est ortum. In quo cum Gulielmus decessisset, Gulielmus III. eius filius in regno successit. Cum eo Henricus insidiosè pacem iniuit, fraude Gulielmum comprehendit, eumque cum tribus sororibus vinctum in Germaniam misit. Illic non contentus eum luminibus priuasse, vt spem quoque successionis adimeret, genitales partes execuit. Idem ibidem. & Sabellicus libro septimo capite octauo.*

PETRVS Pannonum Rex, cum à Proceribus *pulsus esset, Aba in regno sufficitur. Petrus Henrici Imperatoris ope adiutus, Aba interempto regnum recuperauit. Sed quo tempore firmiorem se in regno esse putauit, noua eum grauique calamitate fortuna circumuenit. Nam à Principibus Vngaricis clam vocato Andrea, qui è Regis Stephani stirpe ortus, ab Vngaria pulsus, per orbem terrarum inops errabat, captus atque oculis priuatus, in carcere haud*

diu

diu pòst miserandum in modum perijt. Andreas cum filium admodum puerum, diademate imposito, regni successorem, imò præsentem possessorem facere vellet, Bela eius frater, qui mortuo Andrea ad regnum aspirabat, adeò grauiter rem tulit, vt illato bello eum prælio vicerit, atq; interemerit. Fulgosus libro 6. cap. 11.

MORTVO Ludouico Vngariæ Rege, Maria *eius filia, regni hæres, sub matris Elizabethæ tutela regebatur: Rexq́;, & non Regina, gentis illius more nuncupabatur. Neapolitanus Rex Carolus, qui eo nomine postremus fuit, Mariæ patruus, à multis Vngarici regni proceribus vocatus, cum ad eius regni fines cum valido exercitu venisset, etsi quo animo venerat (quamuis ipse propinquitatis beneuolentiam prætenderet) Reginas non latebat, tamen quia resistendi facultas nulla erat, exceptus fuit primò sub gubernatoris illius regni nomine: deinde cum deteriora impendere viderentur, vt ipsarum Reginarum postulatione Vngariæ regno coronaretur. Non multò pòst in inferiorem arcis partem, vbi Reginæ habitabant, vocatus, Elizabethæ consilio, in caput lethale vulnus accepit, infusoq́; vulneri veneno, cùm præterea in carcere conditus esset, haud multò pòst animam egit, infantibus Ladislao, & Iohanna secunda liberis Neapoli relictis. Ad hæc in Carolum patranda, Reginas Pannonius eques iuuerat, qui gentis illius more, dum iter fit, armatus, sub ducendæ vxoris prætextu, ad eas iuerat. Per eum igitur Reginæ tota arce potitæ, pristinam fortunam recuperasse videbantur. Itaq; cum eo metu solutæ, Budam profectæ, inuisere regni fines vellent, Iohannes Horuath Bauus (id præfecturæ nomen est) in eas impetum fecit. Cum autem in earum conspectu,*

omnibus qui Caroli neci interfuerant, caput ademptum fuisset, ipsæ conuicijs ingentibus oneratæ, ad arcem, quæ in Iohannis potestate erat, deductæ fuerunt. Illic ab Elizabetha iureiurando multipliciter certior factus Iohannes, filiam Mariam conspirationis in Carolum factæ consciam non fuisse, eam in carcere asseruauit: Elizabetham autem, id est, matrem, vulnere affectam, dum primus in mulieres ipsas impetus fuit factus, noctu in flumen demersit. Iam cùm eo ipso tempore, quo Carolus interemptus fuit, Reginæ Sigismundum Marchionem Brandeburgensem, quòd ei Maria desponsata fuerat, vocauissent, is iam regni fines venerat. Quamobrem territus Iohannes Horuath, cum Mariam Reginam sacramento adegisset, vt omnem iniuriam remitteret, ad virum eam dimisit. Verùm à Sigismundo ea in arce, quam tenebat, obsessus captusq́ue, in magnis cruciatibus mortem obijt. Idem.

FRANCISCVS Carrariensis iunior, à Galeacio *Vicecomite Patauino principatu deiectus, patre eius in vinculis posito, cum in Germania aliena ope victum quæreret, mutatis rebus, vt sæpè, Venetorum, Florentinorumq́ue armis adiutus, Patauinum principatum recepit, eiq́ue etiam Veronam addidit. Qua felicitate non contentus, cùm pro more humani ingenij, maiora etiam parare cuperet, molitus Vincentiam Venetis adimere, prælio superatus & captus, vniuersa quæ possidebat amisit: deductusq́ue Venetias cum duobus ex liberis, quos habebat, vnà cum eis miserandum in modum strangulatus est. Salutis anno 406. supra mille. Fulgosus lib. 6. cap. 11.*

HENRICVS VI. Anglorum Rex, cum duodecimum *annum non excederet, patri Henrico quinto successit. Britannicis autem populis per discordiam ad arma*

compul-

compulsis, ipse in prælio à Varuicense Comite captus fuit. Sed haud longè pòst, apud sanctum Albanum à Regina Henrici coniuge amicisq́ eius superato Varuicense, liberatus est. Cæterùm cum ad Londinum vrbem Henricus cum victore exercitu veniret, Londinensi populo seditione agitato, cui Varuicensis ac Marchiæ Comites opem tulerant, iterum Henricus prælio superatus capitur, regnumq́ ad Marchiæ Comitem, postea Eduardum IIII. nuncupatum, defertur. Post duodecimum rursus annum, Varuicensis Eduardum odisse cœpit, coniunctoq́ Georgio Clarenensi Comite, Eduardi fratre, Henricum liberauit, atq; in regno restituit. Eduardus in Belgicum fugiens, post sex menses reuersus, Henricum cepit, atq; in carcere interemit. Fulgosus libro 6. cap. 11.

CORSVS Donatus, ciuis Florentinus, qui & *opibus & amicorum numero in patria plurimum poterat, ciuilibus discordijs in exilium pulsus, tandem Caroli Senzaterræ opera, qui eum ad Pontificem miserat, vt vrbem Florentinam pacaret, in patriam restitutus est. Illic Nigræ parti adiunctus, Candidam eiecit: neq; Nigrorum solum, sed totius vrbis princeps habebatur. Adeò enim opes, aliaq́ omnia adiumenta auxerat, vt ciuilem statum transcendisse videretur, præsertim posteaquam Hugutionis Fagiolani, Pisani principis filiam duxit vxorem. Quamborem populo in suspicionem venit, tanquam tyrannidem in vrbe affectaret. Furens igitur populus, libertatis vexillum cepit, & Corsi ædes oppugnare cœpit. Ipse frustra conatus se armis tueri, clam equum conscendit: & cum milites quidam insequerentur, ab equo delapsus, cùm pes ephippij retinaculis vinctus adhæsisset, collapsus vitam amisit, sine vllo honore tumulatus. Fulgos. lib. 6. cap. 11. & Sabellic. lib. 7. c. 8.*

HVGOLINVS Girardescus, ciuis Pisanus, *Guelpharum partium princeps, initio contraria factione partim pulsa, partim perculsa, eò potentiæ domi peruenerat, vt pro nutu omnia administraret, patriæq; dominus & esset, & haberetur. In festo frequentiq; natalis sui celebrandi conuiuio, ad quod suos omnes inuitârat adhibueratq;: dum fortunam suam ipse fando effert, admiratur, cœloq; æquat: ausus est quendam ex intimis amicis Marcum, quid tandem abesse videretur, interrogare. Ille vel reputatione rerum humanarum, quàm fluxa, fallaciq; specie, quàm & volucri orbe circumagantur: vel mente diuinitus admonita: Sola, inquit, ira Numinis procul diuq; abesse à tam secundis rebus non potest. Et necesse erat congesta in vnum hominem nondum alteram fortunam expertum bona excipi calamitate ingenti. Guelphorum viribus consenescentibus, Gibelini ductu Rogerij Vbaldini archiepiscopi Pisani armis correptis ædes eius circumsistunt, oppugnant: vnum è filijs, vnumq; nepotem, vim arcere conatos, occidunt, ipsum, & duos præterea filios, tres nepotes comprehensos in turrim inclusêre obseratis foribus, clauibusq; in Arnum propinquum flumen deiectis. Ibi fame in oculis, in gremio suo charissima pignora parens moriens morientia vidit. Vociferanti, exposcentiq;, vt supplicijs humanis exigendis inimici contenti essent, sacræ confessionis, sacrosanctiq; viatici potestas facta non est. Hæc inhumanitas partes Gibelinorum magis inuisas effecit, circa annum 1288. Aemilius lib. 8. Platina in Nicolao III.*

PAVLVS Guinisius, ex priuato ciue patriæ suæ *Lucæ factus tyrannus, inter opulentissimos Italiæ principes habitus eus. Cum bello tota Italia arderet, is in summa pace*

ac

ac rerum suarum quiete versabatur. Triginta iam annos Lucæ rerum potitus, cum liberos adultos haberet, militari arte præstantes, ad omnes fortunæ casus satis se munitum tutumq; arbitrabatur, cùm repentè à populo Florentino bellum est illatum. Sed cum subsidio ei Philippus Mediolanensis Dux Franciscum Sfortiam misisset, orta suspicione, tanquam cum populo Florentino Paulus de vendenda ei Luca ageret, captus à Francisco cum liberis ac fortunis, Mediolanum missus, in arce Modœciensi, tetro carcere conditus, miserè vitam finiuit. Filij quoq; tandem liberati, vitam per omnia extrema traxerunt. &c. Fulgos. libro 6. cap. 11.

IOHANNES Vitellius, paruo loco, Corneti *ciuitate Ethrusca ortus, à prima ætate literis operam dedit: postea mutatis studijs, libros armis atq; equis mutauit, stipendia cum Tartalia militari duce clarissimo prima fecit: eiusq; quoq; precibus à Martino V. Pontifice prothonotariatus honorem adeptus est. Deinde ab Eugenio IIII. in Cardinalium numerum receptus, Ecclesiastico equitatui præfuit, atq; adeò vel vi, vel alia arte, Eugenio successurus putabatur, aut fortasse viuentem etiam Pontificatu deiecturus. Pòst cum armatus Ecclesiasticum equitatum trans amnem Tyberim duceret, per pontem, qui arci S. Angeli adhæret, repentè tensis catenis, ad pontis portam, ita vt vltrà progredi prohiberetur, cernentibus suis vulneratus ac captus, intra arcem tractus est, eaq; nocte necatus, tum nudus in publicum elatus, vt per ludibrium à populo Romano spectaretur. Ibidem.*

LVDOVICVS Sfortia ducibus patre, auo ac *proauo ortus, ab exilio reuersus (nam mortuo Galeacio fratre, cedere patrio solo coactus fuerat) suscepta*

nepotis

nepotis tutela, Mediolanensis rei moderamen obtinuit: bello, quo Florentinus populus Sixti IIII. Pontificis, ac Ferdinandi Regis Neapolitani armis premebatur, finem fecit. Ferdinandum occupata à Turcis regni parte, grandi pecunia iuuit. Robertum Sanseuerinum in administranda Mediolanensi re honoris participem, finibus expulit. Parmensis agri Principes, qui cum Venetis sentiebant, debellauit. Ferrariam contra Venetorum arma defendit. Illatum Mediolanensi agro à Venetis bellum, in ipsorum viscera transtulit. Laborantem Ferdinandum Principem suorum rebellione, in regnum armis asseruit. De Boccalini tyranni manibus vrbem Auxinum ereptam, Ecclesiæ restituit. Genuam, quæ sub Bona Galeacij coniuge defecerat, imperium agnoscere compulit. Alexandri VI. Pontificis inopiam (nam parando pontificatu omnium egens factus fuerat) gratuita pecunia, atque ea ingenti sustentauit. Carolo Sabaudiæ Duci, vt principatus sui proceres ad officium cogeret, auxilio fuit: ac postea Ludouicum Salucensem Marchionem patria extorrem, restituit. Blancam neptem, Maximiliano Romanorum Regi, matrimonio iunxit. Carolo IIX. Gallorum Regi ad Neapolitanam expeditionem, cùm odia cum Aragonio Ferdinando atque eius filio Alphonso intercederent, & pecuniam & arma dedit. Redeuntem confecta expeditione, quia suspectus erat factus, vnà cum Venetis prohibere conatus, ad Tarrum amnem, in Parmensi agro, non sine suorum clade pugnauit: & cum ante Hastam vrbem Aurelianensi Duci eripere tentasset, ipse Nouariam amisit: ac demùm confecta cum Gallis pace, recepit. Non contentus titulo regendæ nepotis adolescentiæ, Dux à Romanorum Rege creatus est. Omnia autem quæ in vita optare poterat, assecutus, ea momento penè amisit. Mutata enim

fortu-

fortuna, quod dum ad recipiendas Pisas Florentinum populum, veterem quidem amicum, sed tunc nullo fœdere coniunctum, iuuare contendit. Venetos fœderatos parum cautè læserat: Ludouici XII. Gallorum Regis, & Venetorum ipsorum bello, diuersis partibus, eodem tempore petitus, partum patris virtute Mediolanensem Ducatum, cum neq; milites neq; pecunia deesset. Alexandro pontifice simul annitente, intra XVI. diem amisit: cùm interim è tanto eorum numero, quos ipse in periculo seruauerat, nullus opem ferret, & domestici, quos in magnam fortunam extulerat, eum prodidissent. Ex Germania quinto mense pòst reuersus, cum Nouariam de Gallorum manibus magna virtute recepisset, desertus à suis, & in Galliam perductus, non se solum atq; Ascanium fratrem Cardinalem captiuum vidit, sed insultantium quoq; inimicorum, quorum ipse vitæ necisq; potestatem habuerat, contumelias ac iurgia coràm pertulit. Cuius vt fortuna grauior fieret, cum postea spes aliqua liberato Ascanio fulgere visa esset, Romæ ad cumulandas ærumnas decessisse eum audiuit. Fulgosus lib. 6. cap. 11. Sabellicus libro 7. cap. 8.

CICHVS Symoneta, honestis natalibus ortus, *in Calabria, Francisci Sfortiæ, Mediolanensis Ducis, & post eum Galeacij filij consiliorum in moderando imperio particeps, ob fidem egregiam & opibus & honoribus plurimum auctus, quem locum apud Sfortianos Principes patrem ac filium habuerat, incolumem etiam apud filij coniugem, illiusq; filium tuebatur: eumq; diutius obtinuisset, nisi fortuna inuidisset. Eum enim, ceu scopulum, inter Galeacij fratres ac coniuges obiecit: & quia Cichus, vt viduæ Ducis ac pupilli saluti consuleret, Galeacij tres fratres, cum Roberto Sanseuerino, quorum magnitudo animusq; iam*

formidolosus esse cœperat, in exilium egerat: Ludouicus ac Robertus armis in patriam reuersi, cum res suas cum Galeacij coniuge composuissent, in Cichum, fœmina duce permittente, sæuierunt: direpta domo, populatis possessionibus, filijs per orbem terrarum sparsis. Ipsum demum post grauia tormenta, senio iam confectum, neq; de dominis quos habuerat, neq; de populis in aliqua parte malè merentem, in Ticinensi arce securi percusserunt. Iidem, ibidem.

CÆSAR Borgias, Dux Valentinus, Alexandri *VI. Pontificis F. post patris obitum, ad tantam calamitatem redactus est, vt quoduis periculosum consilium sequi, seq; alijs submittere cogeretur. Tandem à Iulio II. pp. captus, & in Vaticano asseruatus est. Mox etiam in Hispania carceri inclusus. Tandem anno 1506. subtili artificio è Medicinæ Campestris arce fune delapsus, in Nauarræ regnum ad Ioannem Regem, coniugis suæ fratrem, confugit: vbi aliquot annos in sorte satis humili (quia Galliæ Rex, qui prius Valentiæ Ducatum fisco suo addixerat, eumq; viginti millium Francicorum pensione, quam ei ad promissæ pensionis supplementum destinauerat, priuârat, ne Arragoniæ Regi Ferdinando rem ingratam faceret, in Galliam ire non est passus) commoratus, tandem dum cum Regis Nararræ copijs, quæ ad Vianam, eius regni ignobile castellum, castra habebant, esset, cum hostibus qui ex insidijs prodierant pugnans, hastæ ictu occisus fuit. Guicciardinus libro 6. & 7.*

FRANCISCVS Carmaniola, sic dictus ab oppido *Allobrogum, in quo natus est rusticanis parentibus, militiam secutus, breui penes Philippum Mediolani Principem primas obtinuit. Huius namq; ductu maximas victorias ex diuersis hostibus adeptus est Philippus, Mediolanenseq;*

auxit

auxit imperium. Non multò pòst, inuidia in illum graui exorta, propter Genuensium seditiones compositas, Philippus ita illum odisse cœpit, vt relicta Mediolani vxore, rebusq; omnibus suis neglectis, vix ad Venetos transfugerit: A quibus benignè exceptus, imperatorq; copiarum ab eisdem dictus, præclaram victoriam ad Maclodium, fuso profligatoq; Philippi exercitu, consecutus, Brixiam, Bergomumq; Veneto nomini addidit. Cæterum malo quodam suo fato, cum ad Philippum inclinari cœpisset eius animus, proditionis conuictus, à Venetis supremo supplicio fuit affectus. Egnatius libro 6. cap. 9.

ALVARVS de Luna, Aragonensis spurius, cum *Iohanni Regi Aragoniæ adeò se insinuasset, vt vnus omnium regni Regisq; potens videretur, Iohannemq; Nauarræ regem, & Henricum Magistrum militiæ sancti Iacobi, regnum gubernatore conatos, armis deturbasset, postea tamen aduersante Regina, è curia pulsus, aliquamdiu priuatus vixit. Dum autem pristinam dignitatem recuperare conatur, Regi clam suadet, vti per speciem venationis in saltus propinquos egrediatur, se illum potenti manu erepturum. Rex cum paucis egressus parum custoditus, (nam Aluari iam penè nomen extinctum erat) ad insidiarum locum peruenit. Hic Aluarus inter lectos exultans milites, liberum Regem saluere dixit, eumq; secum abduxit. Qua re vulgata, confestim mira inclinatio regni facta est, & iterum ad Aluarum regni gubernatio deuoluta. Nec diu pòst cum Iohanne atque Henrico atroci prælio commisso, victoria penes Aluarum fuit. Henricus ex vulnere manus, quod in ea pugna receperat, mortem obijt. Magistratum eius Aluarus obtinuit, & aliquamdiu postea Regis pariter & regni moderator est habitus. Ad extremum, cum nobilem*

quendam iussu Regis parum sibi grata nunciantem è fenestris præcipitasset, captus & securi percussus est. Aeneas Syluius cap. 47. Europæ. & Fulgos. lib. 6. cap. 11.

TRYZVS insignis tyrannus, adeò vexauit suos, *vt legem etiam ferret, vt nemo cum altero neq; priuatim neq; publicè sermones misceret, quod subditis fuit grauissimum: Qui cum oculorum manuumq; gestibus, & nutu, animi sensa mutuò significarent, etiam hoc prohibuit. Quidam igitur desolationem illam ægrè molesteq; ferens, in forum progressus est, ibiq; stans cum multas lachrymas effunderet, reliquam etiam multitudinem ad fletum permouit. Verùm tyrannus cum & hoc intellexisset, festinans in forum, vt & oculis ac lachrymis hanc naturæ libertatem eriperet: Ciues arma Regijs satellitibus extorquentes, in tyrannum impetum fecerunt, eumq; multis confossum vulneribus interfecerunt, & cadauer in partes dissectum canibus dilaniandum proiecerunt: atq; sic eius sanguine loquendi facultatem sibiipsis fecerunt. Aelianus libro 14. de Varia Historia.*

ARISTIPPVS, qui cæso Aristomacho tyrannidem *Argis occupauit, societatem habens Antigoni Regis, multosq; alens corporis custodes, viuum in vrbe ex inimicis neminem reliquerat: satellites tamen & stationem foris agere in peristylio volebat. Seruos, cum cœnasset, mox omnes exigebat, & interiorem domum occludens, cum amica in paruum se abdebat cubiculum editum, quod catarrhacta claudebatur, cuius in fastigio locauerat lectum, vbi quiescebat: vt probabile est quiescere tam suspiciosum hominem & pauidum. Scalas amicæ mater auferebat, easq; alio in conclaui recludebat, rursusq; orta luce admouebat, & deuocabat egregium hunc tyrannum, qui serpentis modo ex*

lustris

lustris se demittebat. Hunc eruptione Cleonis facta Aratus Sicyonius fudit, Tragiscus Cretensis trucidauit &c. Plutarchus in Arato.

ALEXANDER Pheræorum tyrannus, contemtor *honesti atq; legum, viuos homines defodere, alios pro ludo pellibus tectos aprorum & vrsarum, venaticis canibus immissis discerpere & conficere iaculis solebat. Melibœam & Scotusam fœderatas ciuitates & amicas in concione satellitibus vndiq; circumfusis, citra vllum discrimen ætatis contrucidauit: lanceam qua confoderat patruum Polyphronem consecrauit, eiq; redimitæ vt Deo immolans, Tychonem appellauit. Cum aliquando tragœdum Euripidis agentem Troadas spectaret, proripuisse se ex theatro dicitur, missoq; nuncio confirmasse hominem atq; adhortatum, ne ideo minus prosequeretur ludos, neq; enim idcirco discedere se, quòd eum fastidiret, sed quòd erubesceret ciues, si se, qui nullius vnquam ab se necatorum fuisset captus misericordia, calamitati illachrymantem Hecubæ & Andromaches conspicerent. Plutarchus in Pelopida. Idem cum vxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, & eum quidem, vt scriptum est, compunctum notis Thraciis, districto gladio iubebat anteire, præmittebatq; de stipatoribus suis, qui perscrutarentur arculas muliebres, & ne quod in vestimentis occultaretur telum exquirerent. Nec eum fefellit opinio, ab ea enim est propter pellicatus suspicionem interfectus. Cicero libro 2. Offic.*

ARISTODEMVS Aristocratis filius, cum duobus *millibus Cumanorum in Latium, ad Aricinorum subsidium, qui ab Arunte Porsenæ filio obsidebantur, publico Cumanorum decreto venit, prælioq; circa Ariciam cum*

Hetruscis conserto, Aruntem interfecit, disiectisq; Tuscorum copijs, posteaquam domum venit, primoribus ciuitatis, in quorum manibus erat res Cumana, in curia obtruncatis, dominatum occupauit, multitudineq; duabus tyrannicis legionibus, agri alieniq; æris diuisione delinita, nobilium liberos in agros relegauit, ciuibus arma ademit, corruptaq; muliebribus illecebris iuuentute, stabilitam his artibus tyrannidem plures annos obtinuit. Nouissimè ab optimatium sobole, quæ in agris adoleuerat, nocteq; vna cum tota domo oppressus, miserabiliter perijt. Sabellicus libro 8. Ennead. 2.

AGATHOCLES Carcini Regini exulis F. in *ciuitatem Syracusanam ascriptus, figulinam præ paupertate cum patre exercuit. Agrigentinorum Tribunatum adeptus, Damæ viduam locupletissimam eadem qua maritum forma illectam vxorem duxit. Diuitijs ergo priuatis auctus, factis quoq; bellicis excellere cœpit, & optimatum principatui infestus esse. Sosistrato igitur vrbe cum suis eiecto, Agathocles ab exilio reuocatus, sexcentos, qui post paucorum dominatum vrbi præfuerunt, criminari cœpit de insidijs sibi factis, eò quòd populi partes tueretur. Sic mota seditione, sexcentorum fortunæ direptæ, & in tanto tumultu quorumuis aliorum potentum. Omnes vrbis portæ occlusæ fuerunt, & plures quàm quater mille eodem die cæsi sunt. Eorum verò qui profugerant, alij cum ad portas se recepissent, comprehensi fuerunt: alij de muris seipsos deijcientes, in vrbes vicinas euaserunt, nonnulli præ formidine prosilientes, per præcipitia collapsi fuerunt. Multitudo expulsorum à patria erat supra sex millia, quorum plurimi ad Agrigentinos profugerunt. Cum iam tyrannidem inuasisset, Messanenses simulata pace deceptos sibi subiecit, &*

DC.

DC. eorum suo aduersos imperio iugulauit. Geloos de defectione suspectos ad quatuor millia trucidauit, cadauera in fossas vrbis deturbauit. Ophellam Cyrenarum principem socium militiæ occidit, vt solus imperio potiretur. Cum pecuniæ inopia laboraret, ditißimos quosq; ciues apud Aegesthanos maximam suarum facultatum partem conferre coëgit, qua in vrbe decem hominum millia habitabant: quam rem multis iniquo animo ferentibus, & concurrentibus, Agathocles Aegesthanos vt insidiatores reos egit, & vrbem indignis modis afflixit: Nam pauperrimos ex vrbe eductos ad Scamandrum fluuium interfecit, eos autem qui opibus abundare putabantur, tormentis excruciando, cogebat quantas quisq; diuitias haberet dicere: Ac eorum quosdam rotis excruciabat, alios catapultis illigatos sagittis conficiebat, nonnullos exsecabat, & violentius vrgens, diris cruciatibus torquebat. Excogitauit & genus quoddam tormenti, tauro Phalaridis non dißimile: Sedem fieri iußit ferream, quæ forma humanum corpus referret, ab omni parte clauis compaginatam. In eam collocatis quos cruciare volebat, viuos comburebat. Hac machina tantum à tauro illo differente, quod videlicet homines, qui in ijs angustijs moriebantur, conspici poterant. Item locupletes fœminas ferreis forcipibus cruciando, pedum calcanea lacerabat, quibusdã mammas præcidebat, mulierũ autem prægnantium lumbis lateribus impositis, eorum põdere fœtus eliciebat. Hoc pacto cum sibi tyrannus opes quæreret, & magnus in vrbe terror existeret, quidam se vnà cum ipsis domibus comburere, alij suspendio vitam finire. Igitur Aegestha vno die vexata funditus interijt. Cæterum Agathocles deportatas in Italiam virgines & pueros Brutijs vendidit: ipsam vrbem, cuius ne nomen quidem reliquit, sed Dicæopolim appellauit, transfugis

habi-

habitandam concessit. Cognita enim filiorum cæde, iratus ijs qui in Africa relicti erant, ex amicis quosdam Syracusas mittit ad Andrum fratrem, cum mandatis, vt omnium qui ad Carthaginem militauerant, consanguineos de medio tollat. Ille celeriter fratris mandata executus, cædes omnium earum quæ antea commissæ fuerant, maximè varias patrauit, nam non solum ætate integros fratres, aut patres, aut liberos morti addicebat, verum etiam auos, imò & horum patres, qui iam extremam senectutis metam attigerant, & omnibus sensibus propter ætatem priuati erant, nec non infantes qui in vlnis gestabantur, & nullum mortis, qua afficiebantur, sensum percipiebant. Præterea mulieres, quæcunque eos vel necessitudine vel cognatione contingebant. Denique si quem putabat morte sua mœrorem in Africa relictis afferre, eum necabat. Multis interfectis, & secundum littus abiectis nemo cuiquam parentare audebat, veritus ne se quoque familiaritatem cum eo habuisse proderet. Propter occisorum in littore multitudinem, mare aliquandiu sanguine infectum, facti insignem crudelitatem significabat &c. Tandem & ipse numinis vindictam expertus est. Vis morbi ingens Agathoclem adorta, adeoque de eius est vita addubitatum, vt inter filium & nepotem contentione de regno orta, fœdata sit Regia parricidio, alteroque Agathoclis filio, qui minor natu fuit, à filio fratris interfecto, regnum Agathocle adhuc viuo parricidij autor occupauit. Senex vbi nullam morbi pellendi spem reliquam superesse vidit, Theagenam vxorem & liberos, quos ex ea tulerat, adhuc pueros, cum omni pecunia & regali instrumento, quo nemo Regum ditior fuit, nauibus impositos in Aegyptum, vnde vxorem duxerat, dimisit. Filij nauem conscensuri, flebili eiulatu patrem amplexi tenebant, Theagena

& ipsa maritum, vt nunquam amplius visura, oculis fatigabat. Nec senis lachrymæ erant minus miserabiles. Flebant pueri morientem patrem, ille exules liberos. Sed profectionis necessitas finem lachrymis imposuit, estq; regis mors proficiscentes secuta. Sicq; Agathocles crudelitatis suæ, si non merita supplicia, certè ad dolorem efficacia expendit, qui liberis maioribus natu crudeliter amissis, duobus superstitibus cum matre in exilium abeuntibus: ipse regno spoliatus in orbitate & solitudine decesserit. Sabellicus libro 8. Ennead. 4.

PTOLEMÆVS Philopator Ægypti Rex, post *clarissimam illam victoriam, qua victor Antiochum Regem ex Palæstina & Phœnicia eiecit, receptis vrbibus quas eo bello amiserat, in pristinam luxuriam iterum demersus, Eurydice sorore sua, eademq; vxore interfecta, (Polybius & Iosephus Berenicen, non Eurydicen, vt Trogus, scribunt) meretricio Agathocleæ amori addictus, regiæ maiestatis immemor, noctes integras & dies in stupris & conuiuijs consumpsit. Quin & Agathocles meretriculæ frater, eum Ptolemæo faciebat stuprum. Qua duplici illecebra ita sibi Regem deuinxit, vt regnum suo arbitrio administraret, nemoq; minus in suo regno, quàm Philometor posset. In hoc fœdo vitæ instituto rex vita decessit, paruo filio ex Eurydice siue Berenice potius relicto. Agathocles Alexandrinorum incursu interficitur, cuius soror Agathoclea & mater sunt postea crucibus affixæ. Sabellicus libro sexto Ennead. 5.*

ARISTION tyrannus Atheniensium, obsidentem *Athenas Syllam dicterijs suis exasperauit, homo cui ex petulantia & sæuitia conflatus animus erat, teterrimorumq; Mithridaticorum morborum & vitiorum collegerat*

in se colluuiem. Cum mille drachmarum medimnus tritici in vrbe esset, & homines tunc Parthenio, quod in arce crescebat, sustentarent se, calceamentis & lecythis elixis victitarent: vino comessationibusq́; diurnis perpetuò confectus, saltans & illudens hostibus, sacram lucernam extingui olei penuria permisit. Hierophantidi tritici heminam ab ipso mendicanti, aliquantum piperis misit. Senatum & Sacerdotes, vt ciuitatis misereretur, & pacem faceret cum Sylla, supplicantes, sagittis ingestis disiecit. Vix tandem aliquando misit ad agendum de pace duos aut tres ex compotoribus suis. Quibus nihil salutare postulantibus, sed Thesen, Eumolpum, parta de Medis decora iactantibus: Sylla, Facessite, inquit, beati, atq; verba ista referte vobiscum, Ego quidem Athenas non discendi gratia sum à populo Romano missus, verum ad domandos rebelles. Vrbe tandem capta, tyrannus in arce, quo confugerat, obsessus est, cuius rei fuit Curioni cura demandata. Cum obsidionem ille diu tolerauisset, aqua penuria pressus, dedidit se. Diuinitus id accidisse comprobatum illicò est miraculo, nam eodem & die & momento deduxit illum Curio ex arce, & coiërunt ex sereno nubes: vnde imber ingentibus fusus procellis arcem aqua impleuit. Eum tandem Sylla veneno necauit, cum reliquos omnes captiuos Archelao duci Mithridatis facta pace restituisset. Plutarch. in Sylla.

IOHANNES Anglorum Rex, Ricardi optimi *principis frater & successor, ignauissimus homo, Normanniam & Aquitaniæ bonam partem amisit, pecuniæ congerendæ intentus, delicijs & luxu diffluens, partum per iniuriam regnum (Arthurum enim Gaufredi fratris F. à Ricardo hæredem nuncupatum cepit & interfecit) pessimè administrauit. Itaq; Hubertũ Cantuariensem Archiepiscopum*

nullius

nullius vnquam rei in vita tam pœnituit, puduitque, quàm quòd apud optimates Iohannem Regem creandum curasset, quem postea tanto regno indignum, cum summo sui animi dolore, clarius cognouit. Ab Innocentio Pontifice diris proscriptus, & regno exutus, contra Scotos ducto exercitu, quibusdam imperium Regis sequi detrectantibus nouum genus vastationis excogitauit: Cum enim iam instaret finis mensis Iulij, quando in Anglia frumenta maturescere incipiunt, omnia septa, quibus cerui atque damæ cum primis continentur, sepimentis nudari, atque fossas circumductas oppleri iussisse fertur, quo ipsæ feræ latè currentes, frugum dulcedine allectæ, arua depascerentur. Propter quod flagitium agricolæ passim vociferantes, omnibus precibus Regem execrati sunt, cum aliter vlcisci non licuisset, nam feras ipsas occidere, capitale propè erat. Proceres contra eum conspirârant, eo quod leges diui Edouardi, prout promiserat, non restitueret, & Ludouicum Philippi Francorum Regis F. in regnum vocârunt. Iohannes toto ferè regno exutus, tanta crudelitate in eos qui defecerant grassatus est, vt nunquam grauiora mala vel ab hostibus passi fuerint Angli. Mœrore tandem consumptus perijt, anno regni XVII. Christi 1217. Sunt qui scribant, Iohannem post amissum exercitum, ira & furore accensum, peruenisse ad cœnobium Monachorum ordinis Cisterciensis, quod Suineshedum vocant, & ibi indignatum ob annonæ vilitatem (vtpote quod haud quisquam id temporis Anglicæ genti inimicior erat) iracundè dixisse, se intra paucos dies ita facturum, vt multò carior esset: & ea voce Monachum quendam concitatum, continuò regi administrasse venenum vino infusum, ab se prius degustatum, quò

liberius ille hauriret, & ita ambos vno ferè temporis puncto animam efflasse. Polydorus libro 14.

EDOVARDVS IIII. Anglorum Rex moriens, *Ricardum fratrem Glocestriensem Ducem filio Edouardo regni tutorem reliquit. At nefarius homo Edouardo nepote in suam redacto potestatem, interfectis optimis quibusq́, quos suæ cupiditati aduersaturos suspicabatur, cum Rodolpho Shao Theologo magni nominis agit, vt is pro concione in templo D. Pauli multis rationibus populum doceret, Edouardum non fuisse à Ricardo Eboracensi Duce creatum, sed ex quodam alio, qui matris Cæciliæ ante nuptias noticiam furtim habuisset, & id certis argumentis dilucere, quod Edouardus neque effigie, neque corporis forma Ricardo patri similis fuisset. At neminem hominem posse dubitare, quin Ricardus foret verus Ducis filius, isq́ primogenitus, qui iure regnum patri debitum possidere debeat. Et proinde hortaretur principes, cum in præsentia Rege carerent, vellent Ricardum veram regiam prolem Regem facere, repudiatis alijs, qui essent turpi genere orti. Hæc etsi populus ægrè audiuit, attamen Ricardi tyrannidem, magna stipatorum manu armati, metuens, ne mutire quidem ausus fuit, quamuis clam Ricardi inauditam detestaretur perfidiam, qui regni libidine castissimæ matri adulterij crimen impingere non erubesceret. Rodolphum tantæ rei turpitudinis præconem non multò pòst adeò facti sui pœnituit, vt mœrore animi breui consumptus, meritas suæ leuitatis pœnas dederit. Itaque Londini anno 1484. Rex inauguratus, Eboracum profectus, nepotes interea in carcere necari curauit, & vt regnum sibi stabiliret, si populus nullam ex Edouardo virilem stirpem superesse sciret, cædem puerorum in vulgus exire permisit. Sed*

vix

vix dum biennio in tyrannide exacto, omnibus inuisus ab Henrico VII. vita pariter & regno exuitur. Polydorus libro 25.

VISBVR Gothorum Rex auarissimus, nunc *mutuo, nunc dono, nunc minis omnium ciuium bona in suum fiscum congregauit: nullus procerum aut populi conuentus, in quibus non conquereretur de inopia regiæ coronæ. Cuius conseruandæ prætextu tot rapinas, tot spolia, tot furta in ciues, totq́ sacrilegia in Deorum templis commisit, vt publicus patriæ hostis existens, minus nocere non potuisset: & tamen nihil vnquam præclari per eas ingentes diuitias sudore & sanguine pauperum comparatas, efficere curauit. Erat enim in bellicis rebus ignauissimus, proinde in summum omnium odium adductus, etiam proprijs filijs, quibus contemptui fuit, nihil tale timens, Duce Domaldro natu maiore (vt ait Ericus Vpsalensis) cum tota familia immisso igne combustus est. Iohannes Magnus libro septimo.*

ALGOTHO II. Sueonum & Gothorum princi*pe opt. in expeditione Rußica mortuo, Ostanus patre nobili scurra, matre scorto natus, plebeijs suffultus copijs, tyrannidem arripuit. In qua tanta crudelitate vixit, vt pro Ostano Gostagus, hoc est, prædiorum raptor lingua Gothica appellaretur. Tandem cum ignauiam eius erga hostes, rapinas erga suos, stupra & incestus ferre amplius subditi non possent, Arthus Algothi F. eum cum suis captum strangulauit. Iohannes Magnus libro 8.*

EGITA in vxorem ducta Cæcilia Eurigij Go*thorum in Hispania Regis F. regnum consecutus, crudelißime imperauit, proceres spoliauit, populum expilauit, chirographos adulterinos subiecit, vxorem repudiauit.*

Succeßit illi Vitisa filius, qui vti patris feritatem mitigare, chirographos flammis abolere, insontes defendere studuit, ita regno potitus, libidine, stupris, rapinis omnia turbauit, Polygamiam laicis simul & clericis permittens. Ne rebellarent sui, mœnia vrbium demolitus est, arma omnia ademit. Tandem à Theofredi filijs, (quem vt regni hæredem captum excæcârat) victus, oculisq́ priuatus, in carcere Cordubæ perijt. Iohannes Magnus libro decimosexto capite vigesimo quinto.

RAGVALDVS Knaphofde Sueonum Rex, post *Ingonis patris opt. mortem creatus, giganteo corpore procerus, animo ferox, oculis toruus, aspectu minax, incessu superbus, non solum Procerum consilia, sed ipsas quoq; patrum leges, & probatas regni consuetudines temerè contemnens, nunc huc, nunc illuc, velut furijs agitatus per subiectas terras & populos ferebatur. Quicquid in nocte somniando excogitauerat, hoc pro lege obseruari volebat. Accidit, vt ad terras Vestgothorum descenderet, præter consuetudinem patriæ illius: Habebant enim vetusta consuetudine præscriptum, ne quis Regum ad eos accederet, nisi præmißis nuncijs & literis, quibus causam sui aduentus declararet. Igitur antiquarum legum & consuetudinum contemptorem, non secus ac patriæ hostem excipientes, in villa Carlaby occiderunt, vt qui contra eorum voluntatem intrauisset, sua voluntate exire non posset: & qui contra leges ingredi non debuisset, armis oppressus egredi prohiberetur. Iohannes Magnus, libro decimo octauo capite 15.*

IVSSO Ericsen Danus ab Erico Pomerano Sue*onum Rege auarißimo Dalacarlorum regioni præfectus, tam crudelem se exhibuit, vt putarentur omnes omnium*

maligno-

malignorum tyrannorum spiritus, qui vnquam antea fuerant, in hunc perditissimum nebulonem confluxisse. Narrat Cicero, crudelem Verrem fumo è putridis lignis excitato, vnum hominem innoxium perdidisse. At hic Iusso eiusdem malignitatis spiritu obsessus, non vnum innocentem, sed ex Dalacarliæ incolis sine numero innocentissimos fumo suspensos occidit. Quo peracto, ne non satis ingeniosus carnifex in exquirendis nouis tormentorum generibus videretur, vxores maritorum tam crudeliter occisorum, in loca iumentorum trahendis aratris applicare non erubuit: imò inter primas delicias duxit, videre & audire eas inter tantas angustias fœtus mortuos abijcere, & rursus aratro apponi, donec mortuæ aut semianimes collaberentur. Stupra, adulteria, rapinas eius, nemo pro dignitate descripserit, cum relictis fortunis omnibus optimi quiq; in syluis cum feris viuere, quàm tyranni crudelitatem perpeti mallent. Tandem Dalacarli, Duce Engelberto sumptis armis, Iussonem securi percussêre, & Ericum regno expulêre. Iohannes Magnus libro 22.

BIRGERVS Gothorum & Sueonum Rex, *fratres suos Valdemarum & Ericum hæreditate paterna priuauerat, & astu circumuentos in sua verba iurare coëgerat non vlturos iniuriam. At non multò pòst Regem cum vxore & liberis in villa captum in suam redegêre potestatem: & tertia regni parte contentum esse coëgere. Cæterùm Birgerus amicè ad se inuitatos fratres, in profundissimam turrim præcipites egit, & proiectis in profluentem clauibus, eos viuos se inde dimissurum negauit. Sueci Regis perfidia erga fratres cognita, armis iniuriam vindicant, Birgerum varijs prælijs victum, regno pellunt, Magnum eius filium occidunt, arcem Micopiensem, in qua fratres interfe-*

interfecti fuerant, solo adæquant. Birgerus apud Danos exul cum vxore miserrimè perijt. Idem, libro 20.

MAGNVS Smeech Sueonum & Noruegiorum *Rex, mortuo Mathia Chetebundo regni gubernatore, tyrannus euasit truculentissimus. Blancam Francam vxorem repudiauit, portentosas secutus libidines, regnoq́; deiectus, Ericum filium, quem Proceres Regem creârant, Blancæ opera veneno sustulit. Regno recuperato, nihil melior effectus, Valdemaro Danorum Regi, vt sibi contra suos adesset, multas regiones donauit. Ab Haquino filio captus, sed mox eiusdem stolida credulitate liberatus, à Proceribus regno deiectus. Albertus Magnopolensis Dux Rex creatus, Magnum septennio captiuum tenuit. Liberatus ab Haquino filio Noruegiæ Rege, tandem in aquis Balmfiord submersus est. Iohannes Magnus libro vigesimo primo.*

CHRISTIERNVS II. Danorum Rex, cum *Procerum quorundam factione Suetici quoq; regni gubernacula suscepisset, anno 1520. contra fidem datam, & sacra synaxi firmatam, in regia Holmensi 94. Proceres ad conuiuium euocatos decollauit, corporaq́; inhumata triduo ante Prætorium volutata tandem extra vrbem cremauit. Magnum præfectum pudendis, deinde corde priuauit. Viduas interfectorum spoliauit, Abbatem cum septem Monachis peracto Missæ sacrificio in flumine submergi iussit. Abbas autem cum ruptis vinculis enataret, in ipso littore à satellitibus cæsus est. Ribbingorum familiæ pueros in suo conspectu trucidari fecit. Tandem Suetica plebs eum regno expulit. Nobiles Dani similiter publico scripto eius testati tyrannidem. Olaus lib. 8. cap. 39. & 40. & Iohannes Magnus libro 24.*

Eceli-

Ecelinvs Romanus, à Romano oppido Patauini agri natali dictus, (cuius auus cum Otthone III. in Italiam gregarius miles venerat) Friderici II. Imperatoris & Gibellinorum partes secutus, Guelfos pontificios acerrimè oppugnauit. Magnis pollicitationibus Patauinos adortus, & inprimis facta spe retinendæ libertatis, eò ciuitatem perpulit, vt Friderici partium haberi paterentur. Quibus honesta seruitutis confeßione expressa, continuò frenum iniecit. Violabat virgines, matronis mammas adimebat, secabat vteros prægnantium, & partus exectos in ignem proijciebat. Tertio Mantuanæ obsidionis anno, Alexander IIII. cruce signatos contra eum exciuit, quorum auxilio Patauini rebellârunt. Hoc ille audito, duodecim Patauinorum millia, quos secum habebat, diuersis inclusos carceribus, varijs tormentis, atque insuper fame quoque confecit. In Italiam inducto crudelitatis insueto genere, multorum damnatorum ciuium filios castrauit: tam multis quoque eodem tempore erui oculos iußit, vt ingentem patinam oculis non repleret modo, sed etiam spectare vellet: Syllam, vt in peremptorum numero, ita etiam in necis modo superare cupiens. Victus prælio ad Soncinum apud Insubres, & captus dum fluuium tranat, iam octogenarius, vulnus quod in pugna acceperat, rescidit, vt tam crudeliter quàm vixerat moreretur. Sabellic. lib. 8. cap. 3. & Fulgos. lib. 9. cap. 2. & Platina in Gregorio nono.

Cvm Ætoliæ fluuium esset Hercules cum Deianira vxore Oenei Regis filia transiturus, qui tum fortè ob aßiduos imbres excreuerat, Nessus centaurus vltrò operam suam obtulit traijciendæ Deianiræ. Quam cum Nesso credidisset, ipse fluuium primus traiecit. Nessus Deianiram vitiare conatus, ab Hercule sagittis hydræ veneno infectis

 transfi-

transfigitur. Is ut vel mortuus hostem ulcisceretur, suam vestem sanguine ac veneno illo perfusam, sanguinemq; in vasculum collectum ex vulnere Deianiræ tradidit, dicens, illi vim inesse amatoriam, & veste illa indutum maritum non facile amaturum pellices. Mox cum Hercules, Oechalia subacta, raptaq; Iole ad Cenæum Eubœæ promontarium appulisset, aram Ioui erexit, ob partam victoriam, misitq; Licham seruum, qui Herculem vicisse, & iam appropinquare nunciaret Deianiræ. Deianira suspectos amores Ioles habens, vestem Nessi, tanquam antidotum amoris, ad Herculem misit. Hercules cum pruritus immensus, & ardor, & pustulæ per totum corpus exorirentur, Licham in fluuium Thermopylis propinquum è petra præcipitauit: Ipse furore correptus, cum tantos cruciatus perferre non posset, se in pyram in monte Oeta coniecit. Aiunt Herculem conantem vestem auellere, frusta carnis simul auulsisse. Id cum cognouisset Deianira, sua ipsius manu suspendio vitam finiuit. Alij dicunt Deianiram non suspendio, sed Herculis claua se interfecisse. Natalis Comes Mythol. libro 7. cap. 1.

ISAVREI à Perdicca obsessi, (eò quòd viuente *etiamnum Alexandro, Balacrum Nicanoris filium satrapam interfecerant) videntes sibi certum supplicium imminere, nec vires habentes ad propugnandum pares, noctu liberis, & parentibus, & vxoribus in domos conclusis ignem iniecerunt, communem mortem & sepulchrum ab igne eligentes: ac flamma subitò in sublime elata, Isaurenses suas opes, & quæcunq; victoribus vsui esse possent, in ignem coniecerunt: Perdiccas factum admiratus, copias vrbi vndiq; admouet, & omnibus locis irruptionem facere conatur. Sed oppidanis ex muris propugnantibus, multosq; Macedonum de-*

num deiycientibus, Perdiccas adhuc magis attonitus, causam quærebat, cur qui domos reliquaq; omnia igni tradidissent, studiosè muros custodirent. Tandem cum Perdiccas & Macedones ab vrbe recessissent, Isaurenses in ignem seipsos coniecerunt, atq; ita in domibus vnà cum suis sepulti sunt. Diodorus libro 18.

CAPTA à Romanis Carthagine, erat Æsculapij *templum in arce opulentissimum. Hinc supplices ad Scipionem venêre, qui rogârunt, vt ijs qui ex Byrsa (nondum enim recepta erat) excedere statuissent, salutem donaret. Concessit id Romanus Imperator omnibus, præterquam transfugis. Quinquaginta millia promiscuæ multitudinis ex Byrsa exierunt. Hasdrubal Dux cum vxore & liberis, & non gentis transfugis, desperata venia, templum nonnihil tutati sunt. Demum omnibus fame, vigilijs, labore fessis, Hasdrubal occultè ad Scipionem transfugit. Quem vbi, qui in templo erant, ante pedes Ducis constitutum viderunt, eius perfidiam execrati, ædem incendunt, sic melius quàm per varios cruciatus perituri. Hasdrubalis vxor, quum sese, quantum in eo rerum tumultu & vltima desperatione potuit, exornâsset, ex aduerso hostium summo fastigio templi constitit duobus filijs ante pedes constitutis. Ibi alta voce Hasdrubalem, vt patriæ, coniugis, liberorum proditorem insectata, ambos filios in conspectu patris & Romani exercitus obtruncat, seq; cum illis in subiectam deijcit flammam. Fuerunt qui scriberent, Hasdrubalem, vxoris & natorum casu consternatum, vltrò mortem oppetijsse. Liuius in triumpho ductum significare videtur. Sabell. libro 9. Ennead. 5. Fulgosus libro 9. cap. 13.*

NICANOR Antiochi Eupatoris Dux, Iudæorum odio Razim senatorem Hierosolymitanum, virum clarissimum & sanctissimum, quingentorum militum manu capere volebat & interficere. Razis gladio incubuit, ne in hostium manus veniret. Verùm cùm ob trepidationis æstum vulnus parum rectè inflixisset, turba iam irrumpente in murum cucurrit, & seipsum præcipitauit in mediam turbam. Mox in præruptum saxum euadens iam exanguis, intestina prouoluta ambabus manibus in turbam proiecit; & Deum, vt ea sibi redderet, precatus, vitam finiuit. 2. Machab. 14.

CAMPANI à Romanis grauiter obsessi, cum de legatis in castra ad Romanos Duces mittendis agerent, Vibius Virius, qui defectionis ad Pœnos factæ autor fuerat, dicere sententiam iussus, expedire affirmauit sibi & aliis, qui apud Romanos inuidia eminerent, voluntariam mortem occumbere, quàm in hostium potestatem redactos, vrbe direpta, matronis & virginibus ad stuprum raptis, per varios & exquisitos cruciatus extinctum iri. Paratæ sunt, inquit, apud me epulæ, quibus, si qui mecum se imminentibus malis subtrahere volent, adhibebo: Poculum postremò omnibus circumferetur. Ea potio corpus à cruciatu, animum à contumeliis eripiet. Hæc vna via & honesta & libera ad mortem, & ipsi virtutem admirabuntur hostes, & Hannibal fortes à se socios desertos adhuc magis dolebit. Plures id Vibii consilium probârunt, quàm secuti sunt. Septem fermè & XX. cum eo Curia egressi, mentibus vino & epulis, quantum fieri potuit, alienatis, venenum ordine hauserunt, inde cum lachrymis sese complexi, suam patriæq; vicem familiariter flentes, diuersi domum abierunt. Nonnulli apud Vibium extingui maluerunt, vt cum eo vnà sepelirentur.

Pauci

Pauci in sequentem diem spiritum traxerunt. Sabellicus libro 14. Ennead. 5.

SVB initia belli Iudaici, cum tota Syria contra *Iudæos efferata esset, Scythopolitæ quoque Iudæos inquilinos in syluam eiectos noctu adorti ad vnum interfecerunt, supra XIII. millia. Inter quos vnus fuit Simon, iuuenis robustissimus, Sauli F. qui in Scythopolitarum gratiam, vt se amicum illis ostenderet, multos contribulium suorum, leuissimis de causis occiderat. Is insidijs animaduersis, magna voce tempus diuinæ vindictæ suorum scelerum adesse exclamauit, neque verò se dignum qui hostili pereat gladio, sed manu propria, qua toties in gentilium gratiam contra suos ciues abusus esset. Itaque productum primò patrem manu sua confecit, inde matrem, mox vxorem cum liberis, singulis penè occurrentibus gladio, & hostes præuenire cupientibus. Tandem cæsis omnibus superstans, elata dextera in viscera sua ensem demersit. Iosephus libro 2. capite 19. belli Iudaici.*

IVDÆI expugnato Gamala Galileæ oppido à *Vespasiano, salutis desperatione, quandoquidem Romanos in prima oppugnatione grauissimè læserant, cum liberis & coniugibus ex arce in profundissimam vallem se præcipites dederunt, ad V. millia, cum quatuor millia hostilis ensis hausisset: Duæ tantum sorores in spelunca latentes cladi superfuêre. Iosephus libro quarto capite tertio belli Iudaici.*

EA in pugna, in qua Ludouicus II. Vngariæ rex, *in campo Mohach cum Turcis congressus occubuit, infantes viui, ne vagitu proderentur, ab infelicissimis matribus in terram defossi sunt, & miserè suffocati. Io. Sambucus in appendice Bonfinij.*

Capta à Caroli V. classe anno 1532. Naupacto, *Turcæ quidam crudelitate Christianorum territi, media inclusi turre, seipsos & turrim totumq; penè castellum, non sine nostrorum clade, succenso tormentario puluere concremârunt, tanto ruentium murorum crepitu, vt littora veluti terræmotu pertremerent, & triremes, quæ suberant, ad sagittæ iactum lapidum fragmentis penè obruerentur. Iouius lib. 31. Histor.*

Cimon Atheniensis accolas Strymonis Thracas *sedibus expulit, totamq; regionem stationibus cingens, ad eas redegit obsessos difficultates, vt Regius Dux Butes Persa rebus deploratis flammam subderet oppido, seq; cum amicis & rebus suis concremaret. Plutarch. in Cimone.*

Perdiccas, penes quem mortuo Alexandro *Magno regiarum copiarum potestas erat, Ariaratem Cappadocum regem obnoxium subito bello adortus, victumq; prælio, & obsidione fatigatum, ad eam desperationem adegit, vt auro argentoq;, cum preciosa veste, cæteroq; ornatu de industria corrupto, coniugibus & liberis, alijsq; super alios interfectis, ipsorum corpora, seq; ipsum in accensos ignes deiecerit. Nihil igitur ex eo bello præter vulnera adeptus est. Sabellicus libro 7. Ennead. 4.*

Iaphenses Galilæi, bello Iudaico cum Romanis *congressi, & profligati, cum iam in primum murorum ambitum irrupissent, euestigiò consecutis Romanis, qui ciuitatem custodiebant, metu ne Romani vrbem caperent, portas interiores suis clausêre. Atq; ita inter duos muros miserrimè ad XIII.M. à Romanis fuere cæsa. Ioseph. libro 3. cap. 11. belli Iudaici.*

Abrahamus Maroci Rex, pugna victus à seditioso *quodam Elmahelo, & vrbe exclusus, cum nullam salutis*

ſalutis vel regni recuperandi ſpem ſupereſſe videret, vxorem chariſſimam à tergo vehens, equum ex altiſſima rupe præcipitem egit. Iohannes Leo, lib. 2. cap. 45. Africæ.

Astapa ciuitas Hiſpaniæ, ſemper Carthagi*nenſibus fauit, præcipuumq́ gerebat in Romanos odium. In quorum nomen cum implacabili eſſet animo, & Pœni à P. Scipione tam eiecti eſſent, filios & vxores, & omnem imbellem multitudinem cum precioſa ſupellectili in forum contulere ciues, collatam arida lignorum materia in ſpeciem grandioris pyræ circumuallant, quinquaginta inde iuuenibus mandant, dira execratione adhibita, niſi imperata feciſſent, ſi (quod nollent) ſe ad pugnam egreſſos ſuperari contigiſſet, confeſtim ferro in multitudinem graſſati pyræ ignem iniȷcerent, ne quid chariſſimarum rerum ad hoſtes perueniret. Ipſi ſubita eruptione in Romanorum ſtationes facta, militem inopinata re turbatum in caſtra compellunt, vallum inde ſubeunt, vertuntq́ omnem in ſe exercitum. Certatum nonnihil eſt ancipiti marte: Poſtremò Hiſpani multitudine victi, ad vnum cæduntur. Qua ſuorum clade animaduerſa, iuuenes qui in vrbe erant, imbellem multitudinem ferro conficiunt, pyram incendunt, incenſæ ſeipſos cum armis iniȷciunt. Superuenit Romanus victor crudeliſſimo ſpectaculo. Multi, qui cupiditate interfulgentis auri proximè rogum adiêre, vrgentis à tergo multitudinis impulſu partim igni correpti ſunt, partim inſigniter ambuſti. Hunc Aſtapenſes exitum habuêre. Sabell. libro 5. Ennead. 5.*

Cleomenes Leonidæ F. Spartanorum Rex, *victus ad Selaſiam ab Antigono, cum amicis in Aegyptum fugiebat. Vnus ex amicis Therycion nomine, vir ſpectatæ fidei & fortitudinis, Cleomeni conſuluit, vt viros ſe præſtarent, nec vi-*

nec victorum Antigonum fugientes, Ptolemæo sponte seruirent, sed gladijs suis sibiipsis manus inferrent. At Cleomenes non sibi, sed patriæ se superesse dictitans, & mortis metu mortem sibi vltrò consciscere, non fortis, sed insani hominis esse iudicans, Therycionis institutum grauiter reprehendit. Therycion vt primum opportunitatem habuit à Cleomene digrediendi, deflexit per littus, ibiq́ semetipsum confodit. Cleomenes ad Ptolemæum abijt, & ab eo benignè susceptus fuit. Eo mortuo, Philopator filius circumuentum calumnijs Cleomenem carceri inclusit liberiori. Id ægrè ferens Cleomenes, facta cum amicis tredecim eruptione, cum frustra ad libertatem Alexandrinos vocasset, & aliquot amicos Regis interfecisset, auctor socijs fuit, vt sese mutuo interimerent. Plutarch. in Cleomene.

AXIOTHEA, Nicoclis Regis Cypriorum vxor, *magna multitudine militum veniente ab Ptolemæo Aegypti Rege, ad occupandum regnum, cum Nicocles vitam laqueo finijsset, fratresq́ eius sibi ipsis mortem consciuissent, ipsa mortuorum virtutes æmulata est: sororesq́ eorum ac matres, vxoresq́ conuocauit, & ijs persuasit, ne quid indignum genere committerent. Quæ persuasæ, fortiter ianuas muliebris aulæ concluserunt, recurrentesq́ ad tecta, multitudine ciuium confluente, liberos, quos in vlnis ferebant, interfecerunt, & igne tectis iniecto, aliæ gladijs semetipsas occiderunt, aliæ confidenter in flammam insilientes perierunt. Axiothea verò ducem se in periculis optimam præstabat. Cum enim videret omnes egregiè iacere, tum etiam ipsa summisso gladio per cædem se in flammam coniecit, vt ne mortuo quidem corpore hostes potirentur. Polyænus libro 6.*

THEOXENA mulier Thessala, cuius maritum *Philippus Macedoniæ Rex, Persei pater, interfecerat, cum sororis filij à Philippo ad carcerem & ludibrium deposcerentur, molita mulier cum pueris fugam, vbi se & suos venturos esse vidit in hostium potestatem, quos fallere non potuit, sibi & pueris mortem consciuit. Sabellicus libro 5. Ennead. 5.*

SARNII Galli, Alpium accolæ, à Q. Martio *Rege obsessi, à quo postea Narbona condita, Narbo Martius dicta fuit, cum nullum libertatis spem superesse viderent, interfectis liberis & coniugibus, se cum omni præda igni absumendos obiecerunt. anno V. C. 636. Eutropius libro 4. Orosius libro 5.*

THEOGENES Numantinus, perditis & afflictis *rebus Numantinorum, cum omnes eius ciues nobilitate, pecunia, honoribusq; superaret, vicum suum, qui in ea vrbe speciosissimus erat, incendit, protinusq; strictum gladium in medio posuit, ac binos inter se dimicare iussit, vt victus incisa ceruice ardentibus tectis superiaceretur. Qui cum hac ratione mortis omnes absumpsisset, ad vltimum seipsum flammis immisit. Valerius libro tertio, capite secundo.*

FVSIS à C. Mario Cimbris ad Athesin, cum Romani *eos ad castra persecuti essent, inciderunt in horrendissima spectacula. Fœminæ consistebant in plaustris pullatæ, fugientesq;, hæ viros, illæ fratres, parentes aliæ interficiebant, infantes suis strangulabant manibus, & sub rotas, iumentorumq; pedes proijciebant, mox trucidabant semetipsæ. Vnam memorant ex summo dependisse temone, quæ pueros ex cruribus suis annexos laqueis hinc inde suspenderat. Viros arborum inopia cornibus boum, alios cruribus*

adalligasse colla, mox eos stimulasse, quò exilientibus bobus raptati & obtriti interirent. Qui quanquam ita sibi conciliarent mortem, capti sunt plus LX. millia, cecidisse bis totidem referuntur. Plutarchus in Mario.

CANTABRICÆ mulieres, bello Cantabrico, *filios, ne in hostium manus peruenirent, necauerunt. Puer quidam, cum parentes ac germani captiui vinculis adstricti iacerent, eos omnes neci tradidit: ita enim pater iusserat, oblato ferro. Idem fecit mulier ijs, qui secum capti fuerant. Quidam intra vinosorum conuiuium inuitatus, supra rogum sese coniecit. Strabo libro 3.*

BELLO Iugurthino Thala vrbs, vbi Iugurthæ *thesauri erant, à Metello coss. quadraginta amplius dies oppugnata est. Oppidani fessi, vbi disiectis muris apparuit oppidum paulò pòst captum iri, omni auro preciosaq; veste in regiam domum comportata, vino & epulis grauati, subiecto igni sese cum tota domo, & omni gaza incendio consumpserunt, atq; pœnas, quas ab hostibus metuebant, ipsi volentes pependerunt. Sabellicus libro secundo, Enneade sexta.*

OBSIDEBAT M. Brutus Lycios intra Xanthi *muros, posteaquam Cæsarem interfecit. Xanthij machinas quasdam adorti nocte sunt, ignemq; eis ingesserunt: sed reiecti sunt, re ab Romanis animaduersa, ad muros. Ventus verò acrior in pinnas muri concitauit flammam, quæ proxima comprehendit ædificia. Hîc timens vrbi Brutus, imperauit militibus, vt ignem extinguerent, & opem ferrent vrbi. At Lycios ingens subitò inuasit & incredibilis ad desperationem ardor, quem maximè mortis desiderio compares. Nam cum pueris & mulieribus liberi & serui omnis ætatis hostes petebant ex muris eos, qui ad reprimendum*

mendum succurrebant incendium. Ipsi arundinem, materiam, & omne igni aptum fomentum ingerentes trahebant in vrbem flammam, eiq́; quamuis materiam subijciebant, atq; eam omnibus modis excitabant augebantq́;. Postquam diffusa flamma & vrbem vndiq; amplexa ingens eluxit, anxius ea re Brutus, circumuectus foris muros est ad opitulandum, manusq́; ad Xanthios porrigens, precabatur, vrbi vt parcerent, eamq́; conseruarent. Verùm nemo auscultabat ei, immò perdebant omnibus modis semetipsi, non viri modò & fœminæ, sed parui etiam pueri cum vociferatione & vlulatu partim insiliebant in ignem, partim supernè præcipitabant sese ex muro, pars parentum gladijs nudos offerebant iugulos, hortabanturq́; ad hauriendum eos. Conspecta est vrbe absumpta dependens ex laqueo mulier, quæ mortuum puerum ex collo suspensum haberet, & ardenti face inflammaret domum. Quod cum spectaculum appareret tragicum, non sustinuit id Brutus contemplari, sed vbi renunciatum ei est, illachrymauit, &c. Bis Xanthij in Lycia, parentes, liberos, & vxores ira & desperatione interfecerunt, primò bello Persico, inde post aliquot ætates ciuili bello, quod Bruto & Cassio ducibus aduersus triumviros Antonium & Octauium in Asia & Europa gestum est. Sabellicus lib. 8. Ennead. 6.

P. CRASSVS eo prælio, quo infeliciter M. Cras*sus pater contra Parthos pugnauit, collem quendam fugiens occupârat. Erant cum eo Græci duo, qui eo in tractu Carras colebant, Hieronymus & Callimachus. Hi suadebant ei, vt cum ipsis subduceret se, & confugeret Ischnas oppidum partium Romanarum, quòd non procul aberat. Verùm ille nullam ait tam acerbam sibi occursuram mortem, cuius ipse metu deserturus esset illos, qui sua causa*

occumberent: iussosq́, vt suam ipsi salutem expedirent, complexu dimisit eos. Mox quòd impotens manus esset telo traiecta, latus armigero præbuit, & haurire iussit. Pari fato aiunt cecidisse Censorinum virum senatorium. Megabacchus vir fortissimus semetipse interemit, similiter nobilissimi quiq́. Residuos subeuntes Barbari collem contis confodêre pugnantes. Viui non amplius quingenti dicuntur in eorum potestatem venisse. Capite detruncato Publij, contenderunt illico in Crassum. Plutarchus in Crasso.

VICTO ad Thapsum in Africa Scipione à Cæsare, *Iuba Rex & Petreius, postquam ex acie excesserunt, nocturnis itineribus (interdiu enim latitabant) ad Zamam peruenerunt, vbi erant vxores Regis & liberi. Huc fama aduersæ pugnæ Regis aduentum præcesserat, quo contigit vt ab oppidanis sit Rex portis inclusus: cum ab initio eius belli ingentem pyram construxisset, in quam Zamenses, liberos, vxores, omnem regiam supellectilem, postremò seipsum præcipitaturum, si victus prælio fuisset, publicè prædixerat. Multis igitur precibus contendit, vt sibi liberos & vxores restituerent. Sed cum nihil impetraretur, in villam suam cum Petreio, & paucis comitibus concessit. Nec multò pòst Cæsar à Zamensibus accersitus, cum expedito equitatu eò accurrit. Iuba & Petreius vt ambo vnà perirent, mutuis vulneribus concurrerunt. Petreius tamen prius concidit validiore Regis ictu. Ipse cum sibi manum inferre non posset, à seruo petijt, vt se ferro traijceret: Liuius Iubam à Petreio confectum scribit, ipsumq́ sibi manum intulisse. Sabellicus libro 7. Ennead. 6.*

METVLII Iapides ab Augusto obsessi, per legatos *deditionem paciscuntur, quingentis obsidibus datis.*

Romani

Romani in partem vnam vrbis recepti, cum ijs qui superiora oppidi loca obtinebant, sibi arma tradere iussissent, consternati animo oppidani, mulieres & pueros in senatu sub custodia clauserunt, vt continuò, vbi se in discrimen adductos vidissent, locum incenderent. Vbi primum igitur vis est à Romanis admota, continuò subiecta à custodibus flamma, omnis imbellis multitudo igni consumpta est, viri & ipsi occidione occisi sunt. Ita Metulium prius direptum fuit, mox igni consumptum ac dirutum, vt ne vestigia quidem vlla tam claræ nuper vrbis extarent. Sabellicus libro nono Ennead. 6.

Fl. SYLVA Præses, ad conficiendas Iudaici *belli reliquias in Iudæam missus, Eleazarem sicariorum Ducem (qui genus suum ad Iudam Galilæum, Zelotarum sectæ authorem referebat) in Massada arce munitissima obsedit, & aggere altitudinis immensæ excitato, murum arietibus perfregit. Eleazarus concione aduocata, multa de libertatis dulcedine, seruitutis miseria, animorumque immortalitate præfatus, author suis fuit, vt in libera patria mori, quàm Romanis supplices viuere vellent. Qua eius oratione ita commoti sunt vniuersi, vt alius alium in morte oppetenda præuenire cuperet. Simul itaque vxoribus vltimum vale cum amplexu dicentes, ac liberos deosculati, vltrò in mucrones incurrentes conficiebant. Mox congestis in vnum opibus, quas habebant, charissimis, ignem subiecerunt. Inde decem percussoribus sorte lectis, vxorum cadauera complexi, vniuersos se iugulandos præbuerunt. Nec mora, percussores quoque sortitione facta, mutuis cecidêre vulneribus. Decimus, qui ex omnibus supererat, cæsis diligenter inspectis, ne quis semiuiuus euaderet, ignem Regiæ immisit, & gladio tandem proprio incubuit. Periêre*

nongenti numero, & sexaginta, cum mulieribus simul & pueris. Euasêre hanc cladem (quæ die XV. Aprilis mensis accidit) duæ tantum mulieres, & quinque pueri, qui omnium mentibus in cæde occupatis, cuniculum cisternæ subingreßi, Romanis in oppidum irrumpentibus, fide accepta, hæc omnia narrârunt, desperationem & insaniam hominum admirantibus & detestantibus. Iosephus libro 7. cap. 28. belli Iudaici.

CVM Romani templum Hierosolymitanum in*cendissent, multi, qui deditione seruari potuissent, obstinatione perire maluerunt. Duo quidam nobilium Meierus Belga, & Iosephus Dalæi F. semetipsos in ignem inijcientes cum templo concremati sunt. Iosephus libro 7. capite 11. belli Iudaici.*

CVM Cruciferi Germanorum quorundam prin*cipum auxilijs adiuti, agros Lituanorum infestarent, & arcem Pullen obsedissent, Barbari qui erant in præsidio desperatione retinendæ arcis inducti, pyram in medio accenderunt, & facultates, liberos, & vxores suas, & seipsos ad extremum in eam coniecerunt, ne viui in potestatem hostium venirent, Anno 1338. Cromerus libro 11.*

PACHES Atheniensis, parto patriæ Lesbi in*sulæ imperio, cum domum rediisset, rationem in senatu omnium rerum reddidit, quas eo bello administrauerat: atq; eo ipso tempore, gladio quo cinctus erat, vt aduersariorum calumnias vitaret, seipsum traiecit. Plutarchus in Nicia.*

THEMISTO fuit Critonis Oeanthij filia. Hanc *deperibat Pharicodemi tyranni filius Philo. Tyrannus postulauit in matrimonium virginem. Pater contradicebat.*

Tyran-

Tyrannus filios Critonis abstractos, in conspectu patris ac matris feris esurientibus obiecit: virgineq́ abrepta, nuptias perfecit. Themisto necessitate compulsa, dissimulans ensem sub tunica importauit, & sponsum dormientem in thalamo collum petens facile interemit, vt ne vox quidem occisi audiretur. His omnibus per noctem clam patratis, ad mare progressa, nauiculam inuenit, ventumq́ nacta, sola soluens nauigauit in Græcam quandam Achaiæ ciuitatem, in qua sacrum erat Neptuni templum, in illud supplex confugit. Phricodemus alterum filium occisi fratrem Heracontem misit, vt ab Elicensibus puellam reposceret, qui eam tradiderunt. Cum autem soluissent, ingens coorta tempestas, nauigium depulit ad Rhium Achaiæ, vbi appellentibus superuenerunt biremes duæ Acarnanorum, summas inimicitias cum tyranno exercentium, qui abreptam nauem deduxerunt in Acarnaniam. Vulgus Acarnanorum re cognita, vinctum Hieracontem puellæ potestati permiserunt. Tyrannus legationem ad eam pro filio mittit. Illa se, si parentes receperit, filiam redditvram recepit. Phricodemus his promissis credens, transmisit ei parentes. At Acarnanes Heracontem nihilominus acerbissimis verberibus confectum occiderunt. Phricodemo post non multos dies sui ciues mortem intulerunt. Qui verò Elicen incolebant, non longè pòst demersi sunt, tum ipsi, tum eorum ciuitas, facto terræmotu, pelagoq́ procellis exundante. Visumq́ est hoc Dei indignatione accidisse, quòd supplicem virginem hostibus tradidissent. Polyænus libro 8.

P o s t Gorbodionem Britannorum Regem, *Ferrex & Porrex eius filij inter se de regno dimicare cœperunt, in quo certamine Ferrex interfectus est: cuius cædes tantum*

matri, quæ eum vehementer amabat, doloris inussit, vt subitò furore percita, alterum filium nacta dormientem, adiuuantibus ancillis, crudeliter trucidârit. Polydorus libro 1.

EDOVARDVS IIII. Heinricum VI. eiusq; filium Edouardum summæ spei adolescentem, regnandi libidine captos interfecit: & fratrem suum Georgium Clarentiæ Ducem metu insidiarum in dolio vini Cretici suffocauit. At Ricardus III. frater tutor filiorum relictus, occupato regno, Edouardum & Ricardum eius filios captos in turri Londinensi necauit. Ricardus scelerum conscientia omnia timuit, Edouardum filium vnicum amisit, in odio populi summo fuit, omnes calamitates publicas illius sceleribus acceptas ferentis. Posteaquam autem Henricum Richemondiæ Comitem exulem in Gallia reditum tentare audiuit, promissa ei in vxorem Elisabetha Edouardi IIII. filia, vt nuptias hasce regno suo exitiales remoraretur, animum ad neptem adiecit, vtq; nuptijs illius potiretur, vxorem suam Annam sterilitatis crimine obiecto, è medio tollendi veneno curauit. Sed puella incestum execrante, ab Henrico in acie prius cæsus est, quàm libidini suæ satisfecerit, anno regni secundo, Christi 1486. Eius cadauer nudum dorso equi impositum, artubus vtrinq; dependentibus, Lecestriam sine honore delatum. Polydorus libro vigesimo quinto.

CAPTA Vitige rege, Gothi Vraiam Vitigis nepotem ex fratre regem salutârant. At is Ildoualdum creandum curauit, virum rei bellicæ peritissimum. Interea Vraiæ vxor reginam, quòd non satis culta incederet, reprehendit, & despexit. Regina à viro petijt, vt se ab iniuria vxoris Vraiæ vindicaret. Ildoualdus coniugi parens,

falsis

falsis circumuentum criminibus Vraiam occidit. Erat inter Gothos Buillas quidam, qui Vraiæ vxorem iam marito orbatam in vxorem postulabat. Ildoualdus autem ipsum contra hostes misit, illamq́ interim alteri cuipiam, quem sibi fideliorem putabat, coniugio sociauit. Buillas è castris reuersus, in conuiuio, quamuis circumstante satellitio, caput Regi amputauit, vt in mensam prosiliens dapes inquinaret. Iohannes Magnus lib. 12. ex Procopio.

MICHAEL Theophili F. Imp. cum more suo exer*ceretur cursu equorum ad sanctum Mimantem, & in cœna prope eum accumberet Basilius Protostrator, & Eudocia vxor eius, vino madidus cœpit Basiliscum quendam, qui Basilij primus remex erat, maximè laudare, & quòd optimus esset auriga, & corporis pulchritudine antecelleret omnes sui ordinis. Dehinc purpurei coloris calceamenta illi dono dedit, iussitq́ vt ea calcearet, moxq́ ipsum Regem pronunciauit. Quod Basilio non tam suspectum, quàm hominis insani ac deliri videbatur, qui paulò ante Cæsar ab eo pronunciatus, & Rex erat diademate cinctus. Itaq́ stupefactus, verba quædam Michaëli obiecit, ad quæ indignatus Rex, Nonne, inquit, Basili, qui te Regem creârim, possum alium quoq́ Regem constituere? Et fortè insignia illi magis quàm tibi conueniunt, ob corporis proceritatem. Quod Basilius animaduertens, melius ratus id alios facere, quàm se in periculum manifestum conijcere, cum potationibus iam fatigatus esset Michaël, cubiculum ingressus, claues portæ ademit. Mox cum coniuratoribus introiens, Regem aggreditur. Qui strepitu armorum experrectus, cum in se enses stringi videret, ambabus manibus obiectis est truncatus. Sed nondum vino exoneratus, nesciens quò fugeret, aut quo*

se verteret, iacebat: eum quidam ense perfodit, vt intestina inde profluerent. Cuspinianus.

Mahumetes Othomannus Turcarum Rex, cum in *hortis, quos Constantinopoli in delicijs habebat, deesse pomum in arbore Cedro, quod paulo ante inspexerat, animaduertisset, arbitratus proculdubio, vnum è tribus pueris, quos secum habebat, pomum decerpsisse, quòd in hortis præter eos alius nullus fuerat: Quia quilibet ipsorum se pomum decerpsisse negabat, iußit vt ferro eorum pectora aperirentur: & nisi in primi cuius apertum fuit pectus, stomacho fuisset inuentum, dubium non erat, quin ad omnes ipsos ea pœna transiret. Fulgos. lib. 9. cap. 2. & Sabellicus lib. 9. cap. 3. qui non Cedri fructum, sed binos pubescentes cucumeres huic crudelitati occasionem dedisse refert.*

MALEFICVS quidam in Sabaudia senem vicinum, *quòd arborem suam incidisset, hunc in modum vltus est. Senis concubina insanum quendam amorem immisit in illius filium. Quæ cum adolescentis animum pellicere non posset, eum vltrò apud patrem detulit, quòd se de stupro non desineret interpellare. Pater persuasus à muliere, filium è tecto præcipitem dedit, ac interemit: Deinde facti pœnitens semetipsum laqueo præfocauit. Postremò mulier in puteum se abiecit. Gilbert. Cognat. libr. 8. Narrationum.*

POLYSPERCHONTIS auxilio (post Antipatri *obitum) Olympias ab exilio reuersa, in potestatem redegit Eurydicen cum Philippo, qui Aridæus dictus est, Philippi Amyntæ F. & conclusis in exiguo loco ipsorum corporibus, per angustum receptaculum necessaria suppeditabat. Post multos verò dies Philippum quidem, qui fuerat Rex sex annos & menses quatuor, quibusdam Thracibus excarnificandum tradidit. Eurydicen autem insolescentem,*

ac vociferantem sibi magis conuenire regnum quàm Olympiadi, iudicauit dignam maiori supplicio. Misit itaq; ad eam gladium, laqueum, & cicutam, optione proposita, quónam istorum vellet vti ad mortem. Eurydice comprecata Deos, præsente eo qui illa attulerat, vt Olympiadi talia euenirent, virum obuelauit, curatis eius vulneribus, vti tempus patiebatur. Deinde cum se cingulo suspendisset, finijt vitam, neq; lacrymis deplorauit suam fortunam, neq; abiecta est magnitudine calamitatum. Olympias his sublatis, sustulit Nicanorem fratrem Cassandri, inuertitq; tumulum Iollæ pincernæ, vlciscens, vt ipsa dixit, Alexandri mortem. Delegit autē Cassandri amicorum illustrißimos centum Macedones, quos omnes mactauit. In eiusmodi autem iniquitatibus explens suum animū, fecit vt statim multi ex Macedonibus odio haberent eius crudelitatē, &c. Diodorus lib. 19.

IVSTINIANVS II. cum ope Trebellij Bulgarorum *Regis, noctu per aquæductum Constantinopoli potitus esset, Heracleum Apsimari Imp. qui Leontium imperio deiecerat, fratrem cum plerisq; alijs ex sublimi ligno prope mœnia suspendit, interfecta magna multitudine ciuium. Apsimarum & Leontium, à quo ipse eiectus fuerat, è vinculis eductos, per forum & theatrum simul iunctos rapi ab equis, atq; ad eius pedes detractos cum ceruicibus preßis calcasset, in Cynegeppio, spectante populo interfici iusit. Callinicum antistitem, qui in Leontij partibus fuerat, luminibus priuatum, Romam relegauit: in cuius locum Cyrum abbatem Constantinopolitanum fecit antistitem. Indulsit inde Iustinianus nimium dolori suo, vtpote qui Leontij odio, quoties truncas emungebat nares, vnus aliquis, qui in eius fuisset partibus, è symposio ad supplicium rapiebatur. Cum exercitus ad Philippicum defecisset, Heliæ protospatarij*

rij opera, Iustinianus Heliæ filios in ipso matris sinu interfici iussit, eamq́ matrimonio iunxit seruo ipsius coquo, qui erat Indus. Fugiens Damatryn, à suo desertus exercitu, Heliæ manibus capite truncatus est. Cuspinianus.

MICHAEL Balbus Imp. capto Thoma regni *æmulo, morem ab Imperatoribus vsurpatum seruans, eum porrectum in pauimento iacere iussit, ceruicemq́ eius pedibus suis calcauit. Tum manibus pedibusq́ mutilatum, asino impositum, spectaculi loco per castra circumduci iussit. Cuspinianus.*

ANTONINVS Caracalla Alexandriam petijt, vt *totam ciuitatem Alexandrini, vt sunt natura dicaces, multa in Seuerum patrem, mox in Caracallam dicteria iecerant. Ea re Caracalla offensus, postquam Alexandriam venit, cum eiusmodi multa in eum etiam præsentem iacerent, ne fratris quidem Getæ cæde dißimulata, matremq́ Iocastam appellarent, & quòd tam parua statura homo, Achillem & Alexandrum æmularetur, dum se iocari putant, sibi exitiale odium conflârunt. Ille enim, vt natura erat iracundus, maximeq́ sanguinarius, per speciem delectus habendi, omnem Alexandrinorum iuuentutem iußit in apertum egredi, vt delecto omnium flore alteram phalangem in Alexandri memoriam legeret. Tum læta ciuitas in apertum egressa, dum intenta negocio esset, quod de industria aßimulabatur, ab armato exercitu circumuenta est. Datoq́ repente signo, ad vnum iuuenes cum parentibus & necessarijs, qui ad id spectaculum exierant, trucidati sunt: Tanta vis hominum cæsa dicitur, vt sanguinis riui media planicie in Nilum defluxerint. Et Alexandrini suæ dicacitatis in hunc modum pœnas luêre. Sabellicus lib. 5. Ennead. 7.*

VVALDRICVS Laudunensis Episcopus anno *1112. cum die cœnæ Domini Laudunenses periuros à communione Sacramenti arcere niteretur, gladio confossus occubuit: neque ea cæde satiata turba seditiosa, domum episcopalem igni concremauit. Hinc tantum enatum est incendium, vt plures Ecclesiæ monasteriaq; in cineres redacta fuerint. Sigebertus & Vincentius lib. 27. cap. 11.*

GN. APVLEIVS Saturninus à Q. Cecilio Me*tello censore senatu eiectus, iniuriam vlturus, tribunatum summo studio petijt. In qua petitione Nouium siue Numium, vt Liuius ait, competitorem, quòd ab eo comitialibus diebus publicè esset criminibus lacessitus, iam tribunum creatum, atq; è campo se domum recipientem, sicariorum manu in eum immissa, interfecit. Ipse statim Glaucia Pratore adnitente (is enim tribunitijs praerat comitijs) tribunus relatus est, & ob rem, Nouij cæde suppressa, legem promulgauit, vt omnis Gallaciæ ager, qui Gallorum fuerat, populo diuideretur, statuitq; diem senatui, quo in eam legem iuraret, irrogata viginti talentorum pœna ijs, qui eam non probarent, & vt senatu summouerentur. Sed cum Metellus legi contradiceret, & in proposito perstaret, ex vrbe in exilium pulsus est. Eo in exilium acto, Apuleius tertio est Tribunus refectus. Secuta est inde recentior cædes, Glaucias & Apuleius, cum Memmium tribunum fieri viderent, haud dubiè diuersarum partium, in conspectu populi per homines suæ factionis peremerunt. Populus horum flagitium detestatus, in eos impetum fecit. Quo metu perculsi, cum magna agrestium manu, quæ legi fauebat, Capitolium inuadunt. Senatus eos interficiendos censuit. Marius ea re turbatus, iam plures armis instruxerat, cæterum eo segnius arma expediente, qui ad cædem discurrerant, aquarum*

fistulas, quæ in Capitolio confluebant, incidunt. Tum Saphinius desperatione actus, templum incendit. Dedunt inde sese, siti adacti, Marij opibus confisi, quos Consul in Curia inclusit, velut rem lege executurus. Cæterum agresti hominum manu disiecta, Saphinius, Glaucias, & Apuleius in Senatu obtruncantur. Censore igitur, prætore, & tribuno in hunc modum interfectis, clamore populus significauit, Metellum ab exilio reuocandum. Cuius voluntati P. Furius trib. pl. adeò pertinaciter obstitit, vt ne Metelli quidem filij lachrymæ, piaúe preces, multa & suppliciter pro patre precantis, flectere potuerint. Furius sequenti anno in iudicium vocatus, quòd tantæ pietati non cessisset, pro concione à populo discerptus est. Sabellicus lib. 2. Enneade 6.

LVDOVICI Malani Flandriæ Ducis vxor, Brabantiæ Reguli filia, *puellam ex marito grauidam dolis ad se accersiuit, & inopinanti nares abscidit: Quæ tertio post die præmaturo partu gemellos masculos enixa, statim vnà cum infantibus expirauit, circa annum Christi 1383. Iacob. Marchantius de Rebus Flandriæ.*

HANNO Hamilcaris Carthaginensium Ducis *filius, regnum affectans, scelestum facinus excogitauit. Desponderat filiam suam egregio iuueni: cuius insignes nuptias celebraturus, sub porticibus opiparum epulum populo præparari iussit. Senatum verò omnem in domo propria excepit, infectaq́ veneno pocula, conuiuij ministris tradidit: arbitratus, amoto senatu, Rempublicam consilio destitutam, occupari posse facillimè. Cum autem fraus Senatui detecta esset, & cùm minus tutum Reipublicæ videretur, in tantum virum aliquid attentare, lex tantum circa sumptus nuptiales lata est. Hanno impulsus acriori rabie, quod veneno nequiuerat, id agendum ferro proposuit.*

posuit. Cuius ausui temerario cum exitus non satis respon-deret, à ciuibus captus, virgis caditur: de hinc eruuntur oculi, manus abscinduntur, confringuntur crura, lacerum cadauer cruci suffixum. Neque vel sic contenta sæuitia, eius filios cognatosq́; alios etiam innoxios quoscunq; suppli-cio tradidit, ne vel ad imitandum scelus, aut vlciscendi Hannonis necem aliquis superesset. Guido Bituricensis.

AMASTRIS Xerxis vxor, vxorem Masistæ Ba-*ctrianorum Præsidis excarnificauit, eius mammillas præ-cidit, quas obiecit canibus: Item nares, aures, labra, lin-guam inhonestißimis deformauit plagis. Plutarchus in Ar-taxerxe.*

ARNOLDVS per Simoniam occupato Episco-*patu Moguntino, deiecto Henrico, impetrataq́; à Frideri-co Barbarossa Impetratore inuestitura, sublata è templo veste consecrata, inde sibi ad pompam, quando in aula Im-peratoris versaretur, vestes consui curabat. Hanc inso-lentiam ciues iniquo ferre animo. Arnoldus crescente in-testino dißidio, asperè & tyrannicè in ciues Moguntinos ef-fertur, canes eos vocans, qui parum mordere valerent, li-cet plurimum latrarent. Eiusmodi vocibus ciues inflam-mati, in Arnoldum conspirant. Cum Binga reuersurus esset Moguntiam, diuertit in Monasterium ad S. Iacobum, prope ciuitatis muros in Monte specioso. Ciues ad cam-panæ sonitum summo diluculo diei posterioris, qui Iohan-ni Baptistæ dicatus erat, agminatim conuolant armati, cingunt Monasterium, ne elaberetur, ignem simul inij-ciunt. Monachi fuga salutem quærunt. Arnoldus flamma & fumo vndiq; circumdatus, in altam turrim a-scendit, prospiciensq́; de fenestra, alta voce rogat vt desi-stant, deprecari culpam, polliceri, se omnibus satisfacturum.*

Sed

Sed furens turba, conspecto Episcopo, magis sæuire pergit. Cernens autem Monachis liberè patere effugium, ipse quoque induto cucullo abitionem molitur. Apertis itaque Ecclesiæ valuis, cum reliquis penè euaserat: sed agnitus, gladijs, hastis, contis transfoditur. Nec satiari furor potuit. Annulos & ornamenta è manibus & collo detrahunt. Sepulturam quoque eius integro triduo prohibent, vt omnium ludibrio, etiam mulieribus dentes ipsi saxo elidentibus, patêret. Clam à Canonicis S. Mariæ subtractus, in Ecclesia sepelitur, anno Domini 1160. Conradus in Chronico rerum Moguntiacarum.

ATHENIENSIBVS Chersonnesum oppugnantibus, *Persæ noctu cum Artaycle & Oebazaro Ducibus fugam capessunt. Vbi dies illuxit, Chersonnesitæ è turribus rem Atheniensibus indicant, portasque patefaciunt. Oebazarum in Thraciam fuga delatum, Absynthij Plestoro indigenæ Deo ritu suo immolârunt. Artaycles cum filio super Aegos fluenta captus, Seston est retractus, vbi circa Hellespontum, quâ Xerxes ponte copias traiecerat, filio ante oculos lapidibus obruto, ipsum Xantippus Dux Atheniensium tribus tigillis humi defixis suspendit. Sabellic. libr. 2. En. 3. ex Herodoti libro 9.*

PHERETIMA Cyrenarum Regina, Cyrenensibus *irata, miserorum ciuium corpora palis defixa, circa muros vrbis disposuit: mulierum mammas violenter auulsas in publico suspendit. Herodotus. Cum Barcam cepisset, viros in crucem egit, mulieribus autem mammas execuit: nec multò post ipsa etiam contabuit. Heraclides in Politijs.*

OBSESSI ab Atheniensibus Samij, nono mense *fecerunt deditionem: quorum muros Pericles diruit, naues ademit, atque ingenti summa pecuniæ eos multauit. Duris*

Samius

Samius vnum addit, trierarchos, classiariosq́ Samios in foro rum Milesiorum Periclem produxisse, & asseribus decem dies alligasse, demum semianimes iam iussisse fustibus concidi capita, atq́ ita eos interfici, inde insepulta proijci cadauera. Plutarchus.

GALLI post acceptam ad Thermopylas cladem, *in Aetoliam irruentes, Callienses crudeliter tractârunt: quicquid marium fuit, ad internecionem exciderunt, senes & paruulos ab ipsis matrum vberibus abreptos immaniter trucidârunt. Horum si qui erant lactis alimonia melius curati, sanguinem hauserunt, & ipsis etiam carnibus in cibum sunt abusi. Mulieres & nubiles puellæ, vrbe expugnata, quæ fuerunt elatioris animi, sua sibi manu mortem consciuerunt. Quæ superstites fuere, eas Barbari, omni cuiusuis exquisitæ contumeliæ genere affectas, lacerârunt. Et earum sanè multæ, Gallorum enses nactæ, in eos vltrò incubuerunt. Aliæ non ita multò pòst immaniter Barbaris in eas vicißim irruentibus, inedia & vigilia mortem oppetière. Quibus neq́ spiritum exhalantibus, neq́ iam exanimis, quo minus libidinem explerent suam, illi parcebant. Pausanias in Phocicis.*

CVM Iudæi bellum gererent aduersus Alexandrum *Ianneum Regem, Hyrcani III. F. semper victi multos amiserunt è suorum numero. Tandem potentißimos eorum compulsos in Bethoma oppugnauit, & capto oppido, redactos in potestatem abduxit Hierosolyma, vbi facinus commisit longè immanißimum. Epulans enim cum Pallacis excelsiore loco, vnde prospectus patebat, ad DCCC. iußit suffigi crucibus: in conspectu adhuc viuentium iugulauit vxores eorum & liberos, pœnas exigens pro acceptis iniurijs. Per sex annos à sua gente bello vexatus, non minus*

quàm L. millia Iudæorum occidit: & cum eos hortaretur ad reconciliationem, adhuc magis accendit eorum odia, dum roganti quid se vellent facere? ore vno responsum est, vt seipsum interficeret: moxq́ miserunt ad Demetrium Eucærum, qui ab illo auxilia peterent. Ob hanc crudelitatem Thracidæ nomen obtinuit. Iosephus lib. 13. cap. 21. & 22.

IDEM proditione capta Gaza, primò pacatus ingressus est, *deinde immisit in oppidum militem, permissa sæuiendi licentia, ac paßim Gazæi trucidabantur, nec tamen illi moriebantur multi, sed repugnantes inuasoribus, non pauciores Iudæos interimebant. Alij verò desolatas prius ædes incendebant, ne hostis præda potiri posset: quidam etiam suismet manibus vxores ac liberos contrucidabant, ne in captiuitatem abstraherentur. Senatores autem numero D. in Apollinis confugerant, quibus iugulatis, & diruta insuper vrbe, reuersus est Hierosolyma, anno postquam castra ad Gazam admouerat. Iosephus lib. 13. cap. 21.*

CARTHAGINENSIVM Duce Himilcone Si*ciliam vastantium inaudita crudelitas. Nulla immanes animos commiseratio mouebat, nulla conditio, nulla ætas captiuos tuebatur: nihil cuiq́ prodesse, nulli parcere, sed immani crudelitate varijs infelices cruciatibus dilaniare, alios cruci affigere, alios & contumelias & intolerabilia probra vexatos distorquere. Diodorus lib. 13. Iidem M. Attilum Regulum Consulem captum, Romam miserunt, vt de permutatione captiuorum ageret. At is permutationem Rom. Senatui dissuasit, quòd se venenum tabificum hausisse diceret. Itaq́ Carthaginem redijt. Carthaginenses eum in profundißimo carcere incluserunt, mox resectis palpebris splendidißimo Soli exposuerunt: machinæ præ-*

terea

terea, in qua vndiq; præacuti stimuli eminebant, inclusum, vigilantia pariter, & continuo tactu doloris necauerunt. Valerius Max. lib. 9. cap. 2. Gellius ex Tuditano refert, Romanos, posteaquam id cognouerunt, nobilissimos Pœnorum captiuos liberis Reguli dedisse, à quibus in armario muricibus præfixo destituti, eadem insomnia cruciati interierint. Polybius lib 1. Iidem Carthaginenses milites Romanos Martis certamine in suam potestatem redactos, nauibus substrauerunt, vt earum carinis ac pondere elisi, inusitata ratione mortis barbaram feritatem satiarent, tetro facinore pollutis classibus ipsum mare violaturi. Valerius libro.

HANNIBAL ab Aegestanis contra Selinuntios *in Siciliam accitus, Selinuntem expugnatam diruit, nullo genere crudelitatis omisso. Ad XVI. millia mortalium cæsa. Inde Himeram cum omnibus copijs proficiscitur, summo desiderio eam vrbem euertendi, quòd propter eam pater suus exul erat: Auus verò Amilcar castris ad eam positis, per fallacias & artes bellicas à Gelone deletus fuerat cum exercitu, in quo centum quinquaginta militum millia ceciderant, nec his pauciores capti in prædam seruitutemq; dati fuerant. Capta per vim vrbe, cædes à Barbaris fieri cœpta, obuios quosq; implorantes misericordiam iugulare: nec à crudelitate cessatũ, donec ab Hannibale edictum prodijt, vt viui deinceps caperentur. Tum subitò ad rapinam conuersi. Hannibal sacra Deûm, templaq; omnia spoliauit, abductisq; inde qui ad aras confugerant supplicibus, incendio cuncta vastauit, vrbem solo æquauit, annis quadraginta & ducentis ante id habitatam. Ex captiuis mulieres & pueros per exercitum distribuens sub custodia teneri iussit. Viros bello captos circiter tria millia iussit omnes in eum locum abduci, vbi antea Amilcar auus suus à Gelone profligatus*

gatus perierat, ibiq́ verberibus omnes contumeliisq́ affectos iugulat. Diodor. libr. 13.

HASDRVBAL, Carthagine obsessus à Scipione, *cuius vrbis partem Megaram Romani milites occupârant, impellente, quæ ei à natura insita erat, crudelitate, productis in hostium conspectum ex arce Byrsa omnibus Romanis captiuis, partim eorum effodit oculos, quibusdam linguam neruosq́ desecuit, multis genitalia hamato ferramento diuellere nixus est, nonnullis ex pedum planta cutem abrasit, aliquos penitus excoriauit, atq́ ita affectos ab vrbis muris laqueo suspendit. Hasdrubal vbi se suorum odiis flagrare sensit, senatorum ferocissimum quemq́, in eam sæuitiam reclamare ausum, interfecit, &c. Sabellicus libr. 9. En. 5. Suidas.*

MITHRIDATES Ponti Rex sanguinolentus ac *crudelis in omnes fuit: Nam matrem, fratrem, ac filios tres impuberes, totidemq́ filias interfecit. Quo fit vt minus miremur, satrapis vrbiumq́ primoribus illum secretò perscripsisse, vt trigesimam diem obseruantes, omnes pariter Romanos, qui apud eos essent, & Italos eorumq́ mulieres cum pueris & liberis, qui Romani sanguinis essent, interficerent abiicerentq́ insepultos, bona cum Rege diuiderent, supplicio proposito iis, qui vel sepelissent, vel aliter occuluissent. At cum destinata cædi aduenit dies, per vniuersam Asiam calamitatum multiformes visebantur aspectus. Ephesii eos qui in Artemisium confugerant, statuas complexos per vim detrahentes crudeliter interfecerunt. Pergameni sagittis confixerunt, qui se in Aesculapii templum contulerant, Adramitani adultos impuberesq́ in mare præcipitârunt. Caunii infantes ante parentum oculos contrucidantes, mox immolabant matres, & demum viros. Val. Max. lib. 9. cap. 2.*

MAR-

MARGARITA Austriaca, vidua Henrici filij Friderici II. Imp. cum Regi Bohemorum Othocaro nupsisset, in eius odium Hungari vniuersam Austriam rapinis & incendijs deuastârunt, maxima edita strage, qua centum millia hominum feruntur occisa, qui partim cruci affixi, partim sagittis crudeliter transfixi, partim ense cæsi, partim ædibus inclusi igne absumpti sunt. Nulla fœditate Hungari abstinuerunt, vt sæuitiæ suæ satisfacerent: nec sexui vlli pepercerunt, prostitutis & virginibus, & viduis ac coniugibus: magisq́; sæuierunt cum mortem patris Othocari acceperunt. Cuspinianus.

FRIDERICVS Alberti Imp. F. Dux Austriæ, confirmatus ab Henrico VII. Imp. Austriacorum Baronum castra & munitiones diripuit, & solo æquauit. Viennenses ciues oculis, naribus, manibus, pedibus detruncauit, equis adalligatos discerpsit, rotis fregit, ense ac laqueo obedientes reddidit, coëgitq́;, vt se dominum ac principem agnoscerent. Cuspinianus.

IARMERICVS Danorum Rex, Teutones exquisitissimis tormentis sæpe afflictos trucidauit. Regem & Reginam eorum, à quibus in adolescentiæ ætate iure belli captus, & summæ libertati restitutus, atq; in numerum & primum familiaritatis locum translatus, admoto furtim incendio, per summam ingratitudinem occidit. Deinde Rex Danorum factus, XL. Teutones captos, applicatis totidem lupis, laqueo adegit. Nec si poterat eius sanguinaria mens satiari, quippe optimates eorum primò tibias loris traiectos, moxq́; immanium taurorum vngulis alligatos, molossisq́; incessentibus raptim in cœnum, voraginesq́; pertractos, lachrymabili spectaculo consumpsit. Demum Comites, Duces, Principes Teutonicæ gentis captos, traiectis fune tibijs, equis

 in di-

in diuersa raptantibus præbuit lacerandos. Vxorem suam, Hunnorum Regis filiam, quamuis innocentißimam, & pudicißimam, ac pulcherrimam, humi alligatam equinis obterendam calcibus præbuit: suis ex sorore nepotibus insidiose comprehensis, laqueo spiritum eripere non dubitauit: eorum tutores conuiuij simulatione vocauit. Saxo Grammaticus.

IDEM Saxo scribit, Pomeranos olim à Danis *comprehensos, & crudelißima morte ita consumptos, vt Dani eos reuinctis post terga manibus, primum palis affigerent, deinde ventrium caua cultro rimati, nudatis extis, primaq; viscerum parte protracta, cætera stipitibus explicarent: nec ante supplicium remiserunt, quàm tortos, extis funditus aluo egestis, spiritum profundere coëgissent. Ioh. Magnus lib.22. cap. 4.*

ANNO Christi 1469. in Valachia opportuni*tate locorum vtentibus Valachis cum Stephano Palatino, profligati Tartari ter retrocesserunt, filio Ducis sui Maniaci amisso. Quem captum, cum à patre minaci legatione repeteretur, Stephanus præsentibus centum legatis dissecari, & mox ipsos quoq; legatos palis suffigi iußit, vno excepto, quem truncato naso & auribus, nuncium rei gestæ ad Maniacum remisit. Cromerus libro vigesimo septimo.*

BISTRICIVM Transyluaniæ oppidum Ladis*laus Rex cum Viennæ ageret, Iohanni Huniadi dono dedit. Tulerunt id ægrè oppidani, diuq; restitêre, coacti tamen imperata fecerunt. At mortuo Iohanne, eiusq; filio Ladislao Budæ securi percusso, Michaëlem Rylagum, qui pro Matthia altero Iohannis filio nepote ex sorore vrbem petebat, turpiter reiecerunt. Ille indignatus, quàm primum Ladislai Regis mortem accepit, eò cum exercitu redijt, vi oppi-*

dum

dum expugnauit, rebellium ciuium aliꝭs oculos eruit, aliꝭs manus amputauit, tandem ignem iniecit. Aen. Syluius capite secundo Europæ.

CRVCIFERI Prussi arcem Pomeraniæ Suecam *obsidebant, ac duobus patibulis è regione arcis positis, exitium obsessis, ni arcem dederent, minabantur. Quo verò maiorem terrorem eis incuterent, quotidie aliquot homines rusticanos captos appendebant. Suffridus Legatus Cruciferorum quotidie compluribus funibus atq; restibus in equum impositus, deuouebat non prius se sumpturum esse cibum, quàm omnes illos funes atq; restes in suspendendis Polonis siue Pomeranis expendissent. Quadam die cum ad focum adstaret, furijs derepente exagitatus, in ignem se coniecit, & periꝭt. Cromerus lib. 11.*

ROSSI antequam fuêre à Ducibus Romani Lacapeni *Imp. debellati, captiuorum alios in crucem egerunt, alios terræ affixerunt, alios pro scopo constituêre, inq; eos sagittas direxerunt. Quicunq; captiuorum sacerdotio præditi erant, eorum capita acutis clauis perforârunt, multa etiam templa incenderunt, &c. Cedrenus.*

FERA nimis, nedum barbara fuit vltio Abagæ Can, *Regis Tartarorum, aduersus Paruanam Turciæ Præfectum, cuius imperiũ Tartari anno 1280. sibi pepererant. Paruanas precio eam regionem Aegyptio Sultano vendiderat. Abagas armis Turciæ regno recuperato captum proditorem (vt Scytharum mos est) medium dissecuit, carnes inter alias epulas coxit, & cum procerib. suis deuorauit. Fulgosius lib. 9. ca. 10.*

HAALON Metonis Tartarorum Regis frater, *Perside subacta, Balachum Mesopotamiæ vrbem (Babylon olim dicta, à Semiramide condita) cepit. Adꝭcit Aytonus, sedem in ea fuisse Caliphæ, qui Mahometanæ legis summo funge-*

fungebatur magisterio. Vrbs excisa est, non sexus, non ætatis discrimen vllum habitum, omnis multitudo ferro dedita: immensum pondus auri gazaq́ omnifariam Caliphæ studio congesta, Regem & exercitum ditauit. Hic cauillabundus Halon victor: Aequum est, inquit, tam quæstuosum hominem cibis vesci non nisi preciosissimis. Ite, & Calipham medijs auri gemmarumq́ aceruis statuite, his vescatur epulis, has illi affatim ad omnia ventris desideria ministrate: & ille ita plures dies asseruatus, in media diuitiarum affluentia fame consumptus est, magno eorum documento, qui naturæ obliti (paruo enim contenta est) nullum sibi habendi finem constituunt. Sabellic. lib. 7. Ennead. 9.

TARTARI, qui regnante in Vngaria Bela IIII. *Pannoniam vastabant, destructis cæteris oppidis, Villam nouam adoriuntur. Quam vt sine cruore expugnarent, primò captiuos Vngaros, deinde Rutenos & Cumanos in pugnam commisêre: ipsi pro triarijs erant, vt cum alieno periculo victoriam sibi compararent. Vngari, qui in prima acie pugnabant, cum suis miserrimè dimicare cogebantur: ridebant à tergo Tartari, & gentili hoc prælio præ nimia lætitia gestiebant. Septem igitur dies aßiduè pugnatum, completa demum fossa Vngaricis Rutenisq́ corporibus, Villa noua capitur. Quum omnes viros & mulieres in suam potestatem redegissent, in campum amplißimum deduxere, diuisere bifariam, hinc rusticos, nobiles illinc: quibus postquam vestes, arma, pecunias, & ornamenta diripuêre, præter duas puellas, quas ad Veneris ludibrium reseruârunt, crudeli omnes feritate trucidârunt. Hi tantum superfuêre, qui inter cæteros fœdati sanguine, inter cæsorum corpora delituêre: Post Villæ nouæ excidium, cœnobium Egres per deditionem ingreßi, omnes interfecêre, præter*

ter Monachos quosdam nonnullasq́ matronas, formosasq́ puellas, quas explendæ libidini reseruârunt. Capto Strigonio, tantam cædem patrârunt, vt nemo ex vniuersa ciuitate, præter quindecim, euaserit, in omnem sexum ætatemq́ sæuitum: quandoquidem viuos homines, palo adsutos, porcorum instar igni assâsse referuntur: ingenuæ quædam matronæ, more patrio excultæ, in palatium se receperant, cum ad Tartarorum Principem prouocassent, in conspectum illius extra vrbem eductæ, vt vita donarentur, suppliciter orabant, sed prius spoliatæ, mox capite ad vnum omnes multatæ sunt. Bonfinius lib. 8. Decad. 2.

TAMBERLANES Scytha, Tartarorum Princeps, ad *deditionem vocans, antequam mœnia adoriretur, primo aduentu signa candida conspecto maximè in loco proponebat. Qui eo die imperata facerent, sine insigni iniuria in fidem recipiebat. Postero die purpurea, vt cruentam mortem sibi obeundam scirent. Tertio atra, velut vndiq́ funesta, vt simul & hominum, & mœnium, lectorumq́ excidium, cæde, ruina, igne opperirentur. Ab hoc nefario instituto mens effera nullis precibus reuocabatur. Cum in obsidione cuiusdam vrbis populosæ, quæ prima die deditionem neglexerat, agmen puerorum ac puellarum oleas in manibus gestantium, candida veste egressum obuiam Tyranno veniam supplex deprecaretur, in illos equitatum immisit, & crudeliter conculcatos cum parentibus obtriuit. Genuensis quidam, qui eius familiaritate annis iam pluribus longa consuetudine vtebatur, cum rogaret, cur in supplices non mitior esset, cum facilius quæ vellet, si non tanta vteretur crudelitate, impetrare posset: turbato truciq́ oculorum aspectu, furorem vultu distorto præ se ferente respondit: Quid tu me hominem esse putas, & non Dei*

 iram

iram potius, ac orbis vastitatem ac calamitatem? Proinde ocyus te hinc aufer, ni tu quoque periclitari cupias, & interrogationis tuæ pœnas dare. Abijt Genuensis, nec amplius in conspectu Tamberlanis visus est. Baiazethem Turcarum Imperatorem captum caueæ inclusit, & cathenis vinctum sub mensa, instar canis, reliquias pro sedanda fame colligere coëgit. Cuspinianus, & Aemilius lib. 10.

BOHEMI Duce Ciapcone Polonis contra Cruciferos *suppetias tulêre. Dersauia expugnata, & multis hostium captis, ex his quicunque Bohemici generis fuerunt, Ciapco reuertens, vt sibi condonarentur, impetrauit: traditos, grauiter, quòd Teutonibus contra Polonos eiusdem secum lingua & originis militarent, corripuit, pyraque ingenti extructa combußit. Eius exemplum secutus Iohannes Straßus Bialaciouius, piratas seu nauticos homines in ergastulo conclusos, quorum non exiguus numerus inter præsidia Cruciferorum fuit, circumiecta palea & arida materia, succendit. Et effregerunt ij quidem ergastulum ligneum, sed cum effugere vellent, aduersis hastis à Polonis excipiebantur, donec Michalouius superueniens cædem eorum repreßit, ignemque restinxit. Cromerus lib. 20.*

NVSQVAM gentium horribiliora iræ argumenta *extiterunt, quàm in factiosis Italiæ vrbibus: vbi principes factionum, in inimicorum potestatem redacti, viui quidam combusti sunt, in crepundijs pueri interfecti, prægnantes matronæ execto vtero cum partu crudeliter peremptæ, multi præcipitati, exenterati quidam, cordaque ad opprobriũ suspensa ac diuerberata. Sed quales fuerint eiusmodi carnificinæ, illud declarat, quòd clementia fuit hominem subijcere securi, aut laqueo necare. Sabellic. lib. 9. cap. 3.*

OLIM inter digladiantes quasdam familias ini-

micitiæ ortæ sunt. Captus quidam ex factione altera, euestigio concisus in minutissima frusta fuit, moxq́ exemptum illi iecur, in prunis candentissimisq́ carbonibus à factionis eius principibus tostum, perq́ buccellas minutim dissectum, inter cognatos ad id inuitatos, in ientaculum distributum. Allata etiam post degustationem tam execrabilem pocula, non sine collecti cruoris aspergine. Congratulationes habitæ inter se, risus, ioci, leporesq́ cibum ipsum condientes, deniq́ & Dijs ipsis propinatum, tanta vindictæ fautoribus. Hanc historiam se Pontanus libro de Immanitate cap. 13. ab auia sua Leonarda etiamnum puerum audiuisse scribit.

ROGERIVS Vbaldinus Pisanus Archiepiscopus *Gibellinæ factionis, ab vrbis administratione Vgolinum Girardescum depulit, cum ipsum in eo honore Guelfum Pisani constituissent, vt Lucensium atq́ Florentinorum Guelfi nominis amicitiam aduersus Genuenses sibi conciliarent: quorum res in Gibellinorum Vbertorum, Auriæ, Spinulæq́ manu erant, & à quibus maritimo bello Pisani magna clade afflicti, nouem millia, atq́ insuper ducentos, anno salutis 1284. è suorum numero desiderauerant. Carcere igitur longo maceratum Vgolinum cum duobus filijs totidemq́ neptibus, pollicitus archiepiscopus se incolumem seruaturum, si pecuniam, quam habebat, patefecisset: posteaquam eius thesaurum assecutus est, fame, cum tribus liberis, quadriennio postquam clades illata fuerat, ad mortem compulit. Platina in Nicolao III. Aemilius lib. 8.*

CVM Turcæ Anno Sal. 1453. Constantinopolim ce*pissent, nulla scelerum facies defuerunt, nulla dignitatis, sexus aut ætatis habita est ratio: stupra cædibus, cædes stupris additæ. Templa Sanctorum diruta sunt, ossa Martyrum canibus & suibus obiecta. Redemptoris imago*

iterum cruci affixa, luto limoq́ deformata est. Nullum omissum ludibrium, quod prius exercuissent Iudæi. Princeps tantæ feritatis Mahometus II. vbi satis in Sanctorum reliquias & simulachra sæuijt, feritatem conuertit in vtriusq́ sexus homines, quos omnes more porcorum gregatim occîdit, præter nonnullas liberali forma fœminas, quas ad maiorem libidinis ignominiam reseruauit.

ANNO 1498. Florentini Butrium aggressi, per *deditionem oppidum cepêre: eo tamen ita capto, omnibus tormentorum magistris, ne amplius artem exercere possent, manus dextras præciderunt, suaq́ cuiusq́ collo appensa eos dimiserunt: quorum pars Venetias veniens sese patribus commendauit. Patres quoad viuerent stipendium singulis cum vacatione omnium munerum tribuerunt. Illi manibus ferreis fabrefactis, se ad artem redituros, & Reipublicæ vsui futuros, suasq́ iniurias, si Pisas remittantur, vindicaturos, fidem Senatui fecerunt. Bembus lib. 4. Histor. Venet.*

CAROLVS vltimus Burgundiæ Dux, vel ipsa*rum tragœdiarum portenta superauit. Leodienses Ludouicum Borbonium Antistitem suum eiecerant, mox restitutum cum Legato Pontificio in vincula coniecerant. Suscepit bellum Carolus non minori odio quàm postea executus est: nam in cogendo exercitu ij quibus erat id negocium iniunctum, vna manu exertum gladium habuisse dicuntur, altera ardentem facem. Captam vrbem diripuit, solo æquauit, in omnes sine discrimine sexus & ætatis sæuijt. Sabellicus lib. 7. Ennead. 10. Heluetiorum vno die quingentos in deditionem acceptos, partim funibus ordine alligatos in lacu submersit, partim suspendit. Fulgosius lib. 9. cap. 2.*

POMELIANVM ad Cryptam Pausilypi montis op-
pidum,

pidum, Galli, quod ab Arragoniæ factionis hominibus portæ claudebantur, nullo negocio expugnârunt, omnesq́ ad vnum, vt nec fœminis nec pueris parceretur, interfecêre: & cum abditas res quærerent, latebras omnes sedulò scrutati, quosdam, qui in furnos metu mortis se coniecerant, iniectis ignibus concremârunt: alios in latrinis latitantes, hastis atq́ lapidibus demersos fœdißimo mortis casu pernecârunt. Iouius libr. 3. histor.

FERDINANDVS Aragonum & Neapolitanorum *Rex, cum filio Alphonso, multos proceres ac præclaros Duces, interposita fide, & sacramenti religione, in gratiam receptos, quòd antea Gallicarum partium fuissent, violato iure, non modo hospitij, sed ipsius regiæ mensæ crudeliter enecârunt. Eorum cadauera siccata & condîta odoribus in eo habitu quo viui fuerant, ijsdemq́ insignibus exornata, adseruârunt atq́ ostentârunt, vt eo exemplo paria timerent, qui seruire nollent. Iouius lib. 1. histor.*

OBEGNINVS & Calatinus, Caroli VIII. Re*gis Galliæ Duces, in Aemilia copijs atq́ animis aucti, ad Mordanum Forocorneliensium castellum processêre. Castellani persuasi à Marino Mercatello Catharinæ Sfortiæ præfecto, qui præsidij causa aliquot armatos introduxerat, portas clauserant, ac muro foßisq́ confisi Gallos oppido excidium, nisi statim reciperentur, comminantes, lapidibus ac sagittis summouere cœperant. Ea iniuria accensi Galli, quin & amissorum in expugnatione commilitonum dolore concitati, vt cæteros vno crudeli exemplo à simili pertinacia deterrerent, præsidium oppidanosq́ omnes ad vnum, quibus neq́ latebræ, neque Deorum templa, in quæ confugerant, profuêre, inusitata rabie trucidârunt, ita vt neq́ senibus, neq́ fœminis, neq́ ipsis, crudele visu, pueris barbara*

feritate pepercerint. Cuius inhumani facinoris fama peruagata totam Italiam, sicut maximè terrori omnibus fuit, ita Gallorum genti incredibile odium concitauit. Iouius lib. 2. Historiarum.

Brixia à Maximiliani I. Imp. & Galliæ Regis *militibus anno 1512. capta est. Prælium à secunda diei hora vsq; ad vesperam protractum, Vrbs magna ex parte direpta, matres familiâs & puellæ in domibus ante parentum & maritorum ora, quos in vincula hostes coniecerant, passim violatæ, virgines sacræ è templis atq; aris, & Deorum imaginibus, quas amplexabantur, abstractæ, ad libidinemq; abductæ. Bembus lib. 12. Histor. Venet.*

Ptolemaeus Lathurus ex Aegypto pulsus à *matre Cleopatra, Cypro occupata, in Syriam cum exercitu venit & iuxta Asophon cum Alexandro Iudæorum Rege signis collatis, Iudæorum XXX. millia occidit. Timagenes autem L. millia in suis scriptis retulit: cæteros partim captos, partim fuga seruatos incolumes. Cumq; post victoriam longè lateq; excurrisset, serò tandem in quosdam Iudæorum vicos se recepit: quos vbi vidit refertos pueris & mulieribus, mandauit militi, vt promiscuè iugulatos, & in frusta concisos, in lebetes feruentes membratim conijcerent, vt qui effugerant è prælio hostem crederent humanis vesci visceribus, & eò maior terror incuteretur reliquis. Et huius crudelitatis tam Strabo quàm Nicolaus meminit. Iosephus lib. 13. cap. 21. Antiquit.*

Philippvs II. Gallorum Rex, bello Anglico *contra Iohannem Regem, Galliardum obsedit sex continuos menses, eoq; fames clausorum processit, vt cum à præsidio imbellis multitudo ex oppido eiecta, à Francis nec reciperetur, nec cibo iuuaretur, mulier grauida in conspectu omnium enixa sit, fœtusq; statim absumptus. Aemilius lib. 6.*

Cloda-

CLODAMIRVS Clodouei filius, Aurelianensiũ Rex, *arma in Burgundionum Regem Sigismundum cepit, quòd Sugerium filium ex filia Theodorici Ostrogothorũ Regis procreatum, superinducta nouerca non conferendæ nobilitatis necauisset. Nec in difficili res fuit. Pugna commissa, desertus ab suis Burgundio. Ipse, liberiq́ue, (hi ex posteriore vxore procreati fuerant) capti Aurelianum ducti, ac in puteum conducti, nece saltem regiorum puerorum indigna, sed non diu authori læta, impunitaue. Clodamirus enim vlteriorem Burgundiam cum victricibus copijs penetrans, in prælio occisus est. Eius filij duo à Clothario patruo ipsorum, ne in consortiũ regni aliquando venirẽt, crudeliter necati, &c. Aemil. lib. I.*

NICOLAVS Picininus, cùm Philippi Mediolanensis *Ducis auspicio Album Ingaunum obsideret, captum Valentem Fogaciam, quòd ab obsessis deferre literas deprehensus erat, collo eius ad crura alligato tormento, quod lingua Italica Bricolam vocant, in vrbem transmisit. Qui quanquam ante moreretur, quàm terram attingeret, sæuum tamen mortis genus visum est: Discerptus enim tanti casus altitudine, humanam formam amiserat. Fulgos. lib. 9. ca. 3.*

EXPVGNATA pridie Calendas Maias anno 1527. à *Caroli V. exercitu Roma, obsidendæ arcis, in quam Clemens VII. Pontifex confugerat, circumuallandæq́ue, perducta in gyrum fossa, Philippus Cerbellio, & Mendanius Hispani, negocium susceperunt, tanta acerbitate, vt vetulam in arcis fossam lactucas deferentem, quæ expetenti Pontifici dono darentur, laqueo immaniter strangulatam, in conspectu arcis suspenderint: puerosq́ue item qui olera funiculis extrahenda alligabant, sclopettis interfecerint. Is postea Neapolitano bello, in oppugnatione Monopolis glande ictus perijt. Iouius in Pompeio Columna.*

EA nocte, quæ expugnationem ab Caroli V. ex-

ercitu Romanam secuta est, nihil vnquam lugubrius aut funestius fuit Romanis pariter & inquilinis. Editæ enim omnibus in locis ad satietatem inusitata cædes: nobilissimi senes pariter ac iuuenes tormentis excruciati, violatum vbique matronarum & virginum decus, Vestales in ipsis templis constupratæ: Cardinalium porrò principumque domus, tanta furentium rabie, ferro atque ignibus expugnatæ, vt nec Regum legatis parceretur, nemoque demum ex his, qui latebra gladios effugerint, sit seruatus, nisi vitam ac libertatem vniuersa bonorum substantia redemerit. Feritate & truculentia terribilis erat Germanus, sed à primo impetu, quo armatos deleuerat, à gladijs temperabat, vsque adeò remissa animi ferocia, vt exiguo facilè precio libertatem captiuis daret, & præsentibus tantum spolijs & compotationibus lætaretur, verteretque demum furorem in templa, & antiqui operis statuas, deformando cuncta atque euastando, quod plerique eorum irrisis pontificum legibus, Lutherana dogmata sequerentur. Hispani autem astuta & implacabili crudelitate acerbiores, vt abdita arcanaque familiarum eruerent, tormentis atque supplicijs in nobilissima corpora grassabantur, tanta auri cupiditate, vt Iulij Pontificis cadauer, multum exesum carie eruere, & anulo spoliare non dubitârint. Sed eius etiam gentis facinora Itali, Brutij præsertim, decerptis vitijs, nec vllis omninò admissis virtutibus facilè æquabant, & eo grauiore cum inuidia, quod in obsequium Barbarorum longè promptissimi, æmulatione scelerum ab amore charitateque communis patriæ discessissent. Idem ibidem.

VRBE Roma à Gallis capta, Senes qui in vrbe re*manserant, obstinato moriendi animo, eo quo olim habitu quisque triumphasset, in suarum ædium atrijs triumphali*

sella,

ſella, ſub hoſtium ingreſſum conſediſſe dicuntur. Galli per Collinam portam ingreßi, rectà in forũ contendêre. Ibi oculos ad templa & arcem circum ferentes, quã ſolam armatis teneri videbant, relicto hîc præſidio, ne quis in ſe impetus fieret, cætera multitudo in prædam dilapſa eſt. Mirari primò, clauſis plebeiorum domibus nobilium tantum atria patere. Maior itaq; cunctatio tenuit aperta quàm clauſa inuadendi, ne qua fraude incauti exciperentur. Inde viros in ſellis ſedentes intuiti, ac præter ornatum corporis, habitum quoq; humano auguſtiorem admirantes, nouitate rei defixi, ſedentium maieſtatem contemplantur. Inde cum ad eos velut Deorum ſimulacra obuerſi ſtarent, M. Papyrius Galli ſibi barbam demulcentis eburneo ſcipione caput percußit. Qua ille iniuria irritatus, ſedentem ferro oppreßit. Tum ab vno cæde orta, cæteri in ſuis ſunt ſellis trucidati. Euagatum inde ferrum per ignobilem multitudinem. His ſine diſcrimine ferro abſumptis aut præcipitatis, domus paßim direptæ, flammaq; tectis iniecta eſt. Atq; in hunc maximè modum Roma eſt à Gallis capta. Anno ab vrbe condita 360. Sabellicus lib. I. Ennead. 4. ex Liuio & Dionyſio, &c.

MITHRIDATES victus à Lucullo ad Cabrias, *& in Armeniam ad Tigranem generum fugiens, ad ſorores & vxores apud Phernaciam tuto & pacato loco repoſitas interficiendas Bacchidem miſit. In his duæ Regis ſorores fuerunt Roxane & Statira, quæ annis propè quadraginta in virginitate vixerant: & coniuges duæ Ionides natione, Berenice Chia, & Monima Mileſia. Vbi iam adfuit Bacchides, eiſq; indixit mortem, quæ cuiq; facillima & leuißima videretur: detractum capiti diadema collo aptauit, atq; ex ea ſemetipſa ſuſpendit. Quo citò abrupto: Execrabilis faſcia, inquit, ne hic quidem eris mihi vtilis?*

lis? tum illud proiecit, conspuitq́, ac iugulum obtulit Bacchidi. Berenice poculum veneni sumpsit, cuius portionem matri dedit præsenti & petenti, vnaq́ ebiberunt ambæ. Valuit autē corpus imbecillius vis veneni. Berenicen verò quæ minus iusto hauserat, non abstulit. Cum diu animā ageret, accelerante Bacchide strangulata est. Ferunt etiam ex innuptis illis sororibus, alteram post multas in fratrem execrationes & probra virus epotâsse. Plutarchus in Lucullo.

POST cruentam seditionem Alexandriæ inter *Christianos & Iudæos factam, Iudæis è palma cortice factum anulum loco tesseræ gerentibus, loco quodam, quē Immestar vocant, qui inter Chalcedonem & Antiochiam Syriæ situs est, Iudæi ludicra quædam pro more celebrantes, ac inter ludendum multa absurda designantes, temulentia abrepti, puerum quendam Christianorum interceptum cruci alligant, suspendunt, irrident, subsannant, tamdiu verberant, donec moreretur. Ob hanc causam grauis inter eos & Christianos oritur conflictus. Theodosius Iunior Imp. scripsit Prouinciæ illius præfectis, vt authores facinoris inquirerent, ac punirent. Sozomenus lib. 7. hist. Eccles. cap. 13. & 16. Socrates lib. 7. cap. 16.*

TERTIO Iustiniani Imp. anno, Samaritani Iudæi *creato sibi Rege Iuliano, infinitis Christianos in Palestina iniuriјs affecerunt: Templa eorum incendiјs vastârunt, Sanctorum monumenta igne combussêrunt, Christianos crudelißimè trucidârunt. Maximè verò circa Neapolim istam exercuerunt crudelitatem, cuius Episcopum gladio iugulârunt, & presbyteros comprehensos, & in frusta dissectos, cum Martyrum quorundam reliquiјs in sartagine frixerunt, & nihil non contumeliæ & immanitatis contra Christianos exercuerunt. Nicephorus libr. 17. cap. 24.*

Gigas

Cigas in Iustiniani historia addit, Iudaos cum Sarracenis icto fœdere, omnes quoque Cæsareæ Palestinæ Christianos occidisse. Iustinianus prælio cum Iudæis commisso, cum alios plurimos, tum eorum ducem Iulianum gladio puniuit.

SVB Phoca Antiochiæ Iudæi, excitato tumulto, *Christianos partim ferro, partim igni persecuti, Anastasium eius loci Episcopum comprehendunt, & pudenda excisa ei in os ingerunt, & per vrbem fune pedibus alligatum trahunt, rogoque imposito demum cremant. Nicephorus lib. 18. cap. 44. Paul. Diacon. lib. 18. rerum Romanarum. Anno Phocæ septimo. Zonaras tomo tertio.*

QVANDO Cosroës Persarum Rex Palæstinam *Iudæamque diripuit, Hierosolymas, post longam Christianorum occidionem, ablata omni supellectile, tum ligno sanctæ crucis & vrbis Episcopo, euastauit. Christianorum supra XC. millia interempta sunt, cum Iudæi captos paruo redimerent atque occiderent. Cuspinianus.*

BRAIAE degentes Iudæi, hominem quendam *Christianum, quem furti, homicidijque insimulabant, captum serto spineo coronant, per oppidum circumducunt, multisque verberibus affectum, tandem in crucem agunt. Vincentius lib. 29. cap. 53. Gaguinus lib. 6. de Francis.*

IN oppido quodam Germaniæ Forcheim, vetula *quædam puellam septennem plagio abductam Iudæis vendidit. Illi obstructo ore, aciculis confixêre, sanguinem linteis excepêre, cadauer in profluentem proiecêre, molari appenso. Quarto die manum extra aquas protentam conspicati piscatores, extrahunt cadauer. Marchiæ princeps spectatum aduolat. Cadauer residens manum principi porrigit, quasi vltionem contra impios flagitans. Iudæis accedentibus, cruento sudore perfundebatur. Detecto per vetulæ alumnam*

ſcelere, Iudæi ſuſpenſi, duo mutuis concidêre vulneribus, circa annum Chriſti 1261. Thomas Patriarcha Barbarienſis libr. 3. Fortalicij fidei.

ANNO 1285. Monachij anicula quædam infantulum *Iudæis vendidit, quem illi Deo immolant, punctim acubus cædunt, necant, cruoremq́ue malluuio excipiunt, quo perlitare creduntur. Eadem venefica alterum infantem ſubreptura, à patre deprehenditur, in vincula conijcitur, quæſtionibus admota facinus confitetur, corpus interempti infantis indicat, moxq́ue pœnas luit. Vulgus viſo corpore ita vulneribus confoſſo, non expectata Iudicum ſententia, Iudæis mortem intentant: eosq́ue in Synagogam confugientes, ſubiecto igne, fruſtra prohibentibus Ducis Boiorum aulicis, vnà cum templo igne concremant. Centum & octoginta Iudæi perierunt. Auentinus lib. 7. Annalium Boiorum.*

SVB initia Iudaici belli, per totam Syriam Græci *& Syri Iudæos ſecum habitantes ex inſidijs adorti, interemerunt. Cæſarienſes ſoli ſupra viginti millia interemerunt. Scythopolitæ verò, Iudæorum inquilinorum ope, contra alios Iudæos regionem incurſantes feliciter & fideliter vſi, veriti ne cum hoſtibus aliquando conſentirent, eos in ſyluam proximam cum vxoribus & liberis excedere iuſſerunt. Tertia autem nocte incautos adorti, omnes ad vnum interfecerunt, ſupra vndecim millia. Ioſephus libro ſecundo, capite 19.*

SVB Imperatore Tiberio II. Sueſſionum Regnum *Chilpericus Chriſtianorum hoſtis tenuit. Fratris Sigeberti Metenſium regis ditionem filium ſuum Theodebertum inuadere iuſſit. Is multis prouincijs hoſtili animo oppreſſis, Eccleſias incendit, Monachos interfecit, Monaſteria diripuit,*

puit, puellas vitiauit, & immani crudelitate nihil non libidinis exercuit: adeò vt ea tempestate infeliciorem Ecclesiæ statum, quàm vel Diocletiano aut Maximiano imperantibus, fuisse perhibeant. Gregorius Turonensis lib. 4. Histor. cap. 47. Addit speculum Vincentij, Chilpericum his gestis ad Rhenum vsque cum exercitu progressum, igni ferroque diripuisse omnia.

ALEXANDER Polonorum Rex, cum Sachinatem *Tartarorum Ducem profugum cepisset, cum quo tamen fœdus antea percusserat, & in gratiam Mengligeris Tauricorum Tartarorum Ducis, violati damnatum fœderis, carceri mancipasset, grauissimis nihilominus Barbarorum populationibus vexatus est, anno 1506. Nam paulo pòst legatis Mengligeris domum reuersis, mense Maio quinque millia expeditorum Tartarorum è Taurica eruperunt, & Podoliam, Russiam, atque Liuoniam longè lateque crudeliter vastârunt, & præter aliam prædam ingentem, ad centum millia hominum in barbaricam seruitutem abegerunt, plurimos vicos atque pagos exusserunt, & in imbecilliorem senum ac puerorum multitudinem immaniter ferro sæuierunt. Cromerus lib. 30.*

CVM Constantinopoli esset Iohannes Cardina*lis, ab Alexandro Pontifice Manueli missus ad eius preces, qui Græcos ad vnionem Romanæ Ecclesiæ reducere niteretur, ab Andronico Comneno, qui cæso Alexio tyrannidem occupârat, est captus, & canis illi alligatus, cuius cauda os impleuit, ac tractus per vrbem, & tandem in foueam præcipitatus ac combustus est. Cuspinianus.*

SELYMVS Turcorum Imperator, Baiazetem *patrem veneno sustulit. Restabant fratres duo profligandi. Curkut vterinus frater tres habuit filios, quos præmisit, vt*

orationibus elegantißimis patruum placarent, offerentes sua officia & patris, qui eum vt Imperatorem adoraret. Selymus nepotes coram se strangulari iußit. Censent enim indignum Turci, Cæsareum sanguinem attingere terram, ob id chordis ex arcubus strangulant, quoscunque Cæsarei sanguinis esse norunt. Curkut in montes fuga elapsus, fame & inedia confectus, à familiari suo proditus, captus est, & strangulatus, mortuusque Imperatori allatus. Achmat maior natu frater, patris fratrisque morte audita, incertus quid ageret, matrem prudentißimam fœminam consuluit. Quæ filio suasit, rem esse ense transigendam. Is ergò exercitu XV M. conscripto, Amurathe quoque filio X M. Persarum adducente, in Bithynia contra L X X M. fratris pugnaturus, animo concidit, & militibus suo exemplo fugam arripere suasit. Equum itaque ascendens, vt fugam arriperet, procidit, in alium repositus equum, paruo decurso spacio, iterum decidit, erat enim corpore obeso. Noluit inde tertium, quanquam rogatus, ascendere equum, cum iam fatum sibi imminere clarè perspexisset, sed in lapide consedit moribundus & exanguis, omnibusque alijs fuga abeuntibus, quos Selymi milites insequebantur. Et cum iam senior militum præfectus in lapide sedentem videret Achmat Sultanum, honoris causa equo descendit, ac more patrio vt Cæsarem salutauit. Cui Achmat: Non vt principem, sed vt miserum mortalem me agnosce. Accipe igitur à me hos anulos, & à fratre faciliorem mihi mortem impetra, vt incisis venis in balneo mori liceat. Selymus iamdudum de omnibus factus certior, carnificem submisit, qui ligatis in dorso manibus, in terram prosternunt, ac chordis arcuum strangulant: Cadauer currui imponunt, nigris velis ornato.

OCHVS cognomine Artaxerxes, Ocham sororem,

rem, atq; eandem socrum, viuam defodit: & patruum cum centum & amplius filijs ac nepotibus, vacua area destitutum, iaculis confixit, &c. Valerius lib. 9. cap. 2.

ALEXIVS filius Manuelis Imper. patri puer penè *in imperio successit. Administratio Imperij Andronico Comneno est commissa, quia consobrinus Manuelis habebatur. Is indignatus Alexio, quòd Francorum Regis Ludouici filiam Agnetem vxorem duxisset, multosq; ex Latinis haberet familiares, quos Andronicus vir Græcus odio habuit: cum primum tutorem egisset, de hinc participem Imperij, præter iurisiurandi fidem, Dominici etiam corporis & sanguinis haustu sacratiorem, Alexium quindecim tantum annos natum clam interfecit, saccoq; inclusum in mare abiecit, cum tres annos à patris morte rerum potitus esset. Scribunt quidam Alexium animi recreandi causa paruo nauigio vectum, in mare ab Andronico crudeliter esse præcipitatum, necari iussum capite abscisso, reliquum cadauer in mare proiecisse. Addunt quidam & matrem & sororem Alexij eum simul de medio sustulisse, ac tam crudeli parricidio imperio esse potitum. Cuspinianus ex Niceta.*

VASTARANT Tartari Poloniam cum Russis, *anno 1286. Excessuri è Russia, vt est maliciosum genus hominum, & incantationum atq; veneficiorum gnarum, aquas omnes infecerunt, exectis captiuorum cæsorum cordibus, ex præsentissimo veneno imbutis, & verubus subter aquam defixis: vnde plurimi mortales postea ex aqua venenata vsu, immedicabilibus morbis correpti, miserabiliter extincti sunt, cum serius mali causa animaduersa esset. Cromerus libro 10.*

DIOMEDES direpta Troia rediens in patriam,

ventis

ventis delatus est in Libyam, vbi Lycus Rex Marti hospites immolabat. Callirrhoe verò filia Diomedem, cuius amore flagrabat, liberauit ab insidijs paternis. Ille spreta salutis authore clam enauigauit, puella dolore animi se suspendit.

LEONIDAS Rex in exilium pulsus, à Cleombroto *genero immißis percußoribus occisus fuisset, nisi Agis alter Rex Eudamidæ F. fidis comitibus stipatum Tegeam vsq; perduxisset. At Leonidas regno Spartæ recuperato, Agidem insidijs circum ventum, in carcere cum matre & auia strangulauit. Plutarch. in Leonida.*

BELLO Iudaico, Samaritani in monte Garizimo *collecti, à Cereale Tribuno Vespasiani obsidebantur. Euenit autem aqua tunc indigentibus Samaritis, etiam graues accendi æstus, adeò vt nonnulli quidem vna die siti morerentur, multi verò eiusmodi morti seruitium præferentes, ad Romanos transfugerent. Cerealis primum eos ad fœdera hortabatur, si arma proiecissent, tutos fore promittens. At quia persuadere non poterat, occidit omnes, numero XI M. DC. Iosephus lib. 3. cap. 12. belli Iudaici.*

L. SYLLA, qui postea Romæ Dictator fuit, Athe*nas obsidente, emit misera ciuitas medimnum tritici mille drachmis, vulgo & omni ignobili multitudine graminibus circa vrbem nascentibus, & calceis coctis auidius vescente. Venijt in eadem vrbe trecentis drachmis tritici modius, Demetrio Antigoni Rege Syriæ res Atticas grauiter affligente. Delapso mure è tecto, pater cum filio, vt cum sibi quisq; caperet, non verbis solum, verum etiam pugnis decertauit: fame ita vrgente, vt non modò immunda bestia vesci non abhorrerent, verum etiam insitum à natura affectum atq; reuerentiam obliuiscerentur. Fulgos. lib. 7. cap. 6.*

PETI-

PETILINI, dum suam Rom. Pop. fidem præ cæteris Brutijs aduersus Pœnos probare contendunt, longa obsidione fatigati, coria ex scutis detraxêre, vt quoquo modo possent, inde sibi victum quærerent. Sabellicus lib. 10. cap. 7.

SAGVNTHVS Hispaniæ vrbs, olim amicissima Romanis, longa Pœnorum obsidione eò famis redacta est, vt ciues extructo in foro igni suas res conijcerent, seq; ac suos postremò liberos eôdem præcipitarent, ne venirent in manus inimicorum. Hinc Saguntbina fames, dicitur de extrema rerum penuria. Hanc autem famem triste prius portenderat prodigium. Nam cum ferè enixa mulier esset, infans in vterum regressus, ciuitatis excidium significauit. Eutropius.

CALAGVRIVM vrbs est Hispaniæ, Quintiliani patria: cuius incolæ à Cn. Pompeio obsessi, vt fidem Sertorio præstarent, in tantam famem durauerunt, vt vxores suas ac liberos in vsum extremæ dapis conuerterent, quum nullum aliud animal in vrbe superesset.

NON grauis modo, sed horroris quoq; plena necessitas illa fuit, ad quam obsidione Titus Vespasianus Iudæos deduxit. Nam præterquam quòd omni immundo cibo, quin ipso quoq; humano stercore vescerentur, & quotidie permultos fames absumeret, inuenta est mulier nomine Maria Eleazari F. quæ è regione trans Iordanem Hierosolymam fugerat, generè & diuitijs nobilis, cuius bona omnia zelotæ diripuerant, quæ filium trimum occisum igne assaret, vt eius carnibus, quem ipsa pepererat, miserandum in modum sibi vitam prorogaret. Detectaq; res est per eos, quos stimulante fame assatarum carnium nidor ad eam traxerat. Cum autem in tanta necessitate eam deprehendissent, præ horroris magnitudine retrocesserunt, minusq; graue sibi duxerunt fame confici, & ipsam mortem obire, quàm impio

pio sceleratoq́; cibo in eum morem vesci. Fulgosus lib. 7. cap. 6. & Iosephus libr. 7. belli Iudaici: vbi Titum hoc facinus detestatum, in sceleris tanti expiationem, se vrbem ferro & igni vastaturum interminatum scribit.

BYZANTIVM cum Seueri Rom. Imp. tempo-*re grauiter obsideretur, posteaquam cibus vsitatus Byzantinos defecit, comedêre pelles animalium maceratas. Quibus postea consumptis, magna pars nauigauit obseruatis procellis, cæterisq́; tempestatibus, vt nemo eis posset occurrere: idq́; faciebant, vt vel interirent, vel commeatum compararent. Idem fecêre in agris etiam. Qui verò manebant in vrbe, vt fuêre debilitati, cæperunt mutuò contra se conuerti, seq́; inter se comedere. Vide Xyphilinum Dionis abbreuiatorem in Seuero.*

OBSIDEBANT Galli Consaluum Agidarium *ab initio intra Baruli mœnia, quod Apuliæ oppidum nequaquam contemnendum sit. Obsidebant autem tanta animorum obstinatione Galli Hispanum hostem, vt nihil omnino intra oppidum inferri posset: Quare Consaluus & reliqui milites, de scutis suis pellem trahere sunt coacti, quibus excoctis accuratius, vterentur frumenti, reliquorumq́; cibariorum loco. Egnatius lib. 7. cap. 6. & Sabellicus lib. 10. cap. 7.*

ANNO 1348. octauo Calendas Februarij, in No-*rico, qua Pannoniæ, Illyrico, Dalmatiæ, Carnis, Histriaq́; continuatur, maximus terræmotus exortus, continuè durabat, nec ante dies quadraginta sistebatur, varieq́; terra quatiebatur, miraq́; edebantur opera. Morauia, Boiaria superior sensit: sex atq́; viginti vrbes, & castella prostrata esse, in acta eius anni relatum est. Homines cum pecoribus interierunt, mœnia, templa, ædes subuersa sunt, totæ vrbes*

corrue-

corruerunt, montes abrupti cladem insuper eam preßêre. Nam duo montes concurrerunt, vrbibus deuoratis, agrorumque tractu hausto, villæ elisæ, animalia permulta, quæ intra fuerant, exanimata sunt. Hiatus subsecutus partim remansit, partim cuncta sorbuit, ita inducto solo, vt nulla vestigia extent. Quinquaginta amplius homines, rusticas itē mulgentes, cum vaccis extinctas diriguisse, & corpora à spiritu terreno in salarias statuas redactas, apud Charinos, hacque simulachra sibi & cancellario Austriaco conspecta esse, refert Conradus de Meidenburg, eius tempestatis insignis Philosophus & Mathematicus. Auentinus lib. 7. Annalium.

CVM Cleomenis Spartanorum Regis perfidiam erga *Demaratum collegam (quem falsis criminibus regno priuârat) Lacedamonij cognouissent, & is exul Arcades contra Spartam sollicitaret, Spartani timentes sibi ipsis, Spartam eum reuocarunt ad pristinam dignitatem. Sed eum reuersum statim morbus insania cepit, etiam antea subinsanum. Nam vt cuique Spartiatarum obuius erat, in eius faciem infligebat sceptrum. Hac illum facientem, ac desipiscentem, propinqui soleis ligneis illigauerunt. Qui custodem, digreßis alijs, solum remansisse cernens, petijt ab eo gladium. Custode abnuente dare, comminabatur, donec minis territus custos (erat enim seruus quidam) gladium tradidit. Eo accepto, Cleomenes à suris incipiens sese detruncabat: In longum namque discindens carnes, è tibijs ad fœmora proceßit, è fœmoribus ad coxam, vertebras atque ilia, quousque peruenit ad abdomen, in quo rescindendo expirauit. Herodotus lib. 6.*

PAPYRIVS Romanus, cum sororem Canusiam *grauidam fecisset, & illa gladio à patre misso sibi corpus confodisset, seipsum quoque mortuæ sorori dedit comitem.*

Chrysippus libro primo rerum Italicarum, apud Plutarchum.

OPPIA & Floronia Vestales, stupri compertæ, *sibi mortem intulère, grauioris supplicij metu, ne viua sub terra defoderentur. Volaterran. lib. 20. Anthrop.*

TAVREA Iubellius Campanus, memoranda vir *fortitudine, à Fuluio, manu propria coniuge liberisq́ interfectis, se postremo ante pedes Imperatoris gladio transfixit. Liuius libro secundo.*

AMILCO dux Carthaginensis, cum pestilentia *oppressum exercitum ferè totum amisisset, mœstamq́ ciuitatem & vlulatibus plenam audiuisset, ipsos Diuos suamq́ incusans fortunam, clausis foribus sibi mortem consciuit. Trogus lib. 19.*

C. SIVE L. Fimbria, satelles Cinnæ, Mariana*rum partium, occiso aduersa partis consule Valer. Flacco, & fusis Mithridatis Ducibus in Asia, L. Syllæ imminebat. At vbi castra castris apposita habens ad Tiatira, milites suos sagatos cum Syllanis congredi, eosq́ in aggere excitando adiuuare vidit, Syllam vt implacabilem metuens, Pergamum reuersus, in templo Aesculapij sibi manum intulit. Sed cum id vulnus minus altè esset impressum, seruum hortatus est, vt inceptum iuuaret. Is herum primò, mox seipsum ferro transegit. Sabellicus lib. 3. Ennead. 6. ex Plutarchi Sylla.*

DVO ad bestias damnati, vt se ea crudelitate ludi*brioq́ redimerent, quemadmodum Seneca scriptum reliquit, cum curru ad theatrum deportarentur, alter ipsorum cum dormire se fingeret, adeò caput inclinauit, vt inter radios illud inuolueret, rotaq́ vertendo collum eius frangeret. Alter autem cum obtinuisset, vt è curru leuandi ventris gratia descenderet, spongiam, quæ in publicis latrinis ad purgan-*

gandum anum ligno affixa manebat, gutturi tanta vi inseruit, vt confestim praclusa anima periret. Fulgosus lib. 9. cap. 12.

INTERFECTO Galba, qui Tigillinum Neronis *Magistrum à morte seruauerat, torquebat plebem, quòd Solem adhuc aspiceret Tigillinus, postquam tot & tales viri eius causa lumen illius non aspiciebant. Misit igitur in eum Ottho ad villam ipsius apud Sinuessam. Illic agebat, paratis ibi nauibus quibus longius profugeret. Eum, qui missus fuit ad ipsum, magna vi auri molitus est, vt se missum faceret, inducere. Postquam id frustra fuit, aquè dedit ei munera. Orauit autem, vt sustineret, dum barbam rasisset, acceptoq; cultro tonsorio, fauces sibi ipse prascidit. Plutarchus in Othone.*

OTHO Syluius Imp. ab Auli Vitellij militibus pressus, *intentusq; iam morti, tumultu inter moras exorto, vt eos qui discedere & abire cœptabant, corripi quasi desertores, detineriq; sensit: Adijciamus, inquit, vita & hanc noctem, vetuitq; vim cuiquam fieri, & in serum vsq; patente cubiculo, si quis adire vellet, potestatem sui prabuit. Posthac sedata siti gelida aqua potione, arripuit duos pugiones, & explorata vtriusq; acie, cum alterum puluino subdidisset, foribus adapertis arctißimo somno quieuit. Et circa lucem demum expergefactus, vno se traiecit ictu infra lauam papillam. Irrumpentibusq; ad primum gemitum, modò celans, modò detegens plagam, exanimatus est: & celeriter apud Veliternam funeratus, trigesimo & octauo anno, & nonagesimo & quinto Imperij die. Suetonius, & Dion, & Plutarchus.*

MAGNENTIVS Tyrannus à Constantio Imperatore *victus, Lugdunum aufugit. Victori vt comites gratula-*

tularentur, consilium ineunt Tyrannum capere, & Augusto tradere. Ille verò sentiens se custodiri, deesseq́; locum fugæ, furorem simulat: fratri Desiderio vulnera infert, non tamen lethalia, tum quosdam amicos interficit. Pòst coangustatus, gladio occultè accepto, ictum pulsu parietis iuuans transfosso latere (vt erat vasti corporis) vulnere, naribus atque ore cruorem effundens, expirauit, mense imperij quadragesimo secundo, anno ætatis quadragesimo. Eius morte audita, Decentius frater, qui Gallias tuebatur, sibi metuens, laqueo fascia ad collum posito, apud Senonas vitam finiuit. Cuspinianus.

IN territorio Gebennensi, lupus quidam inusitatæ *magnitudinis ac ferociæ, in ipso hominum conspectu, triginta diuersi sexus & ætatis homines deuorauit, anno Christi 1148. continuator Sigeberti, & Vincentius.*

ANCAEVS Neptuni & Astypaleæ Phœnicis filius, *cum vitem sereret, grauiterq́; ministris instaret, vrgeretq́; quidam operis tædio commotus in herum, negauit futurum vt ex ea vite herus vnquam vinum gustaret: Pòst vbi vitis prouenisset feliciter, atque vua maturuissent, herus exultans ac gestiens, seruum eundem accersit, ac vt sibi vinum infundat, iubet. Deinde iam calicem admoturus ori, seruo, quæ dixisset, redegit in memoriam, quasi vanam exprobrans diuinationem. At ille hero respondens dixit: Inter calicem ac summa labia multa posse interuenire. Seruili sententiæ fauit euentus. Nam inter loquendum, priusquam ille vinum hauriret, alter quidam minister ingressus, nunciat vinetum ab apro quopiam immani vastari. Quibus auditis, Ancæus deposito poculo, protinus in aprum fertur, à quo inter venandum percussus interijt. Erasmus in Chiliadibus.*

CVM

CVM Tigranes Armeniæ Rex Syriam occupasset, *sicut omni bellorum molestia tuta fuit Syria, ita crebris motibus terra fœdè vastata est. Qua clade centum septuaginta Syrorum millia, vt Trogus scribit, multæq; vrbes vna interierunt, quod prodigium mutationem rerum, quæ postea secuta est, portendere aruspices responderunt. Sabellicus lib. 3. Ennead. 6.*

ANNO 1099. Syracusis terræ motu concussis, pri*marium templum, dum sacra tractarentur, corruit: cunctosq; qui sacris intererant, præter missificantẽ, & alios duos Diaconos oppreßit. Platina, & Hermannus Gigas.*

SEPTIMO Iustini Thracis Imperatoris anno, *terræmotus ac incendium Antiochiam corripuerunt: Id media vrbe exortum, durauit dies sex, multasq; domos & homines absumpsit: neque scire quisquam potuit, vnde eius fuisset initium. Tum Dei ira ita vrbem concußit, vt penè tota corruerit, ac ciuium sepulchrum facta sit. Quosdam obrutos terra, & adhuc viuentes, ignis ex terra exiens cremauit. Alius ignis ex aëre instar scintillarum decidit, & quos attigisset, fulminis in morem combußit. Annum ille terræmotus durauit, multa virorum, mulierum, puerorum, & infantum millia collis instar coaceruata, prostratarum domorum materies operiebat.*

ANNO vrbis conditæ 649. puella Romæ nata, in *Apuliam proficiscens, obiter de cœlo icta est, vestibus & calceamentis sine scissura vlla ademptis, monilibus collo & anulis discußis, nudum corpus sine vestigio vllo cœlestis iniuriæ examine iacuit. Est inter fulminum genera, quod clarum vocant, mirificæ naturæ, hoc dolia exhauriuntur intactis eorum operimentis: aurum & argentum liquatur,*

quatur, nec sacculi aliquo modo amburuntur, ne confuso quidem cera signo, si obsignati fuerint. Martia Romanorum princeps, teste Plinio, cum grauida esset, icta est, exanimatoq; partu, citra omne aliud incommodum vixisse fertur. Sabell. lib. 2. Ennead. 6. ex Eutropio.

CARVS Imperator contra Persas iam ad Tigrim *fluuium processerat, habebatq; circa Ctesiphontem castra, vlteriusq; proferre Romana meditabatur arma, cum subita vi morbi, vel vt alij aiunt, ictu fulminis perijt. Satis constat, sub eius exitum horrendè tonuisse, terribiliq; fragore edito, quosdam circa defunctum exanimatos. Sabellicus lib. 8. Ennead. 7. ex Vopisco.*

SVB Ludouico II. Imperatore, cum tempestate *Coloniæ orta, ciues in Basilicam Petri confugissent, eius imploraturi auxilium, subitò fulmen ignei draconis forma basilicam discindit, ac tres homines diuersis locis constitutos vno ictu perimit, alijs sex eodem impetu prostratis, sed tamen non interfectis, Anno Domini 857. Sigebertus, Auentinus 4. Annalium.*

IN Lemno Insula, vbi insulæ cornu diuiditur, octo *messores sub quercu cœnantes, à fulmine percussos atque exanimatos mansisse tradunt, sub ea specie qua discubuerant: vt vnus comedere videretur, alter ori poculum manu admouere, alter bibere. Cumq; nigri omnes essent, imaginem statuarum repræsentabant. Cardanus de rerum varietate lib. 8. cap. 43.*

SVB initia belli Germanici, anno 1546. ad septi*mum Augusti diem, Mechliniæ, quod est Cæsaris ditionis oppidum Brabantiæ pulcherrimum, puluis tormentarius in turri quadam in mœnibus dispositus, à fulmine correptus & incensus, ipsam turrim primum à fundamentis euertit,*

proxi-

proxima deinde ædificia intra & extra vrbem, ad quingentos amplius passus in circuitu inuasit, ex ijs pleraq; incendit, plurima euertit, diruit, ac disiecit, nonnulla concussit ac disrupit, atq; ex his lapides ingentes correptos, plerosq; ad sexcentos passus longè abiecit, atq; ita corruptis tectis ac denudatis, vitreis fenestris per omnes vias concussis atque fractis, totam propemodum vrbem deformauit, arbores radicitus euertit & ambussit. Perierunt in ea calamitate homines plus minus ducenti, partim incendio absumpti, partim ruinis ædificiorum, ac lapidibus & tegulis obruti, præter eos, qui grauiter vulnerati mortem effugerant, quorum ingens erat numerus. Ex his complures biduo ac triduo, nonnulli quatriduo pòst, è cellis subterraneis, in quas confugerant, plerique mortui, qui vel fame, vel spiritu præcluso extincti erant, pars viui, qui penu ibi condito inuento, vitam tolerauerant, reperti atque extracti sunt: præterea ingens numerus iumentorum atque pecorum cum stabulis deflagrauit: murus autem, qua parte turris steterat, ad ducentos amplius passus dirutus, ac solo fuit æquatus. Sleidanus libro 6. Reperta est inter reliqua cadauera mulier grauida, cuius aluo insecta, fœtus viuens eductus est & baptizatus. Gilbertus Cognatus lib. 8. Narrationum.

BOGES Persa, amicus Xerxis, ab Atheniensibus *& Cimone Miltiadis filio obsessus, licet accepta fide posset egredi, abnuit tamen, & ad extremum perstitit. Inde vbi in mœnibus nihil commeatus fuit reliquum, accenso rogo, liberos, coniugem, concubinas, familiam interemit, eosq; omnes in pyram coniecit. Deinde omne aurum vrbis atq; argentum è muris dispersit in Strymonem, ac postremò se in rogum coniecit. Herodotus.*

ORESTILLA M. Plautium maritum, in Asiam *cum 60. nauibus profectum secuta, Tarenti ex morbo decessit. Cuius dum celebrarentur exequiæ, & cremaretur cadauer, Plautius doloris impatiens, & appetens mortis, in rogum se coniecit, quem togatum calceatumq́; corpori vxoris iunxerunt amici. Valer. Max. de amore coniugali.*

IN excidio Hierosolymitano, cum ex populo Iu*daeorum sex millia in porticum templi, quæ sola restabat, confugissent, falso persuasu Prophetæ cuiusdam, quasi ibi signa salutis à Deo accepturi essent, igne iniecto à Romanis, omnes ad vnum periêre. Iosephus lib. 7. belli Iudaici.*

APVD Babyloniam in Apollinis templo, auream *miræ vetustatis arculam quandoq́; compertam legimus, ex qua conscissa, vis pestilentis ac perniciosissimi aëris sese profuderit, vt difflatus non eos modò qui aderant, venenosa ac lethali infectos tabe conficeret, sed pestifera incredibiliq́; potestate grassatus longè lateq́;, etiam Parthos afflaret. Id prorsum censerem dictu incredibile, ni Ammiani Marcellini lectio compar nobis miraculum suggereret. Prodit enim hic, M. Antonini & Veri temporibus, apud Seleuciam post direptum templum, & perlatum Apollinis simulacrum Romam, fuisse à militibus Auidij Cassij inuentum angustum foramen, quod prius Chaldæorum vates occlusissent. Eoq́; militari auiditate reserato, lethiferum, atrocemq́; adeo vaporem exiluisse, vt funestum malum ac teterrimum à Persarum finibus in Gallias vsq́; furens sit debacchatum. Cælius lib. 8. cap. 12. Antiq. Lection. Fulgosus libr. 1. cap. 6.*

ANNO secundo belli Peloponnesiaci, coorta gra*uis pestilentia, eam ex Aethiopia primum egressam, Aegyptum, quæ illi proxima est, mox & Libyam corripuisse memorant.*

morant. In Lemnum inde & loca finitima, demum Athenas transgressam. Credere ab initio Athenienses, puteos hostium fraude veneno corruptos. Vulgato morbo, tanta funerum frequentia secuta est, quanta nunquam antea hominum memoria. Primum acris feruor capitis salubria inuadebat corpora, suffusio deinde ruboris, adustioq; in oculis existere, statim lingua introrsum cum faucibus sanguinolenta visebatur, arctior inde spiritus, & cum fœtido halitu meabat, mox sternutatio raucitasq; prorumpebat, nec diu pòst labor in pectus cum vehementi tussi descendebat, & cum præcordijs hæsisset, eas grauiter cruciabat: sequebantur guttæ fellis & humoris, quæ à Medicis dicuntur apocatharses, & ipsæ cum ingenti cruciatu, plærisq; inanis singultus incidere, acrem spasmum cientes. Exterius interim corpus, neque feruidum tactu, neque pallidum, sed subrubrum, fuscum, minutis pustulis ac papulis scatens. Interius autem ita ardebat, vt neque perquàm tenuia vestimenta, aut sindones, neque aliud quippiam quàm nuditatem ferre posset. Iucundissimum erat in gelidam aquam seipsos immergerè, quo contigit, vt plærique incustoditi, in altissimos se puteos deiecerint, inexhausta siti adacti: quanquam perinde erat nimis ac parcè bibere. Neque somnus interim, vllaúe membrorum quies aderat, neque morbo inualescente membrorum languor vllus sentiebatur, sed corpus opinione hominum par morbo resistebat. Plurimi inter septimum & nonum diem, vitalibus ardore exustis, necabantur, adhuc aliquid roboris habentes, neque si quis discrimen illud dierum euasisset, continuò pro seruato haberi, nonnullis pereuntibus, vtero vi grassantis morbi acriter conuulso, languoreq; ex ipso profluuio inducto.

Peruagabatur vniuersum corpus tetra lues, à qua alioqui perniciβima si quis conualuisset, quanta vis eius esset, membrorum detrimenta demonstrabant, ad verenda, manuumq́ & pedum extrema morbi violentia prorumpebat, quibus amiβis, nonnulli seruabantur, quidam & oculis postremò capti sunt: nonnullos morbo seruatos, omnium fermè rerum cepit obliuio, vt sui quidam ipsorum obliuiscerentur. Illud quidem memorabile, quòd cùm multa corpora insepulta iacerent, alites, quadrupedesq́ ea non attigerint, aut si qua id temerè fecissent, simul periêre, manifesto argumento maleficij & veneni, quod in morbo fuit. Accidit & aliud non minus mirum & insolens, quod vni proficiebat, officiebat alteri: quo euenit, vt cum per incuriam multi perijssent, alij non pauci nimis diligenti curatione sint absumpti, vulgari morborum ministerio, ita vt multa domus vacuæ factæ sint. Plærique in vijs destituti expirabant, circa fontes & puteos multi aquæ desiderio semineces volutari. Et hæc Athenis. Sabellicus libr. 6. Ennead. 3. ex Thucydide.

De eadem audiamus quoque Diodorum: *Bello Peloponnesiaco, inquit, grauiβima pestilentia Athenas exagitauit. Hyems humida admodum infestus fuit inundationibus. Pabulum inde propter nimium humorem vitiosum extitit & incoctum. Tertia pesti causa acceβit, quòd eò anno venti Etesiæ, qua soliti erant tempestate, minimè spirauêre, quorum recenti flatu magna pars molestiæ feruoris æstiui remitti, temperariq́ solebat. Exacerbato itaque supra modum, sæuitienteq́ æstu, tum Sole æthereq́ inflammato, corpora mortalium nullo præsidio defendi, nulla respiratione recreari cum possent, vrentem præcordia*

dia trahere spirareq́ halitum cogebantur, vnde & morborum omnia genera, æstus intra venas concepti, miseros exurebant. Inde multos ægrotantium traditum est, vltro semetipsos in puteos fontesq́ præcipitasse, conatos eo remedio, flammam intus sæuientem, præcordiaq́ conficientem restinguere. Athenienses tantæ calamitatis causam ad Deos religionemq́ retulêre, &c.

L. Ebvtio, & P. Seruilio Coss. cœlum ardere *visum est, post V.C. 290. Annus pestilens fuit. A calendis Septembribus tetra vis morbi primò boum equorumq́ armenta corripuit, inde ouium caprarumq́ greges, pastores deinceps & cæteros agrestes attigit. Postremò vrbem ingressa. Liuius pecus populationis terrore intra mœnia compulsum, multamq́ stabulantium quadrupedum colluuionem prodidit humana corpora insolito fœtore infecisse, ac præter cæteram multitudinem, quæ tanta fuit, vt vulgo cadauera in Tyberim proijcerentur, quartam Senatorum partem morbo consumptam, & cum his consules ipsos. Hæc clades in certam spem Volscos traxit, Romanorum Principatus per occasionem euertendi. Icto itaq́ inter se fœdere, sociorum opes affligere sunt primo loco adorti, vt his fractis, commodius rem Romanam satis per se accisam, funditus perderent. Primo igitur omnium Hernicum & Latinum agrum ferro & igni populantur, mox Romanos fines inuadunt: Inde per omnia culta desolata ad tertium lapidem consedêre. Iam Ebutius Consul diem obiuerat: Seruilius eius collega exigua spe trahebat animam. Iuuentus militaris morbo confecta iacebat. Vigiliarum manus, qui per ætatem & inoffensam valetudinem poterant, per se obibant. Supplicatum est omnibus templis. Matres passim strata crinibus templa verrebant, cœlestium ira-*

irarum veniam, pacemq́ exposcentes. Interea grauiore anni tempore acto, corpora morbis defuncta, salubriora esse cœperant. Sabellicus lib. 5. Ennead. 3.

ANNO 300. V.C. Curiatio & Sexto Quintilio Coss. *duo grandia mala vrbem inuaserunt, fames & pestilentia omnium memoriæ ad id tempus traditarum maxima, vrbs funeribus exhausta, & agri hominumq́ pecorumq́ strage penè desolati. Quintilius consul mortuus est, cui Sp. Furius est surrogatus. Mortuus augur vnus, & tres tribuni plebis, Flamen vnus Quirinalis. Sabellic. lib. 4. Ennead. 3.*

IN Gallorum castris, Roma capta Capitolium ob*sidentibus, non solum frumenti inopia sentiebatur, sed & grauis pestilentia. Aestus & torridum recenti incendio solum, Gallorum corpora languore affecerat: inde morbo sensim vulgato paßim expirabant, tantaq́ vis hominum breui absumpta est, vt humandi tædio, plura corpora in vnum coaceruata concremarent: quæ res ad posteros loco nomen dedit, vt Gallica sint busta nuncupata. Sabellic. lib. 1. Enn. 4.*

ANNO ab vrbe condita 620. tanta locustarum vis *in Africam repente coorta est, vt fruges, herbas, arborum folia immensa multitudo absumeret. Ea mox ventorum flatu marinis fluctibus immersa, omnia latè littora proiectarum acerui contexêre. Putrefacta inde congerie tetrum odorem exhalauit, secutaq́ statim corrupto cœli tractu ingens pestilentia, quæ in Africa vastitatem fecit incredibilem, vndecies centum millibus Numidorum Aphrorumq́ breui tempore consumptis. At supra eam Barbarorum cladem, Romanorum quoq́ multa millia extincta eadem pestilentia traduntur, qui tum forte in Africa præsidij causa fuêre. Sabellic. lib. 9. Ennead. 5.*

SVB Herode Rege grauissima pestilentia Hierosolymo-

lymorum vrbem afflixit, & maximam Senatorum partem absumpsit, propter iniustè cæsam ob veneficij & adulterij crimina Mariamnē Reginam. Iosephus lib. 15. cap. 11. Antiquit.

PRIMO Vespasiani, Capitolium Romæ incensum conflagrauit. *Eius verò anno octauo, tres ciuitates Cypri terræmotu corruerunt, & altero anno pòst lues tanta Romæ fuit, vt permultos dies in Ephemeridem decem millia ferè mortuorum hominum referrentur. Eusebius.*

COMMODO imperante Romæ tanta fuit pestis, *vt vno die sæpenumero ad 2000. hominum absumerentur. Multi non solum in vrbe, sed etiam ferè sub omni imperio Romano peribant, cum malefici homines res oblitas venenis quibusdam, precio atq; mercede adducti, in alios conijcerent, vt innumerabiles homines interirent. Dion Nicænus.*

POMPONIVS Lætus in vita Galli: Perniciosa, *inquit, pestis vndiq; viguit. Tabis initium fuit ab Aethiopia, fortè ex nimio solis ardore. Pestilitas primò consumptis meridianis, per Orientem diuagata est: inde cæteras orbis partes inuasit, vbiq; maximam partem incolentium exhausit, pleraq; loca inhabitata reliquit. Ea labes vix intra decem annos finem inuenit. Prouenisse ex infelicibus Galli Imperatoris auspicijs visa est, vt qui proditione imperium arripuit, Christiani etiam dogmatis hostis. A quo tristi & inusitato malo Cyprianus argumentum sumpsit libri de Mortalitate. Eusebius lib. 7. cap. 21.*

NARRAT Nicephorus lib. 15. cap. 10. in grauissi-*ma peste sub Martiano Imp. agros per annum integrum coli nequiuisse: ideoq; nec fruges prouenisse. Diuinam igitur prouidentiam illis, qui perrari ex ea superuixissent, alimento quodam aërio prospexisse, proximo autem anno, vt sua sponte citra culturā fruges prouenirent miraculose effecisse.*

ANTE

Ante Longobardorum in Italiam aduentum *multa Italiæ infausta & infelicia signa apparuêre, quæ futura mala portendebant. Imprimis ita pestis vsquequaque grassata, vt nulla luctus expers domus inueniretur. Euitandæ labis gratia domicilia, facultates ac pecora deserebantur: cessabat agricultura, cæteraq; artes ac studia omnia destituebantur. Parentes à liberis, ac liberi à parentibus destituti, nullum pietatis officium retinebant. His malis etsi vniuersa Italia ad Noricos vsq; laborârit, præ cæteris tamen Liguria est absumpta. Bonfinius lib. 7. Decad. 1.*

D. Hieronymvs in Iolem inquit: Nostris *temporibus vidimus agmina locustarum terram texisse Iudæam: quæ postea misericordia Domini inter vestibulum & altare, hoc est, inter Crucis & Resurrectionis locum, sacerdotibus & populis Dominum deprecantibus, atq; dicentibus: Parce populo tuo, vento surgente, in mare primum, hoc est, in mare mortuum & nouissimum, hoc est illud, quod ad Occidentem est, & quod ducit in Aegyptum, in cuius littore sunt Gaza, Ascalon, & Azotus, proiecta sunt. Cumq; littora vtriusq; maris aceruis locustarum mortuarum, quas aqua euomuerant, implerentur, putredo earum & fætor in tantum noxius fuit, vt aërem quoq; corrumperet, & pestilentia tam iumentorum quàm hominum oriretur.*

Svb Pelagio II. Pontifice, ex frequentibus plu*uijs tanta inundatio Romæ facta est, vt vrbis muros transcenderet, & magnam bestiarũ multitudinem, maximè serpentium, cum terribili Dracone, secum traheret. Secuta est pestis, ex qua Pelagius obijt, anno Ch. 590. Platina. Sigebert.*

Anno Domini 654. imperio Constantini vndecimo, *cinere pluit, vnde magnus metus Constantinopolin inuasit: ignis de cælo decidit, & pestis grauissima tribus æstiuis mensi-*

mensibus grassata est. Cunctis visibiliter apparebant bonus & malus Angelus venabulo, quod manu ferre videbatur, ostium cuiusq; domus percussisset, tot ex eadem domo sequenti die interibant. Sigebertus in chronicis, & Paulus Diac. libro 19. rerum Roman.

ANNO sexto Constantini Copronymi, Palæstina *circa Iordanem & totam Syriam, in Ianuario, hora quarta concussionem patitur, qua multa Ecclesia & Monasteria euertuntur: & pestis in Sicilia & Calabria orta, peruagatur Monobasiam, & Helladem, & insulas vicinas, ac tandem Constantinopolim ingreditur: atq; in vestibus tum prophanis tum sacris, & in velis crucicula plurima, velut ex oleo designata, conspiciuntur. Multi mente deturbati, videbantur sibi se videre peregrinos quosdam homines, truculento vultu prope se euntes & colloquentes, ac in domos ingredi, hominesq; aut vulnerare aut eijcere: ac plarunq; respondit euentus. Nam lues ista plenas domos euacuauit, tantaq; fuit multitudo morientium, vt omnibus monumentis in vrbe & suburbio completis cisterna, lacus, vinea, & horti sepulchra fierent. Anno Domini 748. iuxta Sigebertum.*

SVB Michaële Paripinaceo Imp. nemine proui*dente publicis commodis, fames vrbanos pressit, vt publica calamitas manifestè deploraretur, cum interim Imperator literis exerceretur, ac iambos à Psello conficere doceretur. Adhæc accessit crudelissima pestis, qua tot homines conficiebantur, vt à viuis sepeliri non possent, ac plurimi sæpè vno in lecto efferrentur, multiq; in vijs insepulti iacerent passim. Vnde luctu omnia impleta sunt. &c. Cuspinianus.*

ANNO Domini 819. propter iuges pluuias, & *aërem humore nimio resolutum, magna incommoda con-*

tigerunt: Nam & hominum & boum pestilentia, tam immanè, longè latèq; grassata est, vt vix vlla pars totius regni Francorum, ab hac peste immunis & intacta posset inueniri. Frumenta quoq; & legumina imbrium aßiduitate corrupta, vel colligi non poterant, vel collecta computrescebant. Vinum etiam, cuius paruus prouentus eodem anno fuit, propter caloris inopiam, acerbum & insuaue fiebat. In quibusdam verò locis ex inundatione fluminum, aquis in plano stagnantibus, autumnalis satio ita impedita est, vt penitus nil frugum ante vernum tempus seminaretur. Annales Francorum.

SVB Carolo Caluo, & Carolo Crasso, dira lues *in boues sæuÿt, maximè circa Rhenum, vbi in agro Vangionum, haud procul ab Ingelheim, in pago VVilsheim, canes villatici omnes cadauera laniatum, vt fit, conuenerunt. Deinde vno die vna simul cohorte, nemo scit, quònam gentium, ex ÿs finibus migrârunt, nec viui nec mortui cuiusquam vestigium postea inuentum est, anno Domini 878. Sigebertus, Auentinus libro 4.*

ANNO Salutis 106. tanta pestis grassata est per *totum penè orbem, vt sepelientium tædio, viui adhuc spiritum trahentes obruerentur cum mortuis. Sigeb. in chron.*

BELLA intestina inter Francorum Reges sub *Chilperico, sæuißima lues dyssenterica comitata est, quæ totas ferè Gallias occupauit, Gregorio Turonense teste libro 4. cap. 33. Quo morbi genere perÿt Austrigildis, impia Guntranni Regis vxor, quæ etiam in ipso mortis agone, non manibus quidem, sed voluntate & testamento homicidia patrauit. Perÿt eodem contagio Nantinus Comes, cuius interitus terrori omnibus ministerÿ Ecclesiastici hostibus & persecutoribus meritò esse debet.*

Anno

ANNO 31. Iustiniani Imp. Constantinopoli adeò *pestis est grassata, vt cadauera per triduum insepulta iacuerint, ad ea efferenda non sufficientibus sandapilis. Ideo Imperator alias mille confecit: cumq; ne hæ quidem satis essent, plurimos currus iussit apparari, iumentaq; innumera dedit ad eam rem. Peste autem intendente, pleraq; cadauera in littus proiecta, ad sextum diem inhumata iacuerunt, quod viui ijs sepeliendis non sufficerent, neq; naues ijs transuehendis: sæuijt illa pestis menses duos, Iulium & Augustum. Cedrenus.*

FRIDERICO I. in Italia Victorem Pontificem *contra Alexandrum III. defendenti, cum Reinaldus Coloniensis, & Christianus Moguntinus Archiepiscopus suis copijs Romam oppugnarent, nouem millia Romanorum cæsa feruntur. At cum Imperator iam vrbem obsideret, ferroq; ac flamma vrgeret, fœdissima pestilentia orta, exercitum inuasit, & Episcopos, Coloniensem, qui autor mali fuerat, Spirensem, Ratisponensem, Pragensem, Verdunensem, ac Leodiensem: tum Duces, Fridericum Conradi Romanorum Regis filium, VVelphonem iuniorem, cum multis Comitibus ac Baronibus absumpsit. Cuspinianus.*

CEPERANT Latini Antiochiam Syriæ metropolim, *in ea expeditione sacra, cuius author fuerat Petrus Eremita, & centum millia Persarum, Corbona Duce fuso fugatoq;, interemerant. Victoria opulentissima, ex summa inopia cunctarum rerum, incredibilem copiam omnis generis diuitiarum, non ad necessitatem modò, sed etiam ad delitias luxumq; attulerat. Nemo egens, beati omnes locupletesq; fruebantur præsentibus bonis, pristinum quoq; desiderium abundè affatimq; explentes. Ex hac repentina præcipitiq; in contrarias partes mutatione cultus victusq;,*

siue alia causa, coorta pestilentia, quinquaginta circiter Latinorum millia absumpsit. Aemilius libro 4.

DAMIATAM Ægypti vrbem nobilissimam *Christiani Latini arcta premebant obsidione plusquam annua. In hostes grauissima pestilentia grassabatur. Latini eius mali ignari, cum insolentiam hostium in muris admirarentur, scalis admotis eam propugnatoribus vacuam cepere. Ex septuaginta millibus hostium, tria tantum millia puberum (nam infirmior ætas, ac reliqui omnes absumpti miserrimo fati genere, fame, pestilentiaque iacebant insepulti) inuenta, & hi affecti quoque vita donati, ea lege, vt vrbem oppugnarent. Anno M.CC.XIX. Nonis Nouembribus capta est, præda ingens parta auri, argenti, gemmarum, margaritarum, preciosæ vestis supellectilisque. Aemilius libro 6.*

SVB Henrico V. Imperatore, crudelissima pestis *adeò in homines desæuijt, vt credatur tertia pars hominum interijsse, & vix affuisse homines, qui cadauera sepelirent. Qua etiam Calixtus II. Pontifex obijt. Cuspinianus.*

SVB Philippo Longo Francorum Rege, circa an*num 1320. pestilentia ingens exorta, fraudeque humana potius quàm vitio cœli, iraue Numinis credebatur id malum sæuire. Fama tenet, Iudæos, quod peruicax hominum genus, ac execrabili in nos odio furens, è Francis exegerat Philippus Pulcher Rex, ab Ludouico Hutino filio mox Rege receptos: & vt pristinum exilium suum, bonaque direpta vlciscerentur, & priori similem rebus suis fortunam præmetuentes, ab Regibus præterea satrapisque Turcarum Saracenorumque pecunia accepta, elephantiacis, qui stipe mendicanda vagi victitarent, persuasisse, vt venena in puteos spargerent. Horum quàm plurimi comprehensi, quæ-*

stione

stione habita, de confeßis supplicium sumptum. Iudæi in custodiam quoq; alij aliò diuisi. Qui eorum Vitriaci in carcere asseruabantur, non dubij, pestem sibi à nostris instare, quem ex numero suo virum optimum iudicârunt, eum delegerunt, vt eius manu vitæ finem facerent. Consenuerat & ætate & viribus, adiutorem sibi iuuenem robore præstantem deposcit ad cædem perpetrandam. Ii duo cæteros se morti vltrò offerentes compreßis faucibus necârunt. Deinde senex exorauit iuuenem, vt eius dextra caderet. Is iam vnus supererat, nec habebat qui se vindicaret à ludibrijs morteq; arbitrio nostrorum obeunda. Ad tignum fenestræ editißimæ, partim reuulsis, partim ita patefactis clatris, vt exitus liber foret, resti religatæ inserta ceruice, se suspendio demisit: sed graui casu laqueo prius quàm gula fracto, in subiectam fossam decidit, crusq; fregit. Ad strepitum excitati custodes eum excepêre. Furca interijt. Nihilo secius vis morbi iam visceribus insidens, multos mortales absumpsit. Aemilian. lib. 8.

ANNO salutis 1342. terræmotu Venetiæ grauissimo sunt concussæ. Succeßit fames, hinc pestilentia ab extremo septentrione per totum orbem grassata. Funeribus sic exhausta est Venetorum ciuitas, centesimo quoq; vix euadente, vt ad multitudinem resarciendam, nec non & ad tollendam vastitatem, quæ ciuitatem magnopere deformabat, lata sit lex, vt quicunq; Venetias habitandi causa migrâsset, fuisset q; ibi totum biennium, pro ciue haberetur. Sabellicus libro 8. Ennead. 9. & libro 3. Decad. 2. Quin etiam Dux ipse non multò pòst obijt, anno duodecimo peracto: & ne quod malum deesset, Marinum Faletrum tyrannidis affectatorem, successorem habuit. Egnatius libro septimo capite 6.

FLORENTIÆ anno à virginis partu M.CCCC. *pestis triginta hominum millia absumpsit. Parisios adorta pestis, anno salut. M.CCCC.LXVI. ad hominum quadraginta millia occidisse dicitur. Ritius lib. 3. Francorum Regum.*

ANNO 1529. nouum morbi genus Germaniam *inuasit. Sudore pestifero correpti homines, intra vigesimam quartam horam aut exhalabant animam, aut si virus exudassent, valetudinem paulatim recuperabant, & priusquam de remedio constaret, multa perierunt millia. Malum hoc, inde ab Oceano, per omnem propè Germaniam peruasit, breuissimo temporis spacio, & incredibili celeritate, velut incendium aliquod, longè lateq; depascebat omnia: vulgo dicitur morbus Anglicus. Nam Henrici septimi Britanniæ Regis anno primo, qui fuit annus humanæ salutis M. CCCC. LXXXVI. eadem lues insulam illam inuasit, & quoniam in re noua remedium erat incognitum, ingentem hominum stragem edidit. Sleidanus lib. 6.*

SVB Clemente VII. pestis adeò triennio totam *Italiam peruagata est, vt vix decimus quisq; ex millesimo homine superfuerit. Nec id quidem mirum, cum ob Iubileum contagione hominum & multitudine vndiq; Romam commigrantium, squalore, situ, pedore, omnia inficerentur. Platina.*

ANNO Christi 1528. pestilentis morbi lues, dif*fusa per omnes Italiæ regiones, tertiam ferè mortalium partem absumpsit, deficienteq; paßim annona, quæ immenso precio cunctis in vrbibus creuerat, multi inopesq; præsertim insolitis vtentes cibis, contracta tabe sensim interierunt. Iouius libro 26. Historiarum.*

FVLCHERVS illegitimo natus thoro, patre Lu*douico III. Imperatoris coquo, cùm annis ferè tribus Nouioma-*

uiomagensis Ecclesiæ sedem in Gallia administrasset, morbo pediculari interijt: cuius cadauer cum pediculis scaturire non cessaret, ceruino corio insutum, terræ mandatum est. Magnum punitæ ambitionis & Simoniæ exemplum, inquit Iacobus Meyer in chronico Flandriæ.

L. PAVLO, Q. Marcio Censoribus, primum in *Italiam carbunculum venisse, annalibus conscriptum est, peculiare Narbonensis prouinciæ malum: quo duo consulares obière, Iulius Ruffus, & Q. Lecanius Bassus: ille Medicorum inscitia sectus, hic verò pollice leuæ manus euulso acu ab semetipso, &c. Nascitur in occultissimis corporum partibus, & plerunque sub lingua, duricia rubens varicis modo, sed nigricans capite, aliàs liuida, corpus intendens neque intumescens, sine dolore, sine pruritu, sine alio quàm somni indicio, quo grauatos in triduo aufert, aliquando & horrorem afferens, circaque pustulas paruas, rarius febrem, stomachum faucesque cum inuasit ocyssime exanimans Plinius libro 26. capite 1.*

ESSE Plotinum humanis perfunctum, scribit *Firmicus, cum per totam eius cutem magnis humoribus nutrita pestis erupit, vtpote corpus, deficientibus membris, corrupti sanguinis more tabesceret, perque omnes dies ac horas, serpente morbo, minutæ viscerum partes defluerent: & quicquid paulo antè integrum videras, statim confecti corporis exulceratio deformaret: vt sic corrupta & dissipata facie, tota ab illo figura corporis discederet, ac in mortuo (vt sic dicamus) corpore solus superstes retineretur animus. Cælius libro 21. cap. 10. A. L.*

TVRCI, victo Michaëlis Comneni Palæologi Imp. *exercitu, prædam, quam maximam virorum, mulierum, earum rerum quæ à viris expeditis ferri queunt, coëgerant,*

inter

inter sese diuiserunt. Inter cætera autem fuerunt & duæ adolescentulæ sorores, quæ cum diuellendæ essent, quòd non eidem Domino sorte obuenerant, altera alteram intuens, cum lachrymis, eiulatu, planctu omnia compleuissent, in mutuo denique complexu expirârunt, quasi natura rerum corpora non prius, quàm animas separari pateretur. Gregoras.

MARDONIVS Gobryæ filius, Darij gener, ex *Hellesponto classem Acanthum misit, quæ ex Acantho soluens, dum Athon circumuertit, Aquilo vehemens in eam ingruit, nauium plerasque in Athon perpulsas, ad trecentas afflixit, vt supra viginti millia hominum interierint: partim à feris rapti, partim quòd natare nescirent, partim quòd petris allisi (nam sæuissimum circa Athon est mare) partim gelu absumpti. Herodotus libro 6.*

PERDICCAS in Ægyptum contra Ptolemæum *profectus, peruenit in locum è regione Memphis positum, apud quem scinditur Nilus, insulamque facit, quæ castra exercitumque maximum tutò capere possit. In hanc copias transportauit, militibus ægrè transeuntibus, propter fluminis altitudinem. Elephantos ad sinistram collocauit, qui fluminis impetum excipientes, fluctus mitigarent: equites verò ad dextram partem constituit, qui, si quos flumen abriperet, exciperent, & ad ripam perducerent. Cum primi tutò traiecissent, qui postea traÿciebant, in magna pericula incidebant. Nam flumen nulla manifesta causa multò altius factum est: cumque corpora tota demergerentur, omnes in summam difficultatem venerunt. Dicebant nonnulli, fossam superioribus locis aggeribus munitam, rursus effractam fuisse, admixtamque flumini, altius vadum effecisse. Alÿ imbres in superioribus locis extitisse, qui Nili magnitudi-*

tudinem auxissent, quorum neutrum erat. Sed vadi primam traiectionem tutiorem esse propterea contigit, quod intacta erat arena vadi. At in alijs, cum pedibus equorum & elephantorum, itemq́ peditum qui priores transierant, calcata motaq́ arena, vndis abrepta fuisset, accidit vt hac re excauato vado altior fuerit traiectus in medio fluminis. Hanc ob causam cum reliqua copia traijcere nequirent, Perdiccas in summam trepidationem venit, cum neq; qui traiecerant pares essent hostibus, neq; qui trans flumen erant, suis auxilium ferre possent: itaq; iussit, vt omnes retrò abirent: Quo factum est, vt omnibus traijcere flumen coactis, qui probè natare sciebant, & corporibus valentioribus erant, ij summa cum difficultate Nilum tranârint, amissis multis armis. Reliquorum propter imperitiam natandi pars à flumine absorpta est, alij ad hostes delati sunt: pleriq; diu abrepti, à fluminis beluis deuorati sunt. Cumq́ plures duobus millibus militum perijssent, & in ijs nonnulli Duces illustres, alienati sunt multitudinis animi à Perdicca. Diodorus libro 18.

MORTVO Magone Tartarorum Rege, Haalon *eius frater è Syria, quam iam ferè subegerat, ad occupandum regnum festinans, nuncio accepit, Cobillam fratrem regnare, & Barchen alterum fratrem infesto exercitu se petere. Vbi in conspectum venêre acies (annus is fuit Sal. hum. 1260.) sorte quadam concursum est in alueo fluminis (nomen Aytonus non ponit) glacie concreto. Hic medio pugnæ ardore soluta est glacies vehementiore vngularum attritu, absorptaq́ cum suis equis ad triginta millia hominum vtriusq; exercitus: sicq́ Marte neutrò inclinante, ingenti tamen clade vtrinq; accepta, diuersæ inde abiêrunt acies. Sabellicus libro 7. Ennead. 9.*

SFORTIA Magnus pro Iohanna Regina Neapolitana contra *Alfonsum Aragonium & Bracchium exercitum ducens, vt Aquilam urbem liberaret obsidione, in Samnitibus victum iam hostem insequēs, Aternum amnem, Piscariam vulgò vocant, traiecturus, primus vadum explorat, ad vlteriorem ripam progressus, inde ad citeriorem reuertitur, vt audacius cæteri vadum intrarent. Hic fatalis necessitas potius quàm casus Ducem sustulit. Aurigam præ se agebat recentiorem tranatu, cum preciosissima casside, qua in pugna vtebatur: euaseratq; minister dimidium fluminis, cum subitò in clunes equi resupinatur, vix galeæ cristis extantibus: dubium, subita cerebri vertigine aquarum insolentia puer defecerit, an equus voraginem aliquam nactus in ipso emersu anteriorum pedum colluctatione, aut suffraginibus à postica parte deficientibus, illum cassidis pondere euictum, in tergum excusserit. Sfortia periclitantem voce hortatus, eò per medium amnem occurrit, puerum manu subleuat. Cæterum alieni periculi sollicitus, sui oblitus, dum alij opitulatur, ipse aquarum altitudine coopertus perijt. Eius corpus diu multumq; requisitum, nusquam extitit amplius. Et hic finis fuit Sfortiæ, Ducis omnium, qui ea tempestate fuerunt, fortissimi. Bis sustulisse fertur armatam dexteram, neq; tamen quisquam opem tulit. Ionius in vita Magni Sfortiæ.*

GERMVNDVS Gothorum & Sueonum Rex Haral*dum Danorum Regem vicerat, & fœdere cum illo percusso, exercitum in Sueciam remiserat. Dani perfidè illum circumuentum cepêre, & in erecta trabe strangulauêre. Ioh. Magnus lib. 8. cap. 5. Grimmerus Sueonum & Gothorum tyrannus, ab hostibus comprehensus, in sublimem furcam eleuatus, catena ferrea strangulatus est. Idem libro 4. cap. 3.*

Iarme-

IARMERICVS Danorum rex, Teutonum quadraginta principes captos, applicatis totidem lupis, laqueo adegit. Reliquos eorum optimates, primò tibias loris traiectos, moxq́ immanium taurorum vngulis alligatos, molossisq́ incessentibus, raptim in cœnum voraginesq́ pertractos, lachrymabili spectaculo consumpsit. Idem, libro 22. capite 4.

IOHANNES Antonius Vrsinus, princeps Tarentinus, qui bello Neapolitano Iohannem Andegauensem contra Ferdinandum Aragonium secutus fuerat, longa quartana confectus, cum Tarentinorum Legatos, ob initum cum Rege Ferdinando consilium suspectos securi se percussurum minatus esset, & puer minas hasce Legatis indicasset, ab ijs noctu cubiculum ingressis strangulatus est. Pontanus libro 5. belli Neapolitani. Inualuit opinio, à quodam eius aulico magnis largitionibus à Ferdinando corrupto, lacinia lodicis elisis faucibus extinctum fuisse. Riccius libro 4. Neapolit. Regum.

SELYMVS Turcorum Rex, Ægyptium Sultanum Tomumbeium Alcairo pulsum acie denuo vicerat. Tandem infelix Tomumbeius, per principem quendam Maurum proditus, atq; in palude, vbi in cannas & iuncos pectore tenus in aqua latitabat, inuentus ad Selymum perductus est. Selymus autem adhibitis tormentis hominem vexauit, vt quonam in loco thesauri Campsonis Gauri præcessoris sui essent, ex ipso agnosceret. Sed Tomumbeius incredibili quadam animi constantia nihil vnquam indicauit. Verum Selymus non ita multò pòst, vt omnem defectionis spem populis adimeret, Tomumbeium mulæ insidentem, atq; annexum gutturi laqueum habentem per totam vrbem duci, ac demum prope portam Bassuelam tertio Idus Aprilis

suspendi iussit, omnibus crudele hoc spectaculum deplorantibus, atque iniquam fortunam accusantibus, quæ ipsum Tomumbeium ob singularem virtutem ad Imperium vocauerat, ac mox Regum omnium, qui vnquam miseri extitissent, miseriorem effecerat. Iouius in vita Selymi.

LEO Magnus Imperator profluuio ventris laborans *intus atrocibus conficiebatur cruciatibus. Quoties in matulam desidebat, siue ante, siue post eum ignis esset, is per ventrem eius & dorsum pellucebat: adeoque extremè attenuatus, viuendi finem fecit. Cedrenus.*

CICERO cum tota domo proscriptus à Triumuiris, *cum lachrymis à fratre diuulsus, Asturam primò naui delatus est, mox Circeios vsque nauigauit, ibi siue nauigationis tædio, siue quòd nondum spem de Octauio abiecisset, in terram descendit, Asturamque pedibus redijt, incertus an & Romam reuerteretur. Hinc liberorum monitu, reperta naui Formias processit, Appianus Capuam progressum scribit. Eum circa Formias appellentem, corui infesto volatu, ab infausto appulsu arcere voluisse visi sunt. Ex littore ad villam suam, quæ in proximo fuit, lectica est delatus, vbi diutius commorari non est ausus, ijsdem alitibus garritu, importunoque volatu omnia infestantibus. Referebatur igitur eadem lectica ad nauem, quum Popilius Lenas, quem ipse capitali iudicio olim defenderat, cum globo militum obuiam occurrit. Sensit Cicero eos ad cædem missos, continuoque lecticam deponi iussit, hicque sine gemitu aut querela vlla tacitus, barbamque sibi læua manu, vt mos illi fuisse dicitur, demulcens, venientes excepit. Interficitur igitur annos natus quatuor & sexaginta. Caput eius cum dextra ad se delatum Antonius in Rostris suspendit, cum prius inter epulas ad satietatem spectasset. Eius frater Quintus, & Quin-*

& Quinti filius, haud multò postquam ipse Roma egressus est, fuerant interfecti. Brutus Ciceronis morte nunciata, Caium Antonium Triumuiri fratrem ad id tempus incolumem seruatum, Ciceronis filio occidendum tradidit. Sic Antonius prius fraterno sanguine, mox suo, cum ab Octauio victus, sibi mortem consciuit, Ciceronis manibus, imò Romanæ potius eloquentiæ quam læserat, meritas exoluit pœnas. Sabellicus lib. 8. Ennead. 6.

ALCIMO Pontifici sceleratissimo, qui Demetrium Soterem *contra Iudæos instigauit, volenti demoliri veterem adyti parietem, sanctorum Vatum ædificium, morbus diuinitus inflictus est, per quem repente voce priuatus in terram procidit, & cruciatus non paucis diebus miserè periÿt, post exactum in sacerdotio quadriennium &c. Iosephus lib. 12. cap. 17. Antiquit.*

VENCESLAVS Bohemorum Rex, cum audi*uisset Consulum Pragensium cædem, ac è pratorio crudelem præcipitationem, in iram commotus à pincerna, qui se hoc præsciuisse aiebat, pugione eum, nisi è manibus ereptus vi fuisset, interficere decreuerat. Ex ira igitur in apoplexiam incidit, ac paralysi decem & octo diebus laborans, velut porcus in volutabro animam exhalauit, anno ætatis quinquagesimo septimo, cum regnasset quinq; & quinquaginta annos in Bohemia, in Imperio autem viginti. Anno Christi 1419. Cuspinianus.*

MATTHIAS Vngarorum Rex, anno 1490. in*tulit bellum Austrÿs, exercitum Friderici Imperatoris fudit, munitiones Austriæ pleras; & in his caput gentis Viennam in potestatem redegit, Nouam vrbem obsedit, verum dum ea obsidetur, ipse Viennæ, die Palmarum sacris operam dans, quibus sex circiter horas interfuit, ad lan-*

guorem declinandum ficus exposcit, iísq; quòd cariosæ essent, primo morsu vehementer offensus, oborta capitis vertigine, apoplexia correptus est. Ingentes ea nocte mugitus edidit. Ingruente demum aurora, dolore cessante totum diem mutus & resupinus insomnem egit. Tertio pòst die è profluuio sanguinis narium animam efflauit. Inter moriendum pilula nucis instar, è stomacho repentè suboritur, & inter agendam animam, sensim ad os subit, cum ad epiglottim peruenisset, ille continuò expirauit. Cromerus libro 29. & Bonfinius libro 8. Decad. 4.

MAHOMETVS impius, Dei manu vindice eum *insectante, incidit in morbum epilepticum, quo laborare solebat frequentius, vt Iohannes de Oppido indicat. Sensum amisit, venter eius intumuit, minimus digitus incuruatus est retrò, & die à morbo decimaquarta expirauit, anno Domini 632. iuxta Sigebertum in chronico, cum regnasset apud Saracenos annos decem. Chronicon Saracenorum.*

ANTIGONE Oedipi filia, cum fratri Polynici *contra Creontis edictum terram iniecisset, à tyranno viua tumulatur. Hæmon verò Creontis filius, desiderio puellæ ad tumulum se mactauit. Eurydice, Hæmonis filij morte cognita, laqueo seipsam strangulauit. Vide Sophoclem in Antigone.*

IVGVRTHA Manastabilis filius nothus, Mici*psæ Regis Numidarum nepos, propter Adherbalem & Hiempsalem fratres regni consortes occisos, à Mario bello petitus, victus, & in triumphum ductus, de gradu deiectus est. Post triumphum in carcerem condito alij tunicam violenter dilacerauerunt, alij vi demere auream inaurem accelerantes, vnam infimam auriculam auulsêre. Vbi detrusus nudus & deiectus in infimum carcerem est: hîc cum fame*

sex

ſex dies luctatus, atq; ad extremum vſq; vitæ cupiditate hians, dignum ſceleribus ſuis exitium inuenit. Plutarchus in Mario.

ANNO Chriſti 589. Mauritij quinto, Hormiſda *Perſarum Rex, cum regnaſſet annos octo, propterea quòd Ducem Baram occidere vellet, quòd contra Romanos infeliciter dimicaſſet, ab ipſo Bara & proprio exercitu capitur, & in carcerem conijcitur: Filius eius cui ipſe regnum deputârat, cum ſua matre in conſpectu eius occiditur. Eligitur alter filius Coſroës, à quo tandem pater in carcere fuſtibus necatur. Zonar. tomo 3.*

ANNO Salutis 1113. menſe Iunio, tanta æſtus *vehementia fuit, vt ſiligines & arbores aduſtæ, ac ſpem ſui fructus mentitæ ſint. Aliquæ etiam ſyluæ ita exaruêre, vt natiuo calore inflammarentur. Poſtea grauiſſimis & diuturnis morbis homines ſunt conflictati, imprimis autem ventris profluuio, & peſte nocentiſſima. Vincentius.*

CVM Aquiſgrani anno Salutis 1022. Synodus *celebraretur, tanta ſiccitas & aëris intemperies exorta eſt, vt multi nimio ardore extinguerentur, nec pauca animalia interirent. Arcæ & columnæ marmoreæ tanto manârunt ſudore, vt aqua eas perfuſas quis crederet. Sigebertus.*

AVENTINVS inquit, annum æræ noſtræ 1145. *feruentiſſimum fuiſſe, amnes ſiccatos eſſe, ſyluas cum montibus arſiſſe, fomitem, & quicquid alendo igni aptum eſt, in terram congeſtum mox ignem concepiſſe. Eiuſdem ſiccitatis vt & Rhenus ſine vllo periculo vbiuis locorum tranſiri potuerit, meminit Chronicon Colonienſe, ſed ad annum 1130. refert Sigeberti continuator. Vincentius & Martinus*

Polonus

Polonus biennio pòst asserunt tantam fuisse siccitatem, vt maior hominum memoria non fuerit: etenim in multis regionibus, flumina, quæ naues ferebant, ita fuisse exiccata, vt pedibus transiri possent. Fontes quoq; & puteos per Galliam planè exiccatos, & plurimos aquæ penuria interijsse.

ANNO 1473. Polonia æstu quoq; & ardore vexata *est vsq; adeò, vt aluei fluminum plerorumq; arescerent. Vistula quoq; apud Toruniam esset vadabilis: Syluæ saltusq; radicitus arderent: segetes, vernæ præsertim, squallerent: Pecudes & iumenta oblitis limo cum herba vorato intestinis interirent. Incendia quoq; vrbium, oppidorum, & villarum crebra extitere. Cromerus libro vigesimo octauo.*

DVCTANTE in Parthos exercitum Corbulo*ne, hyems adeò sæua fuit, vt obducta glacie humus, locum tentorijs non præberet, nisi effossa: & amburerentur multorum artus frigoris vi, & inter excubias quidam sint exanimati. Militis fascem lignorum gestantis manus ita præriguêre, vt oneri adhærentes truncis brachijs reciderunt, Cælius libro vigesimo quinto capite quinto ex Cornelio Tacito.*

ANNO 994. hyems sæuissima ab initio Nouem*bris ad Maium vsq;, rarissimis diebus æstiuis interiectis, durauit, frigidis pestiferisq; simul flantibus ventis. Circa finem verò Iulij, in tantam duriciem præ glaciei rigore stagna ac flumina sunt concreta, vt pisces in ijs extinguerentur, & aqua ad vsus humanos non suppeteret. Arbores, fruges ac pascua, quasi igni subiecto exaruerunt penitus. Deniq; fames & pestilentia atrox, tam in homines, quàm omnis generis animalia immanissimè sæuijt, vt multæ domus suis habitatoribus destituerentur. Porrò sequenti anno nouum acces-*

accessit malum, superioribus adhuc durantibus, Slauorum nimirum hostiles in Orientales Saxones incursiones ac vastationes, Saxoniæ chronicon annum habet 991.

ANNO 1124. hyems solito asperior extitit, & *ob niuis sæpius cadentis copiam, adeò horrida & molesta, vt multorum, tenuium præsertim liberi, frigoris iniuria enecti, & pisces in multis viuarijs sint suffocati. Tanta enim spissitudo glaciei erat, vt plaustra graui pondere onusta transmittere posset. In Brabanto anguillæ innumerabiles, propter glaciem paludibus relictis, in fœnilia se abdiderunt, vbi etiam hyemis asperitate extinctæ computruêre. Secuta est lues, quæ non modò in homines, sed etiam cætera animantia sæuijt. Magna quoque intemperies aëris fuit, in Martium mensem vsque, & ob varias vicissitudines niuis, pluuiæ & gelu, non parum detrimenti attulit. Nam vix Maio mense tandem arbores effloruerunt: ægrè terra, frigore diuturno oppressa, tandem herbas virides & gramina protulit. Imber autem singulis penè mensibus deciduus, semina terræ commendata propemodum absorpsit, & auari spem agricolæ est frustratus. Vincentius libro 26. cap. & Sigeberti continuator.*

ANNO 1491. hyems sæuissima fuit: Multi vi *frigoris periêre. In castris Vladislai Regis Vngariæ contra Maximilianum Imp. calones centum, qui pabulatum exierant, plerique obriguêre, pauci iumentorum anhelitu seruati sunt. Nimbi terribiles tentoria deijciebant. Sagati milites Regem valli instar circumsistentes vix à tanta tempestate conseruarunt. Bonfinius lib. 1. Decad. 5.*

SVB Antonino Pio terræmotu Rhodiorum & *Asiæ oppida conciderunt: & Romæ incendium, quod trecentas quadraginta domos absumpsit. Et Narbonensis ci-*

 uitas

uitas, & Antiochense oppidum, & Carthaginiense forum arsit. Iulius Capitolinus. Et prius sub Tito Imp. incendio è terra oborto, Romæ Serapidis & Isidis fana, Septa, templum Neptuni, thermæ Agrippæ, Pantheon, Diribitorium, Theatrum Balbi, Scena Pompeij, Octauiæ porticus cum Bibliotheca, templum Iouis Capitolini cum fanis vicinis igni consumpta periere. Et malum id diuinum potius quàm humanum videtur fuisse. Dion.

COMMODO imperante, Romana vrbs fœdo *incendio deformata. Ortus ignis in templo pacis, quod in via noua fuit, nobilissimumq́ urbis ædificium primò deflagrauit, & cum eo multorum pecuniæ, quas eò ciuitas, velut in sanctissimum reposuerat sacrarium. Arsit & Vestalis ædes, vnde depromptum est Palladium in apertum, nulli antea nisi Vestalibus & Pontifici visum. Plures inde dies ea est clades per vrbem grassata, plurimaq́ interim ædificia publica & priuata consumpta sunt. Crediderunt multi nocturni casu fulminis id incendium conflatum: sed res eò prodigiosior visa, quod sereno, vt Herodianus scribit, cælo accidit. Sabellicus libro 5. Ennead. 7.*

CONSTANTINOPOLI incendium maximum or*tum, sub Leone Imp. ex igniculo lucernæ, quam Dæmon quidam, aut mulier certè Dæmone percita, in forum antelucanis horis attulerat, vniuersam vrbis tum publicam tum priuatam magnificentiam, miserabili & horribilissimo spectaculo in cineres redegit, flammis durantibus in quartum vsq; diem, quæ nec vlla aliqua ratione extingui possent. Euagrius libro 2. cap. 13.*

ZENONE imperante maximum incendium *Constantinopoli extitit, quod in foro ærario exortum, vicina loco omnia in cineres redegit, & publicorum vicorum*

porticus

porticus & ædes illis impositas absumpsit, ipsamq; basilicam vnà cum Bibliotheca, in qua centum viginti millia librorum exposita fuerunt. In ea fuisse perhibetur Draconis intestinum, longitudine pedum centum viginti, cui aureis literis Homeri poëmata, tam Ilias quàm Odyssea, inscripta fuerunt. Testis Zonaras, tomo 3. sub Zenone.

PATAVIVM iacuerat ab Atilano excidio annos *fermè sexaginta sine mœnibus, fossa, vallo, omniq; cultu propemodum deserta. A Theodorico Gothorum Rege fossa & vallo primum muniri cœpta est. Intercessêre iam inde anni circiter centum & viginti à prima instauratione, ad Agilulphi Longobardorum Regis, eò quòd vrbs Græco Exarcho faueret, oppugnationem: quo temporis interuallo, & publica ædificia ex asseribus, quibus abundat regio, nec vlla ferè alia constiterunt materia. Hanc ædificiorum formam contemplatus hostis, validiore ventorum flatu incensas in aduersa tecta immisit faces, sagittariorum opera ad id vsus. Conflatum est illico incendium, ac pars multò maxima tectorum flammis consumpta, eaq; clade perterriti deditionem Patauini fecêre. Barbari dedita vrbe, ciuibus cum præsidio dimissis, quod reliquum fuit flammis dedunt. Atq; sic accidit, vt Patauium anno ferè centesimo pòst atq; octogesimo quàm ab Atila fuerat excidio deditum, sit tunc iterum à Longobardis excisum. Sabellicus libro 5. Ennead. 8. Et Bonfinius libro 8. Decad. 1. Anno Christi 1174. 4. Nonas Martij, totum ferè incendio fuit absumptum, cum occulto ignis in ædes aduersæ factionis à scelesto quopiam iniectus esset (contendebant autem inter se Iordanus S. Benedicti Nouelli Prior, & Luscus Transalgandinus Patricius) Ad 2614. domorum ea clade conflagrârunt. Bernard. Scardeonus in histor. Patauin.*

CIRCA annum salutis 1100. duplex incendium *vnum post alterum, duorum mensium spacio inter vtramq; cladem interiecto, Venetam vrbem propemodum absumpsit: Sed posterius multò calamitosius, sexdecim insulis continua clade consumptis, & cum his parte vna Ducariæ domus. Sabellicus libro 4. Ennead. 9.*

VENETIIS initio anni 1514. tertio Idus Ianuarias *de prima vigilia, in Rialto frequentißima vrbis regione, repentinus ac validus ignis, multiplicis mercimonij tabernas primum inflammauit: mox iuuantibus Aquilonibus, qui sæuißimi ea nocte perflabant, attigua etiam ædificia corripuit: mirum dictu, visu horrendum, quanta velocitate & simul cœperit, & ad dextra læuaq; in immensum populabundus, innumeras ædes, Diui Iohannis templum, & cuncta simul quæ ad Farinas (id loci nomen est) & ad forum piscarium vergunt, absumpserit. Ita vt momento temporis, super semiustas & corruentes domos, miserabili vastitate insolitum atq; inani loci spacium flammæ patefecerint. Eadem violentia haustis numulariorum officinis, rectà per argentarios ad templum Apollinaris vsq; peruagatus, nihil reliquum fecit, præueniendo remedia miserorum sui rapiditate atq; sæuitia. Stetit intactum diui Iacobi vetustißimum sacellum circumambustis lateribus, quo nihil antiquius Venetijs habetur, vtpote quod in ipso nascentis vrbis primordio, ab circumiectis populis, in Hadriaticas paludes Barbarorum metu fugientibus, ædificatum fuerit. Inde perpetuam noctem debacchante flamma, neq; exitus calamitatis, neq; remedium reperiebatur. At prima luce cum magistratibus Andreas Grittus superuenit, iußitq; fabros continuò demoliri domos ardentibus iunctas, vt grassantibus incendijs liber campus, atq; ipsum cœlum occurreret. Ita tandem restinctum est. Iouius.*

Gulielf-

GVLIELMVS Normannus Angliæ regnum *occupârat. Angli exules Canutum III. Dacorum regem in insulam ducunt, Eboracum versus. Normanni qui vrbe præsidio relicti erant, ne suburbana ædificia Dacis vsui forent, ea incenderunt. At subortus repente ventus, vagantem flammam adeò in altum lateq; inuexit, vt ignis frequentes globi intra mœnia cadentes, magis intra quàm extra incendia fecerint, quo penè omnia ædificia, cum templo Diui Petri absumpta sunt. Quare omne præsidium, ac ciues exire compulsi, confertim fugientes, in hostes, qui iam appropinquârant, inciderunt. Polydorus libro 9.*

SVB Philippo II. Rege Francorum, Carnutum *vrbs incendio fortuito maxima ex parte fœdata. Aedes virginis cremata, & septum: in eoq; quamplurimi mortales absumpti. In Bellouacorum finibus coruos rostro carbones candentes tectis intulisse, incendiumq; conflâsse creditum. Aemilian. libro 6.*

EDOVARDO I. Anglorum Rege contra Scotos *defectores exercitum ducente, anno 1297. Scoti, vt venientem hostem finibus prohiberent, in agrum Anglicum egressi, ac prædas vbiq; facientes, Cariolum obsident, atq; casu inaudito ita ferente incendunt, facto intus incendio ab exploratore Scoto, qui forte captus in custodia erat, auditoq; suorum aduentu, & se neci & vrbem igni dedit, quem postea ventus per omnes ferè vicos diffudit. Polydorus libro decimo septimo.*

ANNO 1152. dimidia pars oppidi Audomari *cum templis Dionysij, Iohannis & Martini, surgente ex cœnobio D. Bertini incendio, Nonis Septembris conflagrauit. Numinis ira, inquit Meyerus, id accidisse creditum, propterea quod ex duodecim Monasteriorum Antistitibus,*

epulis vinoq́; mersis (eò enim conuenerant die Bertino sacro ad solenne conuiuium) nemo inuentus sit, qui ad nocturnas matutinasúe surexit preces. Chronicon Flandriæ.

LOTHARIVS Romam proficiscens pro inau*guratione impetranda, Osterburgum venit, vbi grauis excitata est seditio inter ciues ac regios ministros: qua feruente, incendium exortum est, quo tota penè ciuitas perijt, plurimi etiam homines cæde ac flamma sunt extincti, anno 1127. Eodem anno Moguntia ciuitas, & cathedrale templum pulcherrimè ornatum, ac monasteria aliquot Spiræ & Argentorati, & tota penè Goslaria, & Salinæ Saxonum conflagrârunt. Chronicon Saxonicum.*

ANNO sequenti Traiecti ipsis ferijs Paschalibus, *omnia templa cum magna ciuitatis parte incendio periêre. Gandaui, orto de nocte incendio, dimidia pars vrbis, cum templis Michaëli & Iaçobo dicatis perijt. Chronicon Flandriæ.*

ANNO Domini 847. sub Imperio Lotharij, *in ciuitate Padebornensi, visi circuli duo ad Solem, quorum interior Ecclesiæ magnitudinem, exterior vrbis complexus fuerat latitudinem. Vixdum euanuerant, exortum est incendium, & vrbs penè tota cum Ecclesia conflagrauit, versaq́; est dies meridiana in noctem. Lycosthenes.*

ANNO 1160. Nonis Aprilis, vrbs Frisingensis, *penitus cum vniuersis templis, sacerdotumq́; contubernijs cœlesti igni absumitur. Hanc calamitatem, inquit Radeuicus, nonnulla prodigiorum indicia præcesserunt. Quadam enim vice in die circumcisionis Domini, dum ad Missam solennem presbyter altari maiori aßisteret, & iam sacri secreti vltimum resoluisset silentium, calix cum sanguine*

guine ita prorsus euersus, & super altare in conspectu omnium effusus est, vt nec stilla superesset. Per idem tempus monstra quædam quadrupedia, aliaq; phantasmata de nocte visa sunt tam à clericis, quàm à Laicis hinc inde volare. Vulpes & lepores domos Canonicorum ingressæ, velut domesticæ, se capti permittebant. Pueri ac puellulæ per mediam ciuitatem sæpius processionem agentes, verasq; Letanias imitantes, iocis suis seria portenderunt. Vlulæ, vpupæ, bubones toto anno in tectis funebria personantes, lugubri voce aures omnium repleuerunt. Pilosi, quos Satyros vocant, in domibus plerunq; auditi. Radeuicus lib. 4. cap. 13. de gestis Friderici.

ANNO Christi 1518. mense Iunij, horrenda *Solis eclipsis, genesin Maximiliani Imp. vehementer offuscans, eiq; lethalis, in cœlo Viennæ apparuit, & ea ipsa hora horrendum excitauit incendium, qua platea amœnissima vrbis, quæ Cantorum dicitur vulgò, magna parte exusta est. Maximilianus autem in Oeniponte cum suis agens, in iram commotus, febrim incidit occultam, quam animi angustiæ auxerunt, adeò vt cum VVelsam superioris Austriæ oppidum attingeret, apertè languescere cœperit, & tandem obierit. Cuspinianus.*

ANNO 1112. plus quàm dimidia pars Moguntinæ *vrbis incendio perijt, vnà cum bis mille hominibus, inter quos & Ducissa Lotharingiæ Mathildis numeratur. Valentin. Muncerus.*

OPPIDVM Germaniæ Schiltacum 4. Idus Apri*lis, qui dies erat Iouis ante Pascha, anno à Christo passo 1533. conflagrauit, à venefica incensum, vti Erasmus Roterodamus ex Heinrici Glareani narratione refert, & Cardanus libro 19. de subtilitate repetit. Dæmon sibilo signum dedit*

dedit è quadam ædium parte. Caupo suspicans esse furem, ascendit, neminem reperit. Sed idem signum rursus ex altiore cœnaculo redditum est. Et huc conscendit Caupo, furem persequens. Cum nec illic quisquam appareret, sibilus auditus est è fastigio fumarij. Illicò tetigit Cauponis animum, esse Dæmoniacum quiddam, iubet suos esse præsenti animo. Acciti sunt sacerdotes duo, adhibitus exorcismus. Respondit se esse Dæmonem. Rogatus quid illic ageret? ait, se velle exurere oppidum. Minantibus sacrificis, respondit, se pro nihilo ducere illorum minas, quòd alter esset scortator, vterq; fur. Aliquanto pòst mulierculam, qua cum habuerat consuetudinem annis quatuordecim, cum interim illa quotannis & confiteretur, & acciperet Eucharistiam, eoq; etiam die communicârat, sustulit in aërem, imposuitq; fumarij fastigio: tradidit ollam, iussit vt inuerteret: inuertit, & intra horam totum oppidum exustum est. An Dæmon indignatus ob inductum riualem Cauponis filium, & oppidum perdiderit, & mulierem prodiderit, certum non est, est tamen verosimile.

VRBS S. Galli anno Domini 1215. altera Martij *incendio tota periJt, excepto Monasterio. Anno 1314. 15. Octobris, rursus vnà cum cœnobio conflagrauit, sex domibus tantum exceptis. Iis cladibus vexati ciues, negotiationi lintearum vestium se totos dediderunt. Anno 1368. ignis rursus non exiguam partem vrbis absumpsit. Rursus anno 1418. mense Aprili, vrbs cum cœnobio igni ita vastata est, vt 17. domus tantum superessent, &c. Iohannes Stumpfius.*

CVM Salomon Vngarorum Rex Albam Græcam *Bulgarorum partes secutam, iam tertium mensem obsideret, Pannonica virgo in Syrmiensi agro capta, & Albæ in seruitu-*

seruitutem asseruata (quod an casu, an ex industria, vlciscendæ captiuitatis gratia factum sit, non satis constat) clam in vrbe incendium suscitauit, quod Subsolano flante vsque adeo adauctum est, vt mox longè latéque grassari videretur. Vngari, quà facilior dirutis mœnibus aditus offerebatur, hâc vrbem subeunt, Bulgaros, Græcos ac Bessos obtruncant, qui primùm occurrerant. Bonfinius libro 3. Decad. 2.

ANNO 1125. Cracouia metropolis Poloniæ penitus *conflagrauit, incertum fortuitóue incendio, an à Bohemis clam subornato, propter susceptum Sobeslaum exulem. Cromerus libro 5. Anno Christi 1462. Cracouia horrendo incendio in cœnobio Domini canorum sodalium è fornace Alchimistica orto arsit, ita vt dimidia ferè pars vrbis ad meridiem & occidentem Solem vergens absumeretur. Idem libro 24. Anno 1493. vltima Iunij atrox incendium post occasum solis grassatum, maximam vrbis Cracouiæ partem, quæ ad Septentrionem & occidentem Solem vergit, cum tectis turrium & mœnium atque templis absumpsit. Idem libro 30.*

CVM Veneti Petrum Candianum tyrannum in *Ducario obsedissent, Petri Vrseoli, qui post illum Princeps declaratus est, suasu, populus ignem in propinquas Ducario ædes coniecit, sed idipsum in solius Ducis perniciem. Verùm res aliter euenit. Ita enim vis ventorum, propinquitasque ædium incendium aluêre, vt præter Ducarium, augustissimum quoque vrbis templum, cum Theodori martyris virginisque Iubanicæ ædibus, trecentisque priuatis domibus eo die conflagrârint. Sabellicus libro 3. Decad. 1. Thoma Mocenico Duce, Venetijs ingens clades ex incendio accepta est: Ignis ex Ducario repente ortus, auream Diui Marci ædem,*

quæ illi incubat, repente corripuit, vbi ita atrociter flamma est debacchata, vt liquefacto plumbo, (ex qua materia, vt hodie, tota ædes operta fuit) nihil quibusdam locis præter nudas testudines incendio superfuerit. Estq́ interim circa templum magnopere laboratum, proximis ædificijs ægrè ab igne defensis, &c. Postea bello Ferrariensi, Io. Mocenico Duce, Venetijs Ducarium magna ex parte noctu absumptum est incendio. Ferunt sacrorum ministrum candelam in sacello principis incensam, per incuriam reliquisse, cuius lapsu contractum sit incendium: sed per diem paulatim serpendo ignem sese aluisse, inde circa secundam noctis vigiliam flammam subitò emicuisse. Latius omninò pestis illa euagata fuisset, nisi ciuitatis accursu maturè restinctus esset ignis. Idem libro 2. Decad. 4.

Ante mortem Alphonsi Atestini Ducis Ferra*riensis, conflagrauit Ferrariæ atrocissimo incendio Prætoria tot principum domus, tanto ciuium & concurrentium ad restinguendos ignes pauore & strepitu, vt tota ciuitas rapacissimis atq; impotentibus flammis cessura crederetur. Verum in summo inopinatoq́ periculo, Princeps medias ædes salubri consilio euersis tectis proscindi iussit. Patefacta est itaq; media ferè pars ædium vsq; ad interioris porticus aream, vbi erant ad theatralem vsum edendis Comœdorum ludis perampla conclauia, vt furentes flammæ, proxima quæq; quàm ocyssimè corripientes, inanibus aperti cœli spacijs occurrerent. Hoc inusitato crudeliq; spectaculo ostentum nequaquam ad triste omen Alphonsus vertit, quoniam is igneus splendor certæ læticiæ euentum prænunciaret. Nec ea opinione deceptus est, nam Renata Ludouici XII. Galliæ Regis filia ex filio Hercule nurus, non multò post exoptatum marem peperit. Iouius in Alfonso Atestino.*

Constanti-

CONSTANTINOPOLI cum D. Iohannes Chrysostomus Episcopus à coniuratis, & ab Eudoxia Imperatoris coniuge, in exilium pelleretur, ignis è medio templi throno, in quo ille concionari consueuerat, diuinitus emicans, derepente in sublime ascendit, & tecto consumpto, violentoq́ue vento exceptus, proximam Senatus Curiam meridiem versus, quamuis longiusculè dißitam, intermedijs ædificijs illæsis inuasit, & tribus horis integram absumpsit. Inde serpens vicina ædificia deuorauit: ab ea ædicula sola abstinens, vbi sacra vasa asseruabantur. A crepusculo ad auroram vsq; durauit incendium. Nicephorus libro 21. diuinitus ait immissum. Sozomenus lib. 8. cap. 22. & Socrates libro 6. cap. 18.

SVB Iuliano Imperatore apostata, Alexandria maris æstu sic inundata est, vt eo in locum suum regresso, in tectorum tegulis scaphæ marinæ sint repertæ. Diem eum quo receßit, inter anniuersarios sacrum deinceps celebrârunt Alexandrini, & Deo pro liberatione gratias egerunt. Nicephorus libro 10. cap. 35.

SVB Theodosio III. Tyberis alueum suum egressus, vsq; ad pontem Miluium à Vaticano aquas emisit, magnamq́ue Rom. vrbi cladem intulit septem diebus cum fœda domorum & animalium strage. Subsecuta sunt & alia prodigia cœlestia: Nam Luna per eos dies tenebrata est à prima ad tertiam vigiliam noctis, sanguineo colore suffusa. Apparuit & crinita stella, terrifico aspectu, cauda ad Arctum obuersa. Quibus terroribus sæpius est Romæ supplicatum Gregorij II. Pontificis edicto, ad malas has tempestates auertendas. Cuspinianus ex Paulo Diacono libro 6. cap. 12. Anno Domini 717. iuxta Sigebertum & Bedam de tempore.

ANNO Domini 690. qui fuit tertius Iustiniani, *aquæ diluuium fuit in finibus Venetiarum & Liguriæ, cæterisq́ regionibus Italiæ, quale maius post Nohæ tempora creditur non fuisse. Factæ sunt lacunæ possessionum seu villarum, hominumq́ pariter & pecudum magnus interitus: destructa sunt itinera, dissipatæ viæ, tantumq́ Athesis fluuius excreuit, vt vrbis Veronensis muri ex parte vna subruti fuerint. Fuit autem inundatio illa Calendis Nouembris. Quin & tantæ coruscationes & tonitrua tunc fuerunt, quantæ vix æstiuo tempore fieri solent. Tyberis quoq́ Romæ in tantum excreuit, vt aquæ eius supra muros influerent, & maximas in ea regiones occuparent. Tunc per alueos eiusdem fluuij, cum multa serpentum multitudine Draco etiam miræ magnitudinis per vrbem transiens, vsq́ ad mare descendit. Subsecuta est statim hanc inundationem grauissima pestis, quam inguinariam appellant, quæ tanta clade populum deuastauit, vt ex inexistimabili multitudine vix pauci remanerent. Lycosthenes de prodigijs.*

IVSTINIANI Magni Imperatoris anno septimo, *Edessa, magna atq́ celebris vrbs, diluuio Scirti amnis, qui per eam decurrit, afflicta est. Maris enim instar ille exundans, domos vnà cum inhabitantibus abripuit atq́ submersit. Diluuio finito, in ripa amnis inuenta est lapidea tabula, inq́ eam inscripta hæc hieroglyphicis literis: Scirtus amnis saltabit malo ciuium (nam amnis nomen Græco sermone ad saltationem alludit) Iustinus multum vtriq́ vrbi ad instaurationem contulit. Cedrenus.*

ANNO 18. Iustiniani Magni, mare Thraciam *operuit vsq́ ad quatuor milliaria, tectis aqua Odryso, Dionysiopoli, & Aphrodisio: multiq́ sunt aquis suffocati: inde Dei iussu aqua in suum redijt locum. Cedrenus.*

Smarag-

SMARAGDO Exarcho, dira aquarum alluuio *totam penè Italiam obruit, fluminibus passim arua inundantibus. Tyberis omnium maximè, & quantus nunquam aliâs, hominum memoria, portentoso auctu fluxit, vt murorum vrbis altitudinem quibusdam locis æquârit. Præcessit cataclysmus ille paucis diebus Calendas Nouembris. Quo accidit, vt sata cœno obruta, germinare nequiuerint, nec arua amplius tractari potuerint, aquis & limo omnia obtinentibus. Attulit intemperies illa ingentem Italiæ famem, iam & pestilentia est simul orta, quæ multò maximam mortalium partem absumpsit. Sabellicus libro quinto Ennead. octaua.*

ANNO quinto Childeberti, qui ferè in initium *Mauricij Imperatoris incidit, mense Septembri, continuis viginti diebus imbres tanta vi deciderunt, vt plurimis in locis sementem facere nemo posset. Fluuij præterea, Ligeris, Flaueris, (quem Melacrem vocant alij) Rhodanus, Araris, omnesq́ torrentes longè lateq́ supra ripas effusi, plurimum accolis detrimenti dederunt. Lugdunensis ciuitatis muros Araris cum Rhodano coniunctus aliqua ex parte subuertit. Gregor. Turonens. libro 5. cap. 35. Italia quoq́ magnam cladem perpessa est aquarum inundatione: quæ tanta fuit, vt homines Noë diluuium instauratum putarent. Simoneta libro 4. cap. 30.*

ANNO Mauricij tertio, Kalendis Octobris, dira *aquarum alluuio, ac fulmina sæuissima, Venetiarum & Liguriæ terras oppressêre: & mox Romæ atrocissima pestis, ex serpentum fœtore ad littora proiectorum exorta, secuta est. Sexto Mauricij anno, impia Longobardorum gens Romam oppugnans, assiduis imbribus turbinumq́ tempestatibus adeò perpulsa est, vt obsidionem soluere cogeretur. Subsecuta*

est deinde tanta vis aquarum, vt innumerabilis penè hominum pecudumq́ multitudo per Italiam, ac maximè Romæ perierit. Tyberis ita se effudit, vt altitudine Romanæ vrbis mœnia superaret, & ingentem serpentum, aliarumq́ venenatarum animantium colluuiem aduceheret. Inde mox anno sequenti, Palmerio authore, ex cadauerum putrefactione iterum pestis sæuissima orta est, qua Pelagius Papa, & infinita hominum multitudo Romæ interijt. Nili inundatione varia animalium monstra apparuêre, masculini & fœminini generis, quæ ad lumbos vsq; humanam effigiem referebant: adiurataq́ per Deum, à prima diei hora vsq; ad nonam se videnda exhibuerunt. Bonfinius lib. 8. Decad. 1.

In vrbe Turonica, imperante Tiberio, populo *ante lucem in Ecclesiam festinante, cælo nubilo, cum pluuia globus igneus de cælo lapsus est, tantam & tam claram lucem de se præbens, vt tanquam in meridie, cum Sol ad cæli medium peruenit, omnia cernerentur. Receptus est hic globus à nube: subsecutæ sunt exundationes aquarum insolitæ. Sequana & Matrona in tantum creuerunt circa vrbem Parisiorum Lutetiam, vt prope eam aliquoties naufragia contingerent. Gregor. Turonens. lib. 6. cap. 25.*

Imperante Constantinopoli Romano Ar*gyropolo, à mense Octobri imbres quoq; ingentes vsque ad Martium mensem obtinuerunt, & amnium ac lacuum exundatione ferè omnia animalia necata sunt, ac semina terræ commissa perierunt: ideoq́ insequenti anno graui est laboratum penuria. Cedrenus.*

Aschobrvnnam vicum in pago Nitensi subita *imbrium inundatio, quinto nonas Iulij, anno 878. intempesta nocte obruit, pecudes, iumenta, homines octo & octo-*

ginta in cubilibus omnium ætatum & sexus extinxit: casas, horrea, templa, arbores, radicitus euertit, adeò, vt ne vestigium quidem illius apparuerit. Cadauera mortuorum, tellure pluuiali humore soluta, aliò delata, in finibus alterius pagi inuenta sunt. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum, & Sigebertus.

ANNI 1494. autumno, tota ferè citeriore Gal*lia eiusmodi tempestates, tamq́ continentes pluuiæ fuerunt, vt in Bergomatium finibus aqua denos quinos pedes præter consuetudinem excreuerit, ædificijsq́ quàm plurimis dirutis, ac pontibus lapideis abreptis, magnum puerorum & mulierum, magnum etiam virorum numerum repentino impetu oppresserit. Neq́ in Brixianorum finibus flumina non ingentem stragem ediderunt. Athesis quidem cum Veronæ vrbis magnam partem peruasisset, & complures domorum parietes subruisset, etiam pontem firmissimum in medio oppido deiecit. Medoacus & ipse ripas non vno loco transgressus optimam Patauini agri partem, illuuie vastitateq́ fœdauit. Padus omninò vtriusq́ ripæ vicinitates ita est depopulatus, vt omnia luctu & mæroribus impleuerit. Atq́ hanc quidem esse quasi Deorum immortalium significationem, quæ Gallorum in Italiam aduentum portenderet, omnes penè homines interpretabantur, & prodigij loco ducebant: erantq́ permulti, qui maximè ad Venetos, quòd eorum regionibus & oppidis aquæ magnum detrimentum attulissent, eam rem atq́ id prodigium existimabant pertinere. Bembus libro 2. Venetæ historiæ.*

ANNO 1513. ad radices Alpium quà itur in Hel*uetios, supra Bellizonam, præaltus mons terræmotu concussus, ingenti fragore edito corruit: totaq́ ea conuulsarum rupium moles in læuam prolapsa, fauces conuallis, per*

quam

quam Brennio amnis decurrens Ticino miſcebatur, obſtruxit. Quo caſu ſtagnare amnis, & nequaquam tanto obice vi vndarum prærupto vallis ſpacium implere coactus eſt: Vnde mox in centum ferè ſtadiorum magnitudinem lacus excreſcens, accolarum ædificia ac prædia, antequam annus circumageretur, oppreſſit. Contraria autem ratione Ticinus deſertus ab ſocio amne, ac nihil alienis viribus auctus, qui paulò ante Bellizonæ ponte lapideo & ratibus iungebatur, cum ſuas tantum vndas traheret, humilis in Verbanum effugit. Ea tamen aquarum vis poſt vigeſimum menſem, cum vaſtitate pulcherrimi tractus, & miſerabili multorum mortalium interitu, effracta mole prolapſi montis erupit. Iouius libro 12. Hiſtor.

ANNO 1530. extremæ terrarum in Belgis regiones, *quæ Geſſoriaco littori incumbunt, repentina atque inuſitata prorumpentis Oceani inundatione ſummam cladem ſubierunt, qua nobiles paulò antè vrbes, frequentiſſimaque oppida ſuperfundente ſeſe mari periêre: vſque adeò miſerabili calamitate, vt infinita propè mortalium multitudo intercepto fugæ remedio opprimeretur. Nam horribili prodigioſoque, ſicuti coniectari licuit, terræmotu concuſſus Oceanus, ita magno æſtu intumuit, vt inſtitutos antiquitus, & perpetua cuſtodiæ diligentia ferè quottidie ab accolis inſtauratos aggeres, quibus ſubmoueri arcerique æſtuantis maris fluctus conſueuerant, concitato quodam & vehementiſſimo incurſu perrumperet, interiorisque plagæ terris altiſſimarum & reciprocantium vndarum pelagus per tranſcenſos margines effunderet: animantiaque ſubinde omnis generis irrito receptus curſu, in aridas littoris partes perfugere conantia, ocyſſimè mergerentur, quibus longo natatu feſſis & fame morientibus, marina beluæ non dubio pauore attoni-*

attonitæ, impulsaq; fluctibus conterritorum piscium agmina succedebant. Prænunciârant hanc cladem triduò antè densissimi imbres, diraq; tonitrua scintillantis aëris, & crebra motatio telluris, perpetuoq; biduo concursantium inter se ventorum diuersi turbines, ita horribili pauore concussis mortalium mentibus, vt cum tecta nutarent, & ingruente ineuitabili aquarum mole, colluctantibus scilicet elementis, tota vniuersi orbis compages resoluta, in antiquum Chaos redigi crederetur. Ea porrò calamitas longè maxima incidit Caneniphatum, & Batauorum insulis, quæ Selandiæ & Holandiæ à nostris hodie nuncupantur. Nam præter eas quæ inundantis maris impetu multorum cubitorum altitudine penitus submersæ fuerant, Alendebucha quoq; & Harles, & Exclusæ, clara oppida, ita fluctibus oppressa deuorataq; sunt, vt vix sacrarum turrium & templorum fastigia extarent, quæ horribili æquè & sæpe metuenda excidij memoria cladem testarentur. Sed Nonæ Nouembres tantis malis finem attulerunt, cum postridie Kalendas, sereno (quod mirum fuit) cælo, sed mox portentosum in modum ab repentina effusi imbris, & certantium inter se ventorum procella commutato, dira ea tempestas accidisset: tanta admiratione mortalium, vt nulla ab orbe condito maior & grauior vllis gentibus clades, post diluuium Mosaicis literis celebratum, incidisse crederetur. Nec multo pòst sequenti mense Ianuario, par propè exitij clades Lusitanis, in ipsis proculdubio visceribus terræ furente debacchanteq; Aeolo, illata est, cuius impetu vrbs Vlyssipo inprimis incomparabile detrimentum sensit: & post eam coloniam, Sanctæ arenæ, & Azemburgeræ, Almeriniq; vrbium publica priuataq; ædificia, inusitato terræmotu conquassata proscissaq; magnam vim mortalium ruinis oppres-

sère, & nonnulla etiam nauigia turbulento inflati maris hiatu absorpta sunt: sic vt Tagus insanis illidentis maris fluctibus repulsus, discedentibus in vtramq; ripam suis vndis, sicca in medio vada obstupentibus cunctis ostenderet: nemoq; iam tota prope Lusitania tectis suis confideret, subsultante scilicet solo, ideoq; non cito desituram terræmotus vim ita præmonstrante, vt Regis & Reginæ exemplum secuti vniuersi ferè incolæ, tabernacula apertis in locis Castrensi more erigere cogerentur: neq; in his tamen soluti metu pernoctarent, cum repentinum aliquem terræ hiatum, quo absorberi possent, non temerè extimescendam arbitrarentur. Iouius libro 29. Histor.

PARTHORVM vrbi Rhagis nomen impositum *dicitur à terræmotibus, qui ibi frequenter fiunt, à quibus multæ vrbes, vt Posidonius refert, & duo millia vicorum euersa sunt. Strabo libro 11. Mediæ præfectura est, quæ Ragæ appellatur, ab infortuniis, quæ in ea acciderunt: cum enim plurimas haberet vrbes, & maximè locupletes, tantos habuit terræmotus, vt & vrbes & incolæ omnes perierint, & omnino regio mutata fuerit, & flumina pro his quæ antè erant, alia extiterint, atque lacus. Diodorus libro decimonono.*

IN Phœnice facto terræmotu, oppidum super *Sidonem situm absorptum fuit, & Sidonis dimidietas fermè corruit, non vno quidem motu. Idem in Syriam totam peruenit malum, & in insulas quasdam Cycladas, & in Eubœam, adeò vt Arethusæ (qui in Chalcide fons est) occlusus fuerit ortus, permultis pòst diebus alio scaturiens ore. Nec antè conquassari desière multæ insulæ partes, quàm in Lelanto campo, aperto telluris hiatu, ignitum fluuium euomuit. Strabo libro 1.*

Olym-

OLYMPIADE 101. anno quarto, magni in Peloponneso terræmotus, ac regionis vrbiumq́ inundationes incredibiles factæ sunt, qualia mala omnibus superioribus seculis nunquam in Graciæ ciuitatibus acciderunt, vt vnà cum hominibus vrbes funditus abolerentur, diuina quadam vltione eam hominum perniciem ac cladem singularem operante. Auxit verò mali huius magnitudinem ipsum quoq; tempus: non enim diuturno tempore terræmotus fiebant, quando succurrere sibiipsis periclitantes potuissent, sed noctu clade ea accidente, domus à terræmotus magnitudine disiectæ, super se inuicem ruebant. Homines autem partim propter tenebras, partim ob improuisum & subitum malum, salutis & euadendi vitam quærere sibi non potuerunt. Vnde quàm plurimi ædificiorum ruina præuenti, perierunt, quibusdam verò exorto diluculo, extra domus exilientibus, ac sibiipsis, quod periculum illud effugissent, congratulantibus multò maior ac incredibilior calamitas postea accidit: mari enim vehementer concitato, altoq́ fluctu exundante, omnes vnà cum domibus absorpti perierunt. Factum est autem malum hoc in duabus Achaiæ vrbibus, vna Helice, altera Bura, quarum Helice, ante terræmotum, habita est omnium vrbium Achaiæ celeberrima. Diodorus libro 15. & Pausanias in Achaicis.

QVO tempore Lysimachus intulit Heracliensibus bellum, in Hellesponti & Chersonesi regionibus terra adeò horrendè mota est, vt Lysimachia vrbs, altero & vigesimo anno ab eo quo condita fuerat, magna ex parte conciderit. Fuitq́ prodigium illud Lysimacho, & eius stirpi pòst paulò interituræ, ac malorum omnium quæ deinceps secuta sunt. Sabellicus libro octauo, Enneade quarta.

CARVRA, in Phrygiæ Cariæq; confinio vicus, *diuersoria habuit, & feruentes aquas in Mæandrum exeuntes. Fama est, lenonem cum magno scortorum grege in diuersorio hospitatum, facto per noctem terræmotu, cum omnibus periysse. Aen. Syl. cap. 61. Asiæ.*

CIRCA Olympiadem 78. Spartæ complures *domus magnis terræmotibus concussæ, funditus corruêre, supraq; viginti millia Spartanorum fama est ruina obtritos interiysse, ac deinceps assiduè per multum tempus vrbe ita terræmotu concussa, ruentibus ædificiys, multa mortalium corpora cadentium murorum mole obruta expirâsse: tum rerum opumq; & supellectilis cuiusq; generis haud parua per domos quantitas soli tremore absumpta. Interea Spartanorum serui Ilotæ & Messeniy, Lacedæmoniys iam pridem infensi, vbi magnam eorum per terræmotus interiysse multitudinem resciuêre, iunctis viribus bellum Lacedæmoniys inferre cœpêre. Diodorus libro 11.*

ANNO regni quarto Archelai filij Zeuxidami *Lacedæmoniorum Regis, maximo omnis prioris memoriæ terræmotu, cum Laconiæ labes in multos hiatus desedit, tum Taygetus concussus, & vertices sunt aliqui eius collapsi. Ipsa conuulsa vrbs est tota, præter quinq; ædificia, cætera terræ tremor labefecit. Media porticu, vbi adolescentia & iuuentus vnà exercebant se, fama est paulò antè quàm terra quateretur, leporem percurrisse. Iuuenes autem, vt erant vncti, euolâsse ludibundos ad consectandum. Adolescentes verò qui remanserant, gymnasiy ruina oppressos periysse cunctos. Horum tumulum vocant etiam hoc æuo Sismatiam, quòd σεισμὸν terræmotum dicant. &c. Plutarchus in Timone.*

In Hir-

In Hirpinis terræmotu grauissimo quassata *non tantum sunt oppida, verum etiam funditus euersa. Ceciderunt ea strage in Samnio, Lucania, eaq; Campaniæ parte, quæ cis Lirim est, ad quatuor & viginti hominum millia. Pontanus de fortitudine, libro primo, capite octauo.*

L Marcio, Sex. Iulio. Coss. in agro Muti*nensi montes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes recedentesq;, inter eos flamma fumoq; in cœlum exeunte interdiu, spectante è via Aemilia magna equitum Romanorum, familiarumq; & viatorum multitudine. Eo concursu villæ omnes elisæ, animalia permulta, quæ intra fuerant, exanimata sunt, anno ante sociale bellum, quod haud scio, an funestius ipsi terræ Italiæ fuerit, quàm ciuilia. Plinius libro 2. cap. 83.*

Dum apud Actium M. Antonius conflictatur *cum Cæsare, septimo regni Herodis anno, Iudæa terra, quali nunquam antè, motu concussa, magnam per totam eam regionem iacturam fecit pecudum, quin & hominum oppressa sunt ruinis ædium circiter decem millia. Iosephus libro 15. capite 7. Antiquit.*

Mortuo Traiano ad Selinuntem Ciliciæ, *teste Aurelio, multò perniciosius quàm sub Nerua, Tyberis inundauit, magna clade ædium, & terræmotus grauis per Prouincias multas, atroxq; pestilentia, famesq; & incendia facta sunt. Quibus omnibus Traianus per exquisita remedia plurimum opitulatus est, statuens, ne domorum altitudo sexaginta superaret pedes, & ruinas faciles & sumptus (si quando talia contingerent) exitiosos. Vnde meritò pater patriæ dictus est. Cuspinianus.*

 Paulus

PAVLVS Diaconus libro decimotertio de gestis *Romanorum, Constantinopoli, posteaquam in regnum Arcadius successisset, terræmotum ingentem accidisse scribit, terra horribili modo subtus tremente, desuperq́; fusa flamma cælitùs pendente, vt cœlum omne ardere videretur: ac durasse quidem pluribus diebus, donec Arcadij Imperatoris & populi precibus placatus, supplicium imminens auerterit. Prosper factum illud scribit Arcadij anno primo. Christi 396. iuxta Marianum, secundum Prosperum 398.*

TERRÆMOTVM ingentem Constantinopoli or*tum fuisse, adeò vt in periculo & metu vniuersa esset regio, Theodoretus tradit, nocte proxima, cum sine causæ cognitione expelli vrbe Iohannem Chrysostomum Arcadius præcepisset. Accidisse autem ob iniustam & violentam Iohannis expulsionem, motum eum terræ, ab hominibus iudicatum est: ipsius etiam Imperatoris mentem cognitio ea subijt, quamobrem manè legatis missis, Iohannem ex itinere in vrbem reuocauit. Theodoretus libro 5. cap. 34.*

SVB Imperio Theodosij iunioris, maximus & ve*hementissimus, ac priores omnes excellens terræmotus, per vniuersum propemodum orbem factus est, ita vt multæ turres per regiam collaberentur, & prolixus ille murus Constantinopoli, quem Cherronesum vocant, corrueret: tellus dehisceret, ac multi pagi submergerentur, multæq́; & innumeræ calamitates terra mariq́; acciderent: fontes aliquot exiccarentur, & alijs locis, vbi nulli fontes fuerant, aquarum abundantia scaturiret: deniq́; immensæ arbores cum ipsis radicibus extirparētur, ac plurimæ valles in montes subitò mutarentur, mare mortuos pisces eijceret, ac multas insulas vndis suis inuolueret, marinæ naues in sicco cernerentur, vndis videlicet retrolabentibus, Bithyniaq́; & Hellespontus,*

pontus, & vtraq; Phrygia plurimum affligerentur. Et hæc calamitas diu terram occupauit: paulatim desinens, donec in vniuersum conquiesceret. Euagrius lib. 1. cap. 17. Nicephorus hisce calamitatibus adijcit famem, pestes, ferarum agrestium in homines grassationes, chasmata, exustiones, grandines maximas, niuium & frigoris vim, Solis eclipsim tantam, vt stellæ medio etiam die conspectæ sint. Quam decimo Honorij Imperij anno accidisse, in Floribus suis scripsit Gygas: fulgorem in cœlo coni formam referentem, mirabili planè, & vario maximè per diuersas cœli partes motu: Ignes cum terræmotibus è cœlo quasi rupto delapsos, trabium in ædibus & tectorum mirabiles & prodigiosas rupturas, & commissiones inter se aptas rursus.

ANNO septimo Imperij Iustini, mense decimo *(qui tum Artemisius seu Maius erat) 29. eius die, in ipsa meridie die sexta hebdomadæ, Antiochia terræmotu ferè vniuersa concidit. Hunc comitatus est ignis, calamitatem acceptam terræmotu latius extendens. Etenim quæ terræmotus intacta reliquerat, ab igne in cinerem sunt redacta. Non solum autem ædificia collapsa sunt, verum etiam magna hominum multitudo, terræmotu ac igne absorpta est. In hac ruina simul vrbis Episcopus Euphrasius perijt. Præcessêre incendia, futuræ calamitatis præludia. Euagrius libro 4. capite 5.*

IN Syria terræmotus factus est, quo apud Ty*rum & Sidonem passim labentibus tectis multa millia hominum prostrata sunt. Eusebius in chronicis annotat, factum esse anno Domini 300. Sabellicus affirmat hunc terræmotum accidisse decimonono anno Imperij Diocletiani.*

ANNO quarto Constantij, Domini verò 344. mul*tæ vrbes Orientis terræmotu terribili conciderunt. Socrates narrat,*

narrat, quinto anno post mortem Constantini, Consulibus Marcello & Probino, Antiochiæ celebratam synodum, damnasse Athanasium, & fidem Nicænam verbis quidem probasse, sed reipsa damnasse, & aliam substituisse: Et paulò pòst Deum eam impietatem terræmotibus in Oriente passim excitatis, maxime verò Antiochiæ, quæ integrum annum concussa sit, puniuisse. Eutropius verò libro vndecimo, etiam terræmotum in Beryto Phœniciæ ciuitate factum esse scribit, & plurimam partem oppidi eius corruisse: eaq́ calamitate multos gentiles terrefactos, Ecclesiam ingressos esse, & spopondisse se Christianam religionem amplexuros, si liberarentur.

ANNO Domini 364. Cum moreretur Con*stantinus Mopsucrenus, magno terræmotu bona pars Constantinopolis diruta est. Et Honorius eodem terræmotu multas etiam Orientis ciuitates esse deiectas affirmat. Nec est dubium, quin Deus tot terræmotibus, qui acciderunt sub hoc Imperatore, testatus sit, sibi Arianas blasphemias aduersus filium Dei omnino displicere.*

ANNO secundo Imperij Valentiniani, Christi *verò 359. vt annotat Hieronymus in chronico, & primo consulatu Valentiniani & Valentis, vt indicat Socrates, terræmotus per totum orbem factus, afflixit multas ciuitates & mare terminos suos mutauit. Quibusdam enim locis adeò exundauit, vt loca quæ ante peruia fuerunt, vndis oppleuerit: & alia loca ita deseruit, vt arida sint reperta. Nam Siciliæ & multarum insularum vrbes, & innumerabiles populos oppressit. Alexandriæ subinde mare discedens & recurrens, recursu suo consuetos terminos transiliJt, & prolixo spacio aridam inundauit: ita vt in fastigijs lectorum, post vndarum delapsum, scaphæ marinæ sint inuentæ. Ac narrat*

Marcelli-

Marcellinus, se vnam vetustate corruptam vidisse. Meminit etiam Nazianzenus in oratione funebri Cæsarij fratris, & dicit, Nicæam etiam tum esse concussam, & præter Cæsarium paucos alios periculo esse liberatos.

ANNO Christi 372. terræmotus circa Bithyniam *ingens, Nicæa, quæ sæpe antè corruerat, vndecima mensis Octobris funditus est subuersa: Factum est anno duodecimo post ruinam Nicomediæ, vt Socrates annotauit: Verùm iuxta Hieronymi Chronicon decimus duntaxat fuit. Paulò post hunc terræmotum, etiam Germæ ciuitatis Hellesponti multæ partes alia concussione terræ subrutæ sunt: Et videbantur isti terræmotus indicia esse futurarum perturbationum Ecclesiæ. Socrates libro 4. cap. 10.*

ANNO 4. Iustiniani, Pompeiopolis Mysiæ ciuitas, *cum maxima hominum multitudine terræmotu absorpta est, quorum nonnulli subtus terram superstites, ex ima voragine hominum auxilia implorârunt. Nouennio pòst totus terrarum orbis horrendo terræmotu concussus est, vnde innumera loca & ciuitates in præceps iuerunt, & solo æquatæ sunt. Constantinopoli in ipso Paschatis festo terræmotus horribilis exortus est. Proximo biennio alij secuti sunt terræmotus, & tempestates sæuissimæ, tantiq́ fulminum & tonitruum impetus, vt & dormientes plurimi læderentur, & bona pars Bizantij incenderetur. Quinto anno pòst, qui vigesimus septimus fuit Iustiniani, iterum Constantinopolis & vicina loca ingenti terræmotu quadraginta continuos dies grauissimè quassata sunt. Sequenti anno denuò tanti tempestatum extiterunt turbines, & vis fulminum, vt crucis statuam in porta Constantinopolitana collocatam deijcerent. Agathias libro quinto.*

NONA die Iulij anni XXIV. Iustiniani Imperatoris, *terribilis motus terræ per vniuersam Palæstinam, Mesopotamiam, Syriam, & Phœniciam, qui multis vrbibus damna intulit, permultosq́ue mortales perdidit. In vrbe quæ Botryos (hoc est vuæ) dicitur, magna pars montis qui mari adiacet, nomine Lithoprosopos, auulsa in mare decidit, magnumq́ue effecit portum, multis magnis nauibus recipiendis idoneum: cum ante vrbs ea portu caruisset. Mare quoque in altum recessit ad M. passus, rursumq́ue Dei iussu refluxit. Cedrenus in vita Iustiniani Imp.*

AGATHIVS libro 2. refert, sub Iustiniano *maturis iam frugibus, Byzantij, & alijs plerisque in locis terram vehementius motam, adeò vt ciuitates quamplurimæ, tam Insulares quàm continentis, repentè quassatæ euerterentur, habitatoresq́ue funditus interirent. Vnde Berytos ciuitas pulcherrima, Phœniciæ maximum ornamentum, prorsus prostrata, ita vt præter pauimenta nihil ferè sit reliquum factum, multiq́ue mortales, vt incolæ, ita & peregrini, ruentium ædificiorum mole oppressi occubuêre. Sensit & Alexandria eo tempore commotionem terræ. Cous insula terramotu concussa, & solo æquata est.*

ANNO secundo Imperij Mauricij, vt Sigebertus *annotat, terræmotus Antiochiam, & sexaginta millia hominum perdidit. Perijt tum simul Asterius, Gregorij Antiocheni Episcopi persecutor, miraculosè seruato eius vrbis Episcopo. Euagrius libro 6. capite 8. Meminit eius miserandæ cladis Gregorius Turonensis libro 10. Hist. cap. 54.*

ANNO nono Constantini Copronymi, terræmotus *factus est in Syria, & ingens ac terribilis casus, vnde ciuitatum aliæ quidem penitus exterminatæ sunt, aliæ verò*

medio-

mediocriter, aliæ autem à montanis ad subiecta campestria cum muris & habitationibus suis integræ migrauerunt, & saluæ, quasi ad milliaria sex, vel etiam modicum quid vltra. Deniq; adseuerauerunt hi, qui proprijs oculis terram Mesopotamiam contemplati sunt, in longitudine dirupta fuisse ad milliaria duo, & ex profundo eius ascendisse aliam terram albam & harenosam, de cuius medio ascendit animal mulitum, incontaminatum, loquens humana voce, & prænuncians gentis incursionem ab eremo aduersus Arabes, quod & factum est. Paulus Diaconus libro 12. Rerum Romanarum.

TRICESIMO Imperij Theodosij anno terræ*motus magni facti sunt Constantinopoli, per quatuor menses: ita vt metu nimio perculsi Byzantini, extra ciuitatem in campum vnà cum Episcopo, qui tum Proclus fuit, secederent, precibus Deo pro liberatione ab imminenti interitu supplicantes. Paul. Diaconus libro 14. & Cedrenus. Anno decimo Irenes, cum cogitaret filium Constantinum prorsus ab Imperio remouere, persuasa ab aulicis, qui per eam dominatum sibi arrogabant, terræmotus sexto Idus Februarij Constantinopoli accidit, adeò vehemens, vt de ruina vrbis metus esset, & omnes ciues extra domos in hortos & agros exirent, & tentoria atq; tabernacula sub dio figerent. Paulus Diaconus libro 23. Rerum Rom. Anno Domini 791. iuxta Sigebertum.*

CVM Carolus Magnus post inaugurationem ve*nisset Spoletum, pridie Calend. Maij, hora noctis secunda, terræmotus maximus totam Italiam grauiter concitat, & tectum de Basilica Pauli Apostoli cum trabibus deijcit, atq; in quibusdam locis montes & vrbes subruit, anno Imperij Caroli primo. Aliquanto post, etiam quædam loca*

circa Rhenum & in Gallia contremuerunt, ac propter hyemis mollitiem & intemperiem pestis paßim grassata satis horribiliter. Circa palatium Caroli Aquisgrani, & in vicinis partibus terræmotus accidit, quem pestis subsecuta est. Anno Domini 803. Annales Francorum, & Regino libro 2.

CASTRVM Tauredunum in Gallijs, vt *Turonensis scribit, situm in monte supra Rhodanum. Auditus est verò per dies amplius sexaginta mugitum edere mons, donec tandem mirabiliter scissus ab alio sibi vicino monte, cum vniuerso castro omnibusq; incolis in Rhodanum præceps rueret. Aqua itaq; retrocedens, & impedita atq; obstructa tanta mole, cum aliàs inter angustias montium laberetur, multos nihil tale opinantes oppreßit. Accidit hoc imperante Iustiniano. Triginta quoq; monachi paulo pòst venientes, & circa ea loca vnde mons prolapsus erat, fodientes, æs seu ferrum reperiunt. Verum subitò incipit mons, sicut antea mugire. Sed cum ipsi nihilominus ab incœpto non desisterent, reliqua montis pars corruit, eosq; interfecit. Hanc cladem multa præceßère prodigia. Aliquandiu manè sole oriente, tres vel quatuor soles visi sunt. Sol deniq; ita obscuratus & obtenebratus est, vt nec quarta pars in eo lucens remaneret. Apparuit quoq; integro anno, radium de se spargens instar gladij. Cœlum item ardere visum est.*

ANNO 1114. tantus vniuersam Syriam terræ*motus concußit, vt multas vrbes & oppida infinita dirueret funditus: maximè autem circa Ciliciam, Isauriam, & Cœlosyriam. Nam in Cilicia Mamistram cum multis oppidis solotenus prostrauit, Maresiamq; deiecit cum suburbanis suis, ita vt quorundam vix etiam restarent vestigia. Quatiebantur turres & mœnia, maioribus ædificijs periculosius*

ruenti-

ruentibus, fiebat populorum strages infinita, & ciuitates amplissimæ, quasi agger lapidum constitutæ, tumulus erant oppressorum, & contritis habitatoribus vicem præstabant sepulchri. Fugiebat plebs mente consternata habitationem vrbium, domiciliorum ruinam formidantes, & dum sub dio requiem sperant, timore concussi somnos interrumpunt, oppressiones quas vigilantes timuerant, in somnis perpessi. Nec erat hoc tam ingens in vna tantum regione periculum, sed vsque ad extremos Orientis fines hæc pestis latè se diffudit. Gul. Tyrius lib. 11. cap. 23.

ANNO Almarici Regis quinto, qui fuit Christi *1170. mense Iunio, terræmotus ingens vniuersi Orientalis tractus vrbes antiquissimas & munitissimas funditùs diruens, habitatores earum ruina inuoluens, ædificiorum fastus contriuit, ita vt ad exiguam redigeret paucitatem. Antiochia, Laodicea, Cæsarea, Edessa, Tripolis, miserrimè euersæ. Tyrius libro 20. cap. 19. Belli sacri.*

CALINA ciuitas Siciliæ terræmotu euersa est, *& multi in ea perierunt, anno Domini 1170. Robertus Abbas in Chronicis.*

BONIFACIO VIII. Columnenses crudeliter *persequente, tantus repentè terræmotus exortus est, quantus nunquam antea: quo quidem multis diebus per interualla plurima durante, ædificia passim corruêre. Reate Pontifex tum erat cum tota Curia, qui veritus, ne ruina ædificiorum opprimeretur, casulam quandam ex tabulatis subtilibus, in medio claustro fratrum Prædicatorum, prato admodum lato, ædificari iussit, eoque in loco aliquamdiu resedit, licet horrida sæuiret hyems: In celebritate namque sancti Andreæ hæc perturbatio exorta est. Apparuit tum quoque Cometes, magnæ alicuius futuræ calamitatis indiciũ. Platina & Sigebertus.*

 Anno

ANNO salutis 1342. ingenti motu terræ pleraq; *ædificia publica & priuata Venetijs corruêre, aliqua terrifico aspectu acclinârunt, & in his sacrarum ædium turres vno atq; altero loco. Inde dies quindecim plus minusúe terra mota est. Quo contigit, vt omnes ferè grauidæ mulieres, quæ tum in vrbe erant, abortum fecerint. Inde fœdissima pestilentia inuasit ciuitatem, inguinariam dixêre. Sabellicus lib. 8. Ennead. 9.*

CALISTO III. sedente, anno 1456. fœdissima *procella, mense Augusto magnam Italiæ partem, & imprimis Hetruriam, Venetamq; oram populata est. Inde paucis mensibus interiectis, magna pars Italiæ horrendo motu terræ concussa est. Multa in Amiterno agro, Apulia, ac toto ferè Apuliæ regno, ædificia corruerunt, alia aut conuulsa, aut parietum hiatu deformata. Sensit eam cladem Neapolis regni caput, sensit & Capua, vtraq; vrbs ruinis oppressa. Circa Benacum nobilissimum Italiæ lacum, mons in abruptum desedit. Sabellicus libro 6. Enned. 10.*

ANNO Salut. 1509. decimaquarta Septembris *terræmotus grauissimus, diebus decem & octo continuis murum Constantinopolitanæ vrbis, qua mare spectat, cum omnibus adiacentibus domibus disiecit, fossatumq; ruderibus impleuit, ac terræ æquauit. Arcem, in qua gazophylacium Imperatoris quinq; turribus munitissimis custoditur, & insignis domus, qua leones nutriuntur tanquam in viuario, destruxit. Cuniculos qui per montes ac longa itinera è Danubio aquas in vrbem euehunt, maximis & laboribus & impensis fabricatos, concussit. Sinus autem maris inter Constantinopolim & Peram, violentia terræmotus adeo infremuit, vt in vtramq; ciuitatem mare vltra muros aquam inijceret. Domus tributaria iuxta muros Constantinopolis, in*

mare

mare tota decidit, vt nullum illic appareret vestigium. Maxima item pars turris plumbeæ in Pera corruit. In Calliopoli munitissima arx penitus rupta est. Nec vlla domus illic integra mansit, totamq; Græciam ad Danubium vsq; hic terræmotus longè lateq; peruagatus est. Feruntur Constantinopoli tredecim millia hominum interijsse. Et nisi Baiazetes Imp. monitus fuisset à quodam Caligero Monacho Græco, sene, quem familiarius dilexit, secumq; crebrò detinebat, vt in hortos descenderet, ruina oppressus fuisset Baiazetes. Cuspinianus.

PRIMA æstate anni 852. grandiores solito locustæ, *pollicem viri æquantes, ab Oriente externa pabula quæsituræ occiduum Solem versus, tanto stridore pennarum prouolârunt, vt aliæ alites crederentur, solemq; per quinq; millia passuum obumbrarent: dira messes contegebant nube, multa contactu adurentes, omniaq; morsu eradentes, cortices quoq; arborum atq; fores tectorum. Centum quinquaginta iugera vno die depastas fuisse memoriæ proditur. Viginti millibus passuum vno die per aëra instructa acie, compositisq; ordinibus ferebantur, terræ incumbentes castra faciebant. Duces cum paucis itinere vnius diei præcedebant agmen, quasi loca opportuna castris capturi. Eadem hora, qua antecursores pridie venerant, vniuersæ copiæ postridie aderant. Ante ortum Solis à loco cui insederant non mouebantur, orto sole demum per cohortes suas proficiscebantur. Germani inopiæ metu ad diuina remedia confugere coacti. Tandem illæ à vento sublatæ in Oceanum Belgicũ actæ sunt, reiectæq; æstu ad continentem, fœtore corruperunt aërem, vnde dira pestilentia subsecuta est. Auentin. lib. 4. Ann. Boior.*

ANNO 6. Romani Argyropoli Imp. cum locustæ *aliquandiu Orientales essent depastæ prouincias, coacti sunt*

incolæ

incolæ liberos suos diuendere, & in Thraciam migrare. Quibus Imperator terna in singulos numismata largitus est, & domum redire iussit. Interim locustas ventus vehemens corripuit, inq; Hellespontum abiecit, vbi in littus eiectæ arenam operuerunt. Altero deniq; anno examina locustarum sponte sua reuixerunt, & omnia Hellespõti infestarunt: cumq; prouinciam Thracensem per integrum triennium populata essent, apud Pergamum perierunt. Cedrenus.

Anno Christi D.CCC. LXXCIIII. immensa locustarum multitudo, quæ alijs maior, senis alarum remigijs, volitabat ab Oriente cum senis pedibus, ac duobus dentibus durissimis, totam penè deuastauit Galliam, mense Augusto. Et quòd mirum est dictu, tanto ordine volitauit, præmissis ducibus, qui pridie castra metarentur, vt militaris disciplina in ijs animalibus cerneretur. Ea segetes depascendo detondebat, vt nihil reliquum esset. Volitabat diurno itinere, quatuor aut quinq; millia passuum. Delata ad mare Britannicum, cum totam penè terræ superficiem obrueret, violento ventorum flatu in profundum delata est vniuersa locustarum copia, & submersa. Sed refusione Oceani in littora reiecta congeries, putredinem aëris ex fœtore peperit. Vnde finitimis magna nata est fames, quam comitabatur ingens pestilentia, qua tertia pars hominum fertur absumpta. Cuspinianus ex Sigeberto & Reginone libro 2.

Anno 1335. Tanta vis locustarum peruagata est Poloniam, vt volantes Solis aspectum hominibus adimerent: humi verò stratæ, equorum vngulas crassitudine superarent, quæ depastæ maturescentes segetes, angustiorem annonam fecêre. Cromerus libro 12.

Anno 1475. Siradiensem & Leuiciensem oram atq; Massouiam locustarum vis ingens ex Vngaria, Morauia,

rauia, & Silesia adueniens, peruagata non modo segetes atque prata, verùm etiam arborum frondes depasta est, continuatis ad sesquimilliarium in latitudinem, & alterum tantum in longitudinem examinibus, concurrentibus inter se nonnunquam, & Solis aspectum densitate sua terræ adimentibus. Cromerus libro 28.

HIRCANVS III. Simonis F. Iudæorum Dux *& Pontifex, cum Samariam integro anno obsedisset, non contentus vrbem capere, etiam solo eam æquauit: inductis illò torrentibus, quorum eluuie ita cuncta fœdata sunt, vt ne vestigium quidem superesset oppidi aut templi Garizimi, CC. annis post illius extructionem. Iosephus libro decimotertio, capite 18, Antiquitatum.*

HIEROSOLYMA à Tito Imperatore capta est, se*cundo anno principatus Vespasiani, Septembris mensis octauo die. Quinquies autem prius capta tunc iterum vastata est. Aegyptiorum quidem Rex Asochæus, & post eum Antiochus Epiphanes Rex Syriæ, deinde Pompeius, & post hos cum Herode Sosius captam vrbem seruauere. Antea verò Rex Babyloniorum Nabucodonosor excidit, post annos ex quo ædificata est mille trecentos sexaginta, menses octo, & dies sex. Primus autem conditor eius fuerat Melchisedec, qui & nomen ei dedit. Postea verò pulso Chananæorum populo, rex Iudæorum Dauid colendam suo populo tradidit: & quadringentesimo sexagesimo quarto anno pòst, ac mensibus tribus, à Babylonijs euersa est. A Rege autem Dauide, qui primus in ea regnauit, vsque ad id quod Titus fecit excidium, anni mille centum septuaginta nouem. Ex quo primum autem condita est, vsque ad excidium, anni duo millia centum & septuaginta septem. Iosephus libro septimo capite decimo octauo* belli *Iudaici. Sub*

Rege Ioachimo Nabuchodonosor Babylonius Hierosolymam deditione cepit, & Principes omnes cum Rege Ioachimo captiuos abduxit. Annis vndecim pòst, sub Rege Sedecia, fame per 18. menses vrbem domuit: Sedeciam fuga elapsum comprehendit, & excæcatum abduxit: templum cum præclaris ædificijs diruit & incendit, quod ante 470. annos à Salomone extructum fuerat. Reliquias populi in exilium deportauit, relicta plebis fæce, quæ vineas agrumq́ coleret. Captiuitas ea 70. annos durauit. 4. Regum 25. & Hierem. 39. Pacorus Parthorum Rex, insidijs capto Hircano Hierosolymorum Rege, & Phasaëlo Antipatri F. Antigonum Aristobuli F. regno restituit, & vrbem diripuit. Iosephus libro decimoquarto capite vigesimo quinto Antiquit. Captis Hierosolymis & direptis, cum nihil amplius, in quod Romani milites, pertinaci obsidione irritati, sæuirent, superesset, iubet eos Titus Cæsar totam funditus iam eruere ciuitatem ac templum: relictis quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phaselo & Hippico, & Mariamne: muroq́ tanto, quantum ciuitatem occidente cingebat. Id quidem vt esset castrum illic custodiæ causa relinquendis: turres autem, vt posteris indicarent, qualem ciuitatem, quamq́ munitam Romanorum virtus obtinuisset. Alium verò totum ambitum ciuitatis ita complanauêre diruentes, vt qui ad eum accessissent, habitatam aliquando esse vix crederent. Et hic finis Hierosolymæ fuit, clarissimæ ciuitatis, & apud omnes homines prædicatissimæ. Iosephus libro 7. cap. 18. Belli Iudaici. Eusebius libro 6. de præparat. Euangel. dicit, se vidisse illam antiquitus celebratam Sion, iunctis bobus à Romanis viris arari, & Hierosolymam instar pomorum custodiæ desertam ad extremam redactam solitudinem.

Vespa-

VESPASIANVS Imperator 47. diebus Iotopatam *Galileæ vrbem munitißimam oppugnauit, & proditione tandem cepit, Calendis Iulijs. Eam funditus euertit, castella omnia exußit: Interfecta fuere toto obsidionis tempore XL. millia, capta M M. CC. Iosephus libro 3. cap. 13. Belli Iudaici.*

EODEM bello Iudaico Iapha Galileæ vrbs munitißima à Tito expugnata est. *Nam cum oppidani in aciem progreßi, à Romanis fugati eßent, intra duos muros exclusi à suis, à Romanis cæsi sunt. Nec multo pòst vrbs capta 25. Iunij. Cæsorum XV. millia fuère, captiuorum duo millia. Iosephus libro 3. capite 11. Belli Iudaici.*

ITEM bello Iudaico Ioppe primum à Cestio *Gallo Syriæ Præfecto capta, & Iudæi omnes interfecti sunt. Iterum à Veſpaſiano, cùm illic improbi quidam collecti, piraticam exercerent, funditus euersa est. Iosephus libro 3. capite 15. Belli Iudaici.*

IONES à Neleo Codri Regis Atheniensis filio in *Coloniam deducti, occupata Mileto, mares omnes interfecerunt, præter eos qui fuga sibi salutem quæsiuere. Illorum coniuges & filias victores in vxores duxerunt. Pausanias. Cum ad Ladam insulam Iones cum Persis pugna nauali congreßi, superati eßent, Miletus ab hoste capta, incensa & euersa est. Herod. 6.*

ANNO Christi 1289. Tripolis vrbs à Mahumetanis expugnata, *quæ atrocißima crudelitatis, feritatis, auaritiæ, libidinis, contemptus numinis exempla excogitari ab vlla Barbaria poßunt, ediderunt: pauci nauibus, qui in portu stabant excepti, effugerunt. In mœnia etiam furor sæuijt, muros deijciunt, fundamenta conuellunt, dißipant, foßas, & quos foderunt cuniculis sinus explent, adæquant,*

ne vestigium vrbis extet. Latini nihil in Syria Phœnicéue præter Ptolemaidem habebant, eamq́ egregiè defendebant. At posteaquam Benignus Magister militiæ Templi sagitta venenata ictus interijt, ami Latinis cecidêre. Patriarcha Hierosolymitanis, Cypriusq́ Rex, & quos magis salutis quàm decoris cura tangebat, noctu naues conscendêre. Cum procul ab hoste abessent, ac Cypro appropinquarent, exorta sæua tempestate propè omnes fluctibus obruti. Ita qui ferrum euitârant, ignaua morte periêre. In vrbe duodecim millia remanserant, obsessi, oppugnati, saucij, fessi malis præsentibus perculsi futurorum metu, deserti à suis, victi, expugnati, capti, cæsi ad vnum omnes sunt. Nec in mortales modò atrox Barbari victoris ira sæuijt, sed publica priuataq́ ædificia, templa superûm euersa, refossa fundamenta, ne indicium vllum euersæ, ne monumentum vrbis extaret, &c. Aemilius libro 8.

ALEXANDER Pheræorum tyrannus, fœderibus, *quibus erat cum illo Scotussa vrbs Thessaliæ coniuncta, violatis, de improuiso vrbem cepit, factaq́ in Theatrum irruptione, quò habendæ concionis causa conuenerant natu maiores, circumdatisq́ cetratis & sagittarijs, omnes ad vnum vt iaculis configerentur imperauit: Idemq́ puberes quotquot essent, trucidandos curauit. Fœminas & pueros sub corona vendidit. Pausanias libro 6.*

MVMMIVS cum prælio Achæos ad Isthmum *vicisset, tertio post pugnam die Corinthum funditus euertit, cremauitq́: Viri omnes trucidati, fœminæ & pueri Mummij iussu sub corona venditi. Venditi etiam serui, quicunq́ manumissi in Achæorum acie steterant, neq́ prælio ceciderant. Ornamenta & signa admiratione quæq́ dignissima, Romam asportata, reliqua Attali auxiliorum Duci Philopœme-*

lopæmeni donata, & hac ipsa etiam ætate apud Pergamenos inter cætera Corinthiorum spolia visuntur. Aliarum vrbium quæ contra Rom. bellum susceperant, muros Mummius deiecit, arma ciuibus ademit, omnem è ciuitatibus popularem administrationem sustulit. Magistratus ex censu instituti. Tributa vniuersæ Græciæ imposita. Locupletibus xtra fines suos agri possessione interdictum. Concilia omnia singularum Achaiæ nationum, siue in Bœotia, siue in Phocensibus haberentur, abolita. &c. Pausanias in Achaicis.

SEPTVAGINTA Epirotarum vrbes à Paulo Æmilio *Imp. funditus euersas esse, autor est Polybius, victis Macedonibus, & Perse rege superato. E quibus maximum numerum molossorum extitisse, nimirum mortalium C. & L. millia in seruitutem redacta. Strabo libro 7.*

ROMA in ipsa adolescentia à Gallis direpta & incensa *est, anno quam condita fuerat circiter trecentesimo ac sexagesimo. Iam verò omnium gentium victrix, diuque rerum potita, à Gothis Alarici ductu iterum capta est ac direpta, atque ex parte incensa. Alaricus enim Gothorum Rex, Romam biennio obsessam, tandem fame cepit, anno Christi 412. IX. Calend. Septembr. vrbis 1364. teste Orosio & Paulo Diacono. Cædibus & incendijs omnia miscuit, ijs tamen pepercit, qui in templa Apostolorum confugissent. Mortuo Alarico successit Ataulphus propinquus, qui Placidiam Honorij Imp. sororem Romæ captam duxerat vxorem. Is Romam regressus, cupiebat quicquid remansisset eradere, siue Romam funditus potius euertere, & alteram diuerso loco vrbem statuere, abolitaque antiqui nominis memoria, pro Romanis Gothos, pro Roma Gothiam nominare: vt nomen suum Ataulphi tanquam vrbis conditoris, pro Augusti nomine posteri reciperent. Sed Placidia*

Ataulphi uxor iam legitima, Honorij soror, Theodosij magni filia, ob generis nobilitatem, & formæ pulchritudinem marito dilecto, Regis animum à proposito auertit. Et quamuis iterum Gothi urbem diripuissent, à cæde & incendio tamen temperatum: Ita moribus uxoris Placidiæ lenitus est Ataulphus, qui tum cœpit de sancienda pace, iungendaq; amicitia cum Honorio agere: cum quo fœdere percusso, ad Gallias tetendit. Cuspinianus. Anno Domini 457. vel 459. Valentiniano Imperatore interfecto fraude suorum, cum Maximus Imperium inuasisset, & Eudoxiam Augustam sibi nubere coëgisset: illa in mariti ultionem Gensericum Vandalorum Regem ex Africa euocauit, qui Romam omnibus opibus exuit diebus 14. incendijs tamen, Leonis Pontificis intercessione, abstinuit. Euagrius libro secundo capite secundo. Paulus Diaconus, & Zonaras. Mox Odoacer Herulus eam tyrannicè occupauit: Quo sublato, Theodoricus Ostrogothorum Rex, plures annos eandem cum tota Italia tenuit. Recepta inde à Belisario est, bisq; obsidione fatigata, inedia & fame propemodum enecta. Demum sub Totila miserabile passa est excidium. Vbi enim Totilas Gothorum Rex per proditionem urbe potitus est, Legationem misit ad Iustinianum, pacis causa, quam nisi præstaret, se Romam funditus euersurum. Legatis infecta re reuersis, Totilas furenti similis, urbem excindere adortus, primò eam munitionibus nudat, mœnibus plus tertia parte solo æquauit. Capitolium inde incendit, mox passim ædificia publica & priuata subiecto igni deflagrârunt. Ardere unà hæc, simulq; Auentinus, Quirinalis, Cælius, cæteriq; colles eodem tempore incendio teneri. Exaudiri fragor ruentium tectorum, multarumq; ætatum opus, clarissimaq; virorum

monu-

monumenta miserabiliter extingui. Incensa excisaque vrbe, omnis ciuium multitudo, ne quis extremis patriæ cineribus dare posset lachrymas, per Latiæ & Campaniæ oppida dispersa est à Totila. Senatum & primores ciuitatis penes se solum ioco habuit. Inde Roma egressus, ne vnum quidem viuentium, marem, fœminamúe in ea remanere passus est, vt omni humano cultu deserta vrbs quondam rerum domina, iaceret, magnum omni æuo documentũ, quàm parum sit humanæ felicitati credendum, quæ quò maior est, eò grauius ruit, multoque magis affligitur cum cadendum sit. Sabell. lib. 4. En. 8. Interfuerunt à Senonico bello, quo, præter Capitolium, omnia sunt à Barbaris fœdata, ad Visigothorũ tempora, qui Alarici ductu iterum Romam cepere, anni circiter octingenti. A Visigothis ad Vandalicam direptionem, 44. A Vandalis ad Odoacrem & Herulorum regnum duodeuiginti. Ab his ad Ostrogothos & Theodoricum, quatuordecim. Ab Ostrogothis ad Belisarium, qui Romam ab ea recepit gente circiter quinquaginta. Illinc ad excidium, quod sub Totila passa est, anni 12. Ac toties tam breui annorum spacio domitrix illa humani generis, arxque omnium gentium Roma ludibrio fuit Barbaris. Eam desertam XXV. dierum spacio Belisarius incredibili fossa, vallo, propugnaculis, munitionibus sic reparauit, vt eam reuersus Totilas non nisi proditione recipere potuerit. Quam postea Narses Gothis denuò eripuit. Sabellic. libro 4. Ennead. 8.

AQVILEIA triennali obsidione capta, tandem & *miserè euersa est ab Atila. Vltra XXXVII. millia hominum cæsa, nulli ætati, nulli sexui hostis pepercit. Nic. Olaus in Atila.*

AGILVLPHVS Longobardorum rex, Cremonam *cum Græco Exarcho facientem adortus, post trigesimam diem vi captã diripuit, ac solo æquauit. Mantua inde obsideri*

cœpta,

cœpta, defensáq; est plures dies, postremò muris haud vno loco disiectis, deditio facta est. Agilulphus deditam magna ex parte mœnibus nudauit. Sabellicus libro 6. Enneade 8.

FRIDERICVS Barbarossa Imp. Rom. euastatis *Mediolani omnibus, ac ruina deformatis, tum pluribus etiam incendio fumantibus tectis, aratrum induxit, salemq; superseminauit. Arlunus Histor. Mediol. sect. 1.*

BRIXIA à Gastone Foisseio Gallorum Regis *Ludouici XII. Duce contra Venetos crudeliter direpta est, nobilitate & dignitate nulli Galliæ togatæ vrbium inferior, opibus autem, Mediolano excepto, reliquis omnibus anteponenda. Sacris profanisq; rebus, nec minus hominum vita & pudicitia quàm bonis prædæ datis, septem continuos dies militari auaritiæ, libidini, & crudelitati fuit exposita, anno salutis 1512. Guicciard. lib. 10. Histor.*

CAIETANORVM à Gallis defectio adeò funestum *habuit euentum, vt cæteros qui minus id temere auderent, deterruisse miserabili exitu videretur. Sub id enim tempus, quo Carolus VIII. Galliæ rex exactis Aragonijs, regnoq; occupato, Neapoli profectus est, Galli ad exornandas triremes pecuniam Caietanis imperârant: & ijs maximè nominatim quos Aragonijs rebus vetere quodam eius factionis studio fauere intelligebant. Ea res omnium propè ciuium animos vehementer commouit, qui non modo Gallos nouis oneribus minimè prægrauaturos ciuitatem, sed aliquid etiam de antiquis vectigalibus liberaliter remissuros arbitrabantur: vt omnium fermè populorum mos est, qui cum præsentia semper fastidiant, & noua temerè exoptent, intempestiuæ cupiditatis pœnas sæpius persoluant. Igitur Caietani inopiam accusare, testari ciuitatem publicè ac priua-*

priuatim veteribus tributis, nouisq́; sumptibus exhaustam, ac demum orare Gallos, ne quam opinionem de Gallici imperij lenitate omnes concepissent, eam acerbissimo iniuriæ genere fallerent penitus, vel omninò macularent. At Galli quos Stephanus Belcarius Quæstorum magister, ad pecuniam exigendam miserat, cum apertè imperium detrectantes, cogendi potius quàm adhortandi viderentur, de capiendis his qui maximè recusarent, custodiæq́; tradendis, consilium inierunt. Sed dum Galli vim parant, Caietani à fœmina quadam, quæ per fenestram sermones exceperat, de ea re celeriter admonentur. Quibus cognitis, & ex cultu Gallorum facilè deprehensis, arma capiunt, Aragonium nomen inclamant, concursu totius populi ad templum maximum facto, quòd tum forte supplicationes solenni pompa, circumlato Dei Christi corpore, ducebantur, Gallos in arcem compellunt. Verùm paulò pòst Galli efferati, accersitis hinc inde auxilijs, vrbem terra ac classe adoriuntur, eamq́; expugnatam diripiunt, crudelissimè interfectis Caietanis, adeò vt nec Iohannis Columnæ Cardinalis (qui terrestri itinere vrbem occupatam celeriter cum suis copijs ingressus erat) dignitate permoti, in ipsius complexum fugientes trucidarent, nonnullis etiam in templis apud aras iugulatis: tota vrbe cuncta crudelitatis, auaritiæ, atque libidinis à Barbaris exempla edita sunt, multæ namq́; virgines violatæ, & vni ante alias è nobili Laudatorum familia, dum inuadenti Gallo viriliter resisteret, manus præcisæ, duæq́; aliæ in vltima constantia iugulatæ. Viri omnis ordinis ætatisq́; quadringenti fermè occisi, templa omnia cunctis veteribus donarijs expoliata, quæ tanta fuere, vt neq́; preciosiora neq́; plura vrbs ipsa Neapolis habere diceretur. Ea enim multis ante seculis incolarum ac nauigantium

pietate accumulata fuerant: Ea omnia aduenitens Belcarius, vix relictis sanctorum ossibus atque reliquiis, quæ loculis includebantur, in Galliam asportauit: ita vt eius iussu postea apud Insulam oppidum prope Ararim, aurea argenteaque donaria, nefando auaritiæ genere, in scyphos & pateras conflarentur. Narrare solent Caietani, eos qui manus sacris donariis polluissent, in extremas miserias Deorum ira fuisse præcipitatos: Nauis quoque oneraria Caietanis onusta spoliis, quæ confecto bello in Galliam iter habebat, apud Circeios naufragio periit, fractaque penitus, atque eiecta in littus, circumiectos populos ditauit. Iouius libro 3. Histor.

BELLO tertio Punico à Pub. Scipione sex continuos *dies Carthago per partes capta est, atque vt quotoquaeque pars loco in Romanorum potestatem venit, ita incensa & excisa est. Carthago vrbs clarissima, atque vna omnium in terris Romani Imperii æmula, ita concidit, anno septingentesimo, quàm condita fuerat: Fuit idem annus Romanæ vrbis quintus circiter ac sexcentesimus, Olympiadis quinquagesimæ octauæ ac centesimæ penultimus, vt idem autor colligit. Appianus in centesimam & sexagesimam Olympiadem Carthaginis excidium ait incidisse. Sabellicus libro 9. Ennead. 5.*

NVLLIVS casus cladisúe memoria atrocior, *quàm Siculi naufragii, quod in decimum annum incidit primi belli Punici, M. Aemilio & Fuluio Nobiliore Coss. qui inter Canis & Orionis signa importuosam Siciliæ oram legentes, subita tempestate 300. octoginta quatuor naues amisère. Iacuit littus instratum cadaueribus & naufragiis, vt nulla hominum memoria maior credatur iactura in mari accepta. Sabellicus libro decimo capite quinto.*

Dicæ-

DICÆARCHVM Peripateticum virum doctum, *& totius memoriæ antiquitatis peritißimum, collegisse scribit Cicero omnia cladium genera, quibus vnquam humanum genus esset afflictum, pestes, fames, eluuiones, incursus bestiarum, terræmotus, & ex altera parte posuisse bellorum iniurias, has verò ostendit plures homines absumpsisse, quàm reliquas omnes, & tamen nondum tot bella, tanta continuatione, tot locis, tanto furore erant gesta, quàm fuerant post illum: nondum cognita erat bombarda, Satanæ inuentum. &c. Ludouicus Viues de concordia & discordia libro 2.*

IEPHTHA Galaadites Israëlitarum Iudex, 42. *millia Ephraimitarum interfecit. Propter vxorem Leuitæ fuerunt occisa plus quàm sexaginta quinque millia Beniamitarum, præter mulieres & paruulos. Iudic. 20. Sub Heli iudice, quando fuit capta arca Domini, ceciderunt ex Israëlitis triginta millia peditum pugnatorum. 1. Reg. 4. Phinees cum duodecim millibus debellauit Madianitas, præter viros & mulieres cæsas triginta duo millia virginum in præda fuerunt, animalium maxima multitudo. Num. 31. Sisara Dux exercitus Iabini Cananæorum Regis Hasore regnantis, 900. currus ferreos contra Israëlitas armauerat, verùm millibus fugatis, exercitus eius ad internecionem cæsus: Ipse à Iaële Hebris Cenei vxore hospitio susceptus, clauo per tempora adacto, necatus est. Iudic. 4. Gedeon Iudex Hebræorum percußit quatuor Reges Madianitarum, Oreb, Zeb, Zebea, & Salmanam, interfecitq́ue ex eorum exercitu CXX. millia hominum apud Iordanem nocte vna. Ioseph. lib. 5. Dauid Rex, Moabitis deuictis, tertium quemq́ue incolumem dimisit, reliquis interfectis. Adarezerum Sophenæ Regem cum 20. millibus peditũ, & 1700. equitibus deleuit. Adadum Damasci regem cum 22. millibus occidit.*

Reuertens in valle Salis Syrorum 18. millia, & apud Gebelem 23. millia interfecit. 2. Reg. 8. Pekah rex Israëlitarum, Hierosolymam obsidens, Iudæorum eruptionem facientium, 120. millia occidit, & ingentem prædam abduxit. Iosephus libro 9. Antiq. ex 2. Paralip. 28. Abia Rex Iuda, occidit vno die de exercitu Ieroboami Regis Israëlitarum quingenta millia, 2. Paralip. 13. Asa Rex Iuda, habuit in exercitu suo quingenta & octoginta millia virorum: Aethiopes verò decies centena millia. Aethiopes vsque ad internecionem perierunt, quia Domino cædente contriti sunt. 2. Paralip. 14. Syrorum centum millia ad vrbem Aphecam ab Achabo Israëlitarum rege cæsa eorumque Rex Benadadus captus, 27. millia ruina muri periere. 3. Reg. 20. Iudas Macchabæus cum suis ducenta triginta sex hostium millia, & septingentos occidisse scribitur, dum contra Nicanorem, Seronem, Timotheum, Bacchidem, Duces Epiphanis & Eupatoris Antiochorum, patriam religionem fortiter defendit. Iudæorum tria millia à Ionathane Iudæorum Duce, ad Regem Syriæ Demetrium Nicatorem missa, orta seditione, Antiochiæ centum millia trucidant, vrbemque incendunt, quæ à Demetrio ad Antiochũ Sedetem deficere parabat. 1. Macchab. 11. & Ioseph. lib. 13. c. 9.

ZOROASTRES Bactrianorum Rex, quadringentorum millium exercitu, *Nino Assyriorum Regi obuiam factus, qui pedites ad decies septies centena millia, equitum millia ducenta, currus falcatos X M. habuit, eum in fugam vertit, & vsque ad montes proximos, centum millibus hostium cæsis, persecutus est.*

MAIOR Cyrus, qui Lydorum regnum euertit, *trans Araxem fluuium cum C C. millibus Persarum à Scythis tam fœda occidione occisus est, vt ne nuncius quidem*

tanta

tantæ cladis superfuerit. Sabellicus libro 6. capite 5.

In Marathonijs campis ducenta millia Persarum *uno aiunt prælio deleta: & quod magis miretur posteritas, decem millia duntaxat Atheniensium cum Plataensibus mille auxiliaribus, aduersus sexcenta Barbarorum millia aciem struxere. Sabellicus lib. 6. cap. 5.*

Calamitosius eidem genti adhuc bellum haud *dubiè habendum, quod Xerxes in Græciam instaurauit, si Salaminiæ pugnæ, & Plataensis damna æqua lance æstimentur: ac verius vero dixerit, si quis ex nullo vnquam bello affirmet maiorem humano generi iniuriam inuectam. Namq; Duce Pausania Lacedæmonio, ad Platæas Mardonium Xerxis Ducem cum CCC. millibus profligârunt. Ad centum millia Persarum occiderunt, decem millibus suorum desideratis. Diodorus libro 11. capite 1.*

Cæsa sunt in prælio ad Issum Ciliciæ, commisso *inter Darium Persarum, & Alexandrum Macedonum Reges ad centum viginti millia peditum Barbarorum, equitum haud minus decem millibus. Macedones pedites circiter trecenti, equites centum quinquaginta desiderati sunt. Diodorus libro 17. Prælio ad Arbela contra Darium ab Alexandro commisso, creduntur in ea pugna Barbarorum peditum & equitum plures 90000. Macedones ad 500. cecidisse, vulnerati fuisse quamplurimi. Ibidem.*

Pyrrhus Epirotarum Rex, ad Sirin fluuium *primùm Romanos vicit. Romanorum cæsa sunt XV M. de Pyrrhi exercitu XIIIM. Secundo prælio ad Asculum commisso, desiderata ex ambobus exercitibus Pyrrhi & Romano plus quindecim millia. Plutarchus.*

Ad Cannas Romani ingenti clade affecti. Quadra*ginta millia peditum, duo millia & DCC. equites cæsi, pari*

propè numero ciuium sociorumque, & præter alterum Consulem P. Aemilium Quæstores duo. Vnus & XX. Tribuni militum. Consulares, Pretorij, Aedilitij quidam, & in his Gn. Seruilius prioris anni Consul. Polybius Attilium quoque, qui cum Seruilio nuper Consul fuerat, ea acie perijsse, author est. Perijt & Minutius, qui sub Fabio equitum magisterium gesserat. LXXX. senatores, aut qui tali honore functi essent, vt meritò in senatum legi deberent. Capta in acie tria millia peditum & CCC. equites. Ex hostibus, nam victoria illa haud incruenta obtigit, ad quinque millia & sexcentos periêre. Hæc clades incidit in annum quadragesimum ac quingentesimum Romanæ vrbis. Postridie cum victor Pœnus legeret spolia, multi reperti sunt, qui vulneribus matutino frigore obstrictis, inter cadauerum aceruos surrexerant, hique hostium iniuria obtriti. Alij non pauci cæsis fœminibus poplitibusque iacentes, ad reliquum sanguinis hauriendum porrecto iugulo hostes inuitabant. Quidam tellure effossa caput immerserant, terraque superiniecta expirauerant. Subtractus est Numida Romano mortuo superincumbenti, naso auribusque laceris. Is manibus ad tractanda arma inutilibus factis, in iram & rabiem versus, subiectum hostem dentibus moriens laniauerat. Sabellicus lib. 1. Ennead. 5. ex Plutarcho & Liuio.

TREBIAM, Trasimenum & Cannas Romanus *cruor nobilitauit: sed maior propemodum clades ad Metaurum Vmbriæ flumen Pœnis repensa est, vbi sexaginta & amplius Pœnorum millibus cum Hasdrubale cæsis, Claudius Nero & Liuius Salinator Romanorum sanguinem toties eo bello fusum fortiter vindicauêre. Nec victoria Romanis paruo constitit, octo millibus hominum ea acie amißis. Sabellicus lib. 4. Ennead. 5.*

Bello

BELLO Punico secundo, reuocato in Africam *Annibale, vrgente P. Scipione duarum nobilißimarum bello gentium duo clarißimi Duces de imperio orbis terræ prope Zamam supremas vires quasi in medium effundentes, pugnam memorabilem conseruêre: in qua victores Romani, primùm hostium elephantos, deinde equites in fugam verterunt, demum acrius inferentes pedem, totam aciem profligârunt. Cæsa aut capta ex Carthaginensium copiys supra XL. millia hominum à Romanis ferunt. &c. Autor vitæ Scipionis.*

P. CORNELIVS Nasica Consul Gallos Boios ingenti *prælio vicit, ad duo detriginta hostium millia cæsa, authores quidam tradiderunt. Capta tria millia & amplius cum signis militaribus CXXXVII. Ex victore exercitu mille & quadringenti perierunt. Sabellicus libro 7. Ennead. 5.*

Q. FABIVS Maximus Consul, cum Cn. Martio *Rutilio apud syluam Ciciniam LX. Hetruscorum millia partim cepit, partim interfecit. Liuius. C. Sulpitius Samnites apud Maleuentum superauit, cæsis ex eis ad triginta millia. Liuius libro 7. L. Lucretius Tricipitinus, cum T. Veturio Gemino Consul contra Volscos profectus, eorum nomine propè deleto, X. millibus & CCCCLXX. cæsis, triumphum duxit. Idem libro 3. Decad. 1. T. Manlius Torquatus bello secundo Punico, qui Consul antea Sardos subegerat, rebellantes magna clade affecit, XXX. millibus cæsis, Hasdrubale capto. Volater. libro 17. Anthrop.*

C. Cassio Longino, & Domitio Caluino Consuli*bus, q annus fuit ab vrbe condita 627. primum Romana arma in Gallos translata, aduersus Aruernorum gentē, eorumq; regem Viturtum. Is virorū numero fretus, iactare erat solitus, fore vt Romani ob insignem paucitatem, ad escā canibus,*

quos

quos Galli in exercitu alerent, haud satis futuri essent. Habebat sub signis ad centum octoginta hominum millia. Cæterum victus est Gallus, centum quinquaginta bellatorum millibus partim cæsis, partim Rhodano submersis, Virturtusque viuus venit in Romanorum potestatem, deque eo Consules domum reuersi, celebrem triumphum egêre.

FABIVS Maximus Æmilianus, Pauli nepos, *Bituitum Aruernorum regem ingenti prælio vicit, cæsaque sunt vna pugna, vt Liuius scribit, centum viginti Gallorum millia. Strabo ducenta numero profligata prodidit, cum triginta nec amplius Romanorum millia in acie stetissent. Bituitus Romam profectus, vt Senatui satisfaceret, Albæ est iussu Patrum custoditus. Sabellicus ibidem.*

REDVNDAVIT Asia ferè tota circa Taurum *vno die, Romano sanguine, crudelissimo Mithridatis Regis edicto, centum quinquaginta millibus Quiritij nominis omnis sexus & ætatis, non in vna vrbe, sed vno quidem tempore interfectis &c. Sabellicus lib. 6. cap. 5.*

AD Tigranocertam Armeniæ Lucullus Tigranem *Regem vicit: Centum millia Barbarorum & amplius eo die cæsa Plutarchus tradidit. Ex tam numeroso nuper equitatu, præter paucos omnes desiderati. Nullo vnquam prælio, vt Liuius scribit, Romani pauciores numero, aduersus tot millia hostium conflixerunt, vt victorum numerus vix æquauerit vigesimam eorum partem, qui victi sunt. Sabell. libro 4. Ennead. 6.*

C. Manlius & Q. Seruilius Cæpio Proconsules, à *Cimbrorum gente circa Rhodanum ingenti prælio victi, castris exuti sunt, & ex Romano exercitu octoginta hominum millia cæsa, calonum & lixarum XL. millia. Nullo vnquam prælio tanta vis hominum à Romanis desiderata. &c. Sabellic. lib. 2. Ennead. 6.*

Ad

AD Sextias aquas à C. Mario Ambronum & Teutonum *ad decem & amplius myriades, id est, supra centum millia hostium, aut cæsa aut capta dicuntur. Liuius ducenta millia cæsa, & nonaginta capta, author est, & in his Theutobocum eorum Regem, hominem eximia magnitudine, & qui quaternos senosq; equos solitus erat transcendere. Massilienses, quod ad magnitudinem cædis attinet, procedente tempore, humanorum ossium congerie vineas muniuisse dicuntur, terraq; dilutis crebro imbrium casu cadaueribus humano cruore & adipe macerata, in ubertatem & frugum copiam incredibilem resoluta est. Supra sexaginta millia capta dicuntur, bis totidem & amplius cæsa, &c. Sabellicus lib. 2. Ennead. 6. Massilienses vineas perhibent circumsepsisse ossibus & terram, vbi computruerunt in ea cadauera, superfusis hyeme imbribus, ita pinguefactam, atq; in imo imbutam subeunte tabo, vt immensam vim æstate frugum redderet, & fidem faceret Archilochi dicto, qui ea ratione gliscere arua ait. Plutarchus in Mario.*

MORTVO Othone, Vitellius ab Occidentalibus, *Vespasianus ab Orientalibus exercitibus electus Imp. Ad Cremonam Antonius primus, Vespasiani Dux, XXX. millia Vitellianorum interfecit, amissis suorum IIIIM. Romam inde progressus, Vitellium cum LM. auxilio populi trucidauit. Iosephus lib. 5. cap. 13. belli Iudaici.*

IVDAEORVM captiuorum omnium toto bello *Iudaico, nonaginta & septem millia fuère. Mortuorum verò per omne tempus obsidionis vndecies centum millia. Horum plerique gentiles fuère, sed non indigenæ, ab omnibus enim regionibus ad Azymorum diem festum congregati, bello subito circumfusi sunt, vbi primò quidem illis pestifera*

lues ex loci angustia nata est, deinde fames. Iosephus libro 7. cap. 17. belli Iudaici.

IVDAEI qui circa Cyrenem habitabant, Andræa *quodam Duce, Romanos pariter atq; Græcos conciderunt, atq; eorum carnibus vsi sunt, viscera ederunt, eorum sanguine obliniti sunt, pellibusq; induti. Multos à vertice transfixêre medios, multos obiecêre bestijs, multos etiam certare inter se coëgerunt, ita vt interierint hominum ad ducenta viginti millia. Dion Nicæus, & Xiphilinus in vita Traiani.*

ALEXANDER Seuerus Imp. tripertito agmine *contra Artaxerxem Persarum & Parthorum Regem mouens, infeliciter dimicauit. Agmen tertium Rom. dum frustra Alexandri aduentum expectant, hostili equitatu circumuentum, ad internecionem cæsum. Tanta vis hominum ibi deleta est, vt inter insignes clades, quas Romani in toto Oriente aliquando adière, fuerit hæc, vt Herodianus scribit, aut omnium fœdissima, aut certè inter paucas memorabilis. Nec minus afflicta Persarum res, ita vt quadriennio pòst omni bellico conatu abstinuerint. Sabellicus lib. 6. Ennead. 7. ex Herodiano.*

QVINTO anno Tiberij, Longobardi subiugata *tota Italia, Gallias etiam vastare inceperunt, tantamq; stragem fecerunt in Burgundionibus, vt numerus occisorum non posset colligi. Diaconus lib. 3. cap. 1.*

VLDINVS & Suras Honorij Duces, cum exer*citu Hunnorum & Gothorum auxiliariorum Radagaso Gothorum Regi occurrerunt prope Hetruriam, vbi multitudo Gothorum in angustias deiecta, commeatibus vndiq; interclusis, inedia confecta est. Rhadagasus pòst res perditas cum paucis fugam molitus, captus, & ex fuga retra-*

ctus,

ctus, strangulatus est. Tantaq; vis hominum capta est, vt seruitiorum greges vno aureo sectores licitarentur nummo. Cuspinianus.

HERACLIVS à Saracenis victus, amisit centum *& quinquaginta millia hominum, & postea eductis copijs cum bellum instaret, ab angelo caduntur noctu quinquaginta duo millia. Vnde animo fractus, ex dolore morbum contraxit, & hydrope extinctus est. Sigebertus.*

QVO tempore Samuelem Bulgarorum regem Ni*cephorus Constantinopolitanus Imp. prælio fudit, tanta strages Bulgarorum facta est, vt murum in Thermopylis extructum ex ossibus apud Rupenam, ad deterrendos Bulgaros Græci statuerint. Cedrenus.*

IMPERATOR Nicephorus Phocas in Ciliciam e*mittit Iohannem Tzimiscam, magistrum domesticum scholarum Orientis iam creatum. Is cum ad Adana peruenisset, multitudinem in quam incidit ex omni delectorum Cilicia Agarenorum deleuit. Quinq; circiter millia equis relictis, pedites in collem quendam præruptum euaserunt, eiusq; natura freti, fortiter impetum hostium defenderunt. Sed Tzimesces circumdato colle, quia eques cum eis non poterat congredi, pedites eis immisit. Nemo Saracenorum tergum dedit, occisi sunt omnes, & cruoris riui per decliuia in campum fluxerunt, nomenq; colli ab euentu factum, vt collis sanguinis appellaretur. Id facinus nomen Tzimiscæ celebrius reddidit, Saracenis autem causa exitij fuit. Idem.*

MANVEL Comnenus Imp. post miserabilem *cladem pace cum Clizasthlane Iconij Sultano facta, cum syncerè Barbarum secum agere videret, alia via domum redire instituit, vt aspectum interfectorum declinaret. At via Duces, ob id ipsum, potissimum eodem eum reducebant,*

vt miserabilia illa spectacula oculis intueretur, quæ quidem nullis lachrymis satis deplorari queant. Nam fauces exæquatæ erant, valles in tumulos assurgebant, saltus cadaueribus operiebantur. Prostratis omnibus cutis capitis detracta erat, nonnullis pudenda præcisa. Nemo igitur præteryt, quin lamentaretur, & nominatim familiares suos, atq; amicos interfectos compellaret. Nicetas lib. 6.

HVNNI intempesta nocte Danubio sub Sicam*bria prope veterem Budam annexis vtrinq; vtribus traiecto, Romanos milites, qui ad Potentianam vrbem castra habebant, insidias minimè formidantes, opprimunt. Thetricus & Macrinus Rom. Duces legionibus, quæ superfuerant coactis in Hunnos, copias educunt. Hunni superioribus laboribus exhausti, ne ad interitum redigerentur, terga vertunt, & Danubium, adhibitis vtribus, renatant. In hoc conflictu ex Hunnis cum Cheue Duce, centum & viginti quinq; millia cæsa: è Romanis, præter eos qui in castris superiore noctu ceciderant, ducenta ac decem millia desiderata sunt. Bonfinius lib. 3. Decad. 1. & lib. 7. Decad. 1.*

GENS Bulgarorum ignota in Illyriam & Thra*ciam impreßionem fecit seculo sexto post Christum, & Romanas legiones sibi oppositas miserrimè fudit, ita vt paucis exceptis, ferè ad vnum omnes cædantur. Eam cladem Romanis Cometa pronunciauit, & corui qui & supra & ante exercitum exeuntem volitârunt, & tubicines qui pro bellico mœstum & lugubrem edebant sonum. Iohannes Zonaras tomo 3.*

HARALDVS Danorum Rex, à Ringone Sueo*num & Gothorum Rege, in campis Brauellinis (qui in Verendia parte Gothiæ meridionalis latißimè extenduntur) ingenti prælio victus occubuit. Tradit Saxo, à parte Danorum*

norum triginta millia, à parte verò Sueonum & Gothorum duodecim millia procerum cecidisse: Vulgi verò multitudo, quæ hinc inde corruerat, à nullo poterat nominari. Io. Magnus lib. 8. cap. 10. & lib. 5. cap. 10.

AËTIVS Valentiniani III. Imp. Dux, & Theo*dericus Vestgothorum Rex, in campis Catalaunicis cum Atila Hunnorum Rege cruento Marte dimicârunt. Campi sunt haud procul à Tolosa, qui & Mauricij nominantur, centum leucas in longum, & septuaginta in latum patentes. Nulla hominum memoria maiores in Europa exercitus, infestioribusq́; animis acie dimicârunt, nisi forte in campis Brauellinis in Gothia. Pugnatum est à meridie vsque ad vesperam, nocte prælium dirimente. Ad CLXXX. millia hominum acie occubuisse dicuntur, aduersis vulneribus in eodem vestigio consistentia, exceptis XC. millibus Gepidarum & Francorum (Cuspinianus habet XV.) qui, vt asserit Iordanes, ante congressionem publicam, noctu sibi occurrentes mutuis concidêre vulneribus, Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus. Ita totus numerus initus CCLXX. millium, & in hoc Theodericus Rex Vestogothorum. Iohan. Magnus libr. 9. cap. 5. Riuulus humili ripa Catalaunicum præterfluens campum, peremptorum vulneribus humano sanguine auctior, instar rapidissimo torrentis effluxit, cadauera secum deferens, tam ardenter vtraq; pars pugnauit. Aegrè ferebant Barbari tam diu regnasse Romanos: Romani illos toties impulsos ac victos, insultare non patiebantur. Ideo nemo sententiam ferre poterat, vter exercitus ardentius conflixerit. Theodericus Rex Vestgothorum telo Ostrogothi cuiusdam ictus, dum suos cohortatur, equo decidens, inscius à suis est proculcatus. Bonfinius lib. 4. Decad. 1. Auentinus lib. 4.*

CAROLVS Martellus Gallorum Rex, in Eudonem *Aquitaniæ Ducem mouit, eoq́ victo, Aquitaniam vastauit, anno Domini 728. Ille auxilium petit à Saracenis, qui Hispanias tenebant. Haud mora, Abderamius cum ingenti exercitu Garumnam amnem transit, Burdegalam destruit, & in Pictauos delabitur, Turonium perrecturus, ad Martini templum spoliandum. Carolus pace cum Eudodone facta, viribus coniunctis, Saracenum Regem cum trecentis & octoginta millibus cædit: de suo exercitu vix mille & quingentis desideratis. Eudo in castra Saracenorum irrumpens, reliquias contriuit, anno Domini 730. Sigebert.*

BELLO inter Clotharium & Theodericum Reges *super fluuium Araadi tanta cædes commissa est Francorum ex vtraq; parte, vt alueus magis cruorem quàm aquam fundere videretur. Chronicon Reginonis lib. 1.*

ANNO Domini 629. Saxones Francis consuetum *tributum reddere detrectant. Dagobertus ergo cum eorum Duce Berthulfo congreditur, & Lotharij præsidijs adiutus, Berthulphum vincit & interimit. Saxonibus fuga sibi consulentibus, quos Lotharius & Dagobertus insecuti, omnes interficiunt, qui gladij longitudinem excedebant: & gentem, quæ per Saxoniam remanserat, sub iugum suum compellunt, & tributum quingentorum boum eis imponunt. Trithemius de origine Francorum. Nauclerus Generat. 21.*

PVGNA Cresciacensis, ad Cresciacum in Pontinensi, *inter Eduardum III. Anglorum & Philippum Valesium Francorum Regis, anno 1347. facta fuit ad decimum Calendas Septembres, quantum nulla alia funesta Francis, nobilisq́; strage Ducum. Narrat Froissardus, occubuisse equites auratos mille ducentos, ex milite reliquo ad triginto millia. Desiderarunt eo ex prælio Franci ad decem*

millia

millia hominum, è quibus fortè erant mille sexcenti famuli, reliqui omnes nobiles. Principes autem, Comites & Barones, vexillis suis illustres, occubuerunt ea in pugna circiter centum & viginti, teste Monstreleto. Duces in æde maxima Monsterioli sepulti, cura Eduardi Regis. Ad vulgus humandum tridui induciæ agrestibus datæ. Ad triginta millia cecidêre, in quibus mille ducenti equites Franci, quæ fermè nobilitas est. Aemilius lib. 9.

PHILIPPVS Pulcher Rex Francorum, contra *Flandrenses in Tornaco bellum gerens, amisit florem suæ militiæ, astu Flandrensium, qui cuniculis & subterraneis fossis excauatis, insidias locârunt, ac milites incautos obruerunt. Fertur Regina Franciæ huius crudelissimi belli fuisse author, in quo per quinquennium trecenta & amplius millia nobilissimorum & fortissimorum Francorum occubuêre. Cuspinianus. Desciuerant à Philippo Pulchro Francorum Rege Flandri. Contra eos Robertus Atrebatum Comes missus, qui cum odio gentis excæcatus fureret, & frustra reclamante Reginaldo Magistro equitum castra hostium situ loci munitissima oppugnare aggreditur, maximæ cladis ad Curtracum accipiendæ author fuit. Duodecim millia Francorum, atque horum, vt nonnulli scribunt, equitum, cum nobilissimis Ducibus periêre, in quibus Reginaldus. In corpus Roberti Atrebatis etiam exanime sæuitum. Aemilianus libr. 8.*

TARTARIS anno Christi 1240. Poloniam va*stantibus & Silesiam, Dux Vratislauiæ Henricus Pius, cum exercitum Legnicia contra Tartaros educeret, saxum grande è culmine templi virgini Christi matri dicati ante pedes eius decidit, ita vt parum abfuerit, quin eum extingueret. Collatis signis tanta Christianorum cædes edita, vt*

singu-

singulis singula auricula à Tartaris pracisa, nouem ingentes saccos expleret. Cromerus lib. 8.

POLONI LXM. Tartarorum in Podoliam irrumpentium *trucidârunt. XLM. frigore & niuibus absumpta. Anno 1498. Nouembris 24. Stumpffius.*

ANNO salutis 1396. Cum Baiazetes Turcarum *Imperator Mysios ac Illyrios, qui sub ditione Regis Hungaria Sigismundi erant, infestis armis inuaderet: Sigismundus oratores mittit, qui Turcum ab hac iniuria cauenda adhortentur, ne sibi alienum vindicet regnum. Turcus Mysiorum terra tota potitus: tum demum oratores ad se vocauit in domum, clypeis, pharetris, gladijs, frameis, ensibus incuruis, lanceis, ac diuersorum armorum generibus in parietibus adornatam. Ingressis oratoribus, Turcus dixit: Dicite Regi vestro, & mihi satis esse virium, & hoc ius sufficiens ad terras, quas suas esse putat, manu arma parietibus affixa ostendens. Quo dicto, Sigismundus ira accensus, ingentem parauit exercitum, ex vniuersa penè Germania. Affuit & Gallorum numerosus exercitus, & Iohannes Dux Burgundia copias adduxit non spernendas, qui captus, & Adrianopolim ductus, multo auro libertatem redemit. Sigismundus traiecto Danubio, dixisse fertur (vt erat facetissimus Princeps) Quid metuendus est nobis hostis effœminatus ac mollis? pondus cœli si rueret, lanceis ac hastis, qua nobis in hoc sunt exercitu innumerabiles, facile sustentaretur. Cum itaq; Rascia & Bulgaria oppida, ac munitiones Turcorum diripuisset, & expugnasset, sub castro maioris Nicopolis cum hoste confligere parat. Galli à Sigismundo petunt primum congressum, hoc item & alia gentes. Interim dum consultatur, Franci praripiunt pugnam, priusquam vniuersa copia in aciem ordinata collatis signis prodirent,*

rent, & dimißis equis Cataphractis, pedites in turmas hostium irruunt. Horum equi cum castra regia concitato cursu peterent, cæteri hunc morem pugnandi ignorantes, & ad vnum omnes arbitrati Francos cæsos, terga vertunt. Oritur ingens in castris tumultus, relinquuntur impedimenta, derelinquuntur stationes militum, ac in fugam vertuntur. Editur magna vtrinq; strages, multi cæsi, multi capti. Feruntur tum Christianorum viginti millia, Turcorum sexaginta millia trucidata, &c. Cuspinianus.

PERFIDE ruptis fœderibus cum Turca in decennium *ab Vladislao Rege Vngarorum pactis, Christiani magna strage ad Varnam Euxini vrbem, Dionysiopolim olim dictam, affecti sunt. Vladislaus Rex, & optimi quiq; trucidati. Reliqui in fuga partim fame, partim voragine paludum absumpti supra XXX. millia, cùm Amurathes XL. millia à suis desideraret. Is eò loci vbi pugnatum est, columnam Victoriæ inscriptionem continentem erexit. Sed & ibidem in hanc vsq; diem oßium tumuli videntur, qui indices magnitudinis perpetratæ illic stragis sunt. Perpetrata autem est anno salutis humanæ 1444. Mense Nouembri, eo qui Diui Martini festo dicatus est die. Iouius in vita Amurathis. Cromerus lib. 21.*

CVM Iulius II. Pontifex, & Ferdinandus Hispaniæ *Rex, cuius copijs Petrus Nauarrus præerat, Alphonsum Atestinum Ferrariæ ducem bello persequeretur, qui Galliæ Regis Ludouici XII. auxilijs nitebatur, totius ferè Europæ Reges contra Gallos concitauit. Ad Rauennam anno salutis 1512. sacro die Paschatis memorabili prælio victi sunt Pontificij & Cæsariani. Gasto tamen Foisseius Gallorum Dux clarißimus occubuit. Iouius in Alphonso. Ceciderè vtrinque ferè æquata clade cum calonibus & lixis ad viginti*

ginti millia, sed in primis flos militum & Ducum fermè omnis interijt. Iouius in Leone X. lib. 2. Pugnatum est horis plus sex incredibili virtute, qua in pugna militum & equitum millia supra decem & octo interfecta sunt, pari ferè vtrorumq; numero, fortuna dispari. Iulij enim & Hispanorum copiæ fusa fugataq; sunt. Galli locum tenuerunt. Bembus lib. 10. Histor. Veneta.

CVM Athenienses ad repetendas statuas Damiæ & *Auxesiæ, quas Aegineta Epidaurijs abstulerant, Aeginam triremem misissent, Aegineta Argiuorum opem implorant, qui exercitum Atheniensium ad internecionem ceciderunt, vnico tantum superstite, qui Phalerum profugit. Alij tamen narrant, Athenienses, dum statuas restibus deuinctas in nauim pertrahere conantur, furore diuinitus agitatos, mutuis concidisse vulneribus. Herodotus lib. 5.*

LONGOBARDI Duce Alboino, coniunctis co*pijs cum Hunnis, qui Auares dicuntur, Regnum Gepidarum destruxêre penitus, anno Christi 547. sic vt ceciderint in vno prælio sexaginta millia hominum. Alboinus Regis Conimundi caput, hasta infixum, per castra circumgestari iussit, eiusq; cranium postea in pateram inauratam commutauit, atque ex ea bibit, quoties conuiuia aut solennes epulas exhibuit: quæ res ipsi postea exitij causa fuit. Blondus lib. 4. Decad. 1.*

NORMANNI anno Christi 895. in Lotharingia cir*ca Leodiū pugna cum Christianis commissa victores euasêre, ac VVormatiam vsq; progressi, Sunderoldum Moguntinū Episcopum trucidauêre. Regino lib. 2. Arnulphus Imperator ad fluuium Tiliam illis occurrens, illam Barbarorum colluuiē adeò concidit, vt vix superessent, qui ad classem eorum nuncium ferrent, &c. Anno Domini 895. Auentinus lib. 4.*

BEL-

Bello Punico primo Rom. classis ex CCC. nauibus constans, cum 140. Carthaginensium naues cepisset, in conspectu Camerinæ vrbis, Siciliæ oram legens, in tantam maris sæuitiem incidit, vt pro rei atrocitate citra fidem sit referre. Ex tam opulenta & numerosa classe, octoginta duntaxat incolumes superfuêre, CCCLXXXIIII. aut absorptæ sunt vndis, aut scopulis illisæ, vniuersum littus naufragijs & cadaueribus impleuêre. Maiorem hominum iacturam vno tempore in mari factam, nemo ad id tempus, aut postea, quod sciam, memoriæ prodidit. Incidit ea clades in decimum annum primi belli Punici, qui quingentesimus fuit ab vrbe condita. Fuerunt qui eam cladem Consulum temeritati adscriberent, vtpote qui inuitis gubernatoribus, atque identidem admonentibus, importuosam Siciliæ oram inter Canis & Orionis signa nauigare non oportere, præsenti tamen successu elati, institutum semel cursum tenuerint. At sic habet, in terris, vbi virtus & audacia valet plurimum, rem Romanam feliciter administrari contigit. Contrà in mari, vbi ars & prudentia requiruntur, cum sæpe aliâs, tum hoc bello Ducum temeritate insigniter afflicta est. Reparata mox classe CCXX. nauium, trium mensium spacio, Consules Panormo digressi, subita & atroci tempestate iactati, CL. naues amisêre. Refecta est tamen, sed non multò post ad Pachynum Siciliæ, L. Iunio Consule, importuosa deprehensa locis, adeò vehementer conflictata est, vt ex omni nauium multitudine, nihil quod vtile esse posset, superfuerit. Sabellicus lib. 9. Ennead. 4. Polybius author est, amisisse populum Romanum primo Punico bello per XXIIII. annos, naues septingentas, præter eas quæ naufragio perierunt, quarum magnus fuit numerus, Pœnos ducentis minus. Sabellicus lib. 9. Ennead. 4.

Appivs Claudius Pulcher Rom. Consul, ad *Drepanum Siciliæ ingenti prælio nauali ab Adherbale Pœnorum Duce victus est, ita vt naues vix triginta numero cum consule fuga dilapsæ sint: cæteræ, præter eas quæ in hostium potestatem venerunt, ad vnam periêre. Tres & nonaginta captas, Polybius scribit. Apud quosdam reperio, habuisse classem illam ducentas & viginti naues, quarum paucæ cum consule fuga seruatæ sint, viginti captæ cum suis turmis, cæteræ medio certamine depressæ. Ad octo & viginti Romanorum millia, partim cæsa, partim in victorum potestatem redacta, &c. Sabellic. lib. 9. Ennead. 4.*

Transmittebat Vallia Gothorum Rex exercitum *ingentem ex Bœtica in Aphricam terram, ipsam bello inuasurus, eratq; numerosa classis ad id comparata, quæ Gaditano freto subita tempestate disiecta, fluctibusq; obruta, tantam vim hominum secum absumpsit, vt Siculi naufragij, quod in primi belli Punici tempora incidit, memoriam reuocârit. Sabellic. lib. 10. cap. 5.*

Constantinvs Copronymus Iconomachus, *cum bellum Bulgaris inferret, quod Romanæ Ecclesiæ institutum sequerentur, duo ferè millia nauium cum toto exercitu naufragio amisit. Cuspinianus.*

Naves Arabum Saracenorum, quæ cum Haumaro, *ad obsidionem Constantinopolis, Leonis Iconomachi Imp. tempore remanserant, XV. Augusti die, magno cum dedecore domum discedere conatæ, immisso diuinitus turbine, partim ad Proconnesium, partim ad Apostrophos & reliqua littora submersæ sunt. Superstites cum in mare Aegæum peruenissent, ignea grando immissa ebullire mare fecit, ac pice liquata, solis quinq; nauibus in Syriam perlatis, reliquæ omnes cum vectoribus perierunt, potentiam Dei nostri tentata. Cedrenus.*

In.

In Hierosolymitana obsidione tanta fuit fames, *vt multi clam vniuersa bona sua vno frumenti modio, qui ditiores essent, itemq; pauperes ordei permutarent. Inclusi deinde intimis ædium tectis, quidam summa penuria infectum triticum comedebant, panem alij conficiebant, vt necessitas metusq; monuisset. Et mensa quidem nusquam apponebatur, sed incoctam subtrahentes igni cibum diripiebant. Miserabilis autem erat victus, dignumq; lachrymis spectaculum, cum potentiores plus haberent, infirmiores autem iniuriam deplorarent. Denique vxores viris, & filij parentibus, & quod miserrimum, matres cibum infantibus ex ipso ore rapiebant, & marcescentibus inter manus charissimis nemo parcebat, quin vita guttas auferret. Edentes verò talia non latebant, sed vbiq; aderant qui ista diriperent. Nam sicubi clausam domum vidissent, eos qui intus erant, cibum capere hoc suspicabantur indicio: statimq; ruptis foribus irruebant, victumq; iam contusum dentibus, ex gutture penè reuocabant, ipsos faucibus strangulantes. Pulsabantur autem senes, ne cibum defenderent: lacerabantur mulieres, ea quæ habebant in manibus occulentes, nullaq; miseratio vel cani erat capitis, vel infantiæ, sed abstractos pueros, & ex buccella pendentes, humo allidebant. Si quis autem incurrentes anteuenisset, quodq; rapturi fuerant, deuorasset, tanquam læsi cruentiores erant. Acerbissimos autem cruciatus excogitabant, dummodò alimenta reperirent, nunc excrucians genitalium vias, nunc virgis acutis podices transfodendo, horrendaq; etiam auditu quis patiebatur, ni vnius panis confessionem, & ni vnum pugnum farinæ abditum indicaret. Iosephus lib. 6. cap. 11. belli Iudaici. Maria quædam infelix mulier, infantis vagitu excita, vbi cum illo ex-*

tabescere se animaduertit, impar tantis malis, & calamitati succumbens, affectum amisit, exculcataq; natura vi, ac dolore deuorato, furorem induit, intentaq; in paruulum etiam hosti miserandum: Quid, inquit, faciam tibi paruule? quid faciam? Saua ecce circumstant mala, fames, incendia, latrones, ruina. Cui credam te moritura? An vita tantillum relinquam? sed potes, ô fili, & sic matrem pascere, idonea ad cibum manus tua. ô suauia mihi viscera, ô artus periucundi, age priusquam fame in vltimam soluamini tabem, reddite matri quod accepistis. Age, ô fili, intimum natura secretum repete, vnde vitales auras carpere orsus es, inde & tumulus paretur tibi: complectar ipsa qua genui, & exosculabor pressius. Hac verò cum enunciasset flebiliter, mox versa gladium impegit, ac in frusta consectum igni percoxit, indeq; hiantes expleuit ventris latratus. Calius lib. 13. cap. 24. ex Egesippo.

XERXES Rex post infelicem pugnam ad Salaminem, *Mardonio in Thessalia relicto, ad Hellespontum maturabat: & intra quinq; & quadraginta dies ad traiectum peruenit, nullam propemodum partem copiarum ducens. Qua quocunq; veniebant, direptis fructibus vescebantur. Vbi nihil fructuum reperiebant, ipsa herba, nonnulli delibratis corticibus, & strictis frondibus arborum, tam agrestium quàm mansuetarum, pra fame vescebantur. Quos deinde pestilens excipiens dysenteria, magna ex parte deleuit. Herodotus lib. 8.*

SVB Imperio Maximini & Licinij persecutorum *Christiana religionis, fames fuit tanta, vt vna tritici mensura bis mille & quingentis Atticis venderetur. Factum inde est, vt per ciuitates infinita hominum multitudo fame confecta, mortua sit, maior verò per vicos & agros pestilenti*

lenti morbo. Alij igitur quæ charißima & preciosißima haberent pro tenuißimo cibo ditioribus vendebant, alij possessionibus suis paulatim diuenditis, ad extremam egestatem redacti sunt. Quidam modicas graminis minutias mandentes, & lethiferis herbis promiscuè vescentes, valetudinem corruperunt. Nonnullæ etiam per ciuitates nobiles fœminæ, ad extremā inopiam redactæ, ad agros medicandi gratia se receperunt. Et alij quidem viribus exhausti, velut exanimia simulachra, huc illuc vacillantes, nutantesq́; & collabantes, in medijs plateis procidebant: supiniq́; palmis extensis, vt pauxillum sibi cibi porrigeretur, suppliciter orabant: atq; in extremis constituti, animāq; agentes, esurire se clamabant, ad hanc etiam vocem proferendam vix valentes. Sic igitur in medio foro, & per angiportus, mortua ac nuda corpora pluribus diebus inhumata & proiecta, miserabile visentibus spectaculum exhibebant. Cùm & canum cibi nonnulli fierent, ob eamq́; causam potißimum aliqui canes interficerent, veriti ne rabidi facti, ad vorandos & laniandos homines conuerterentur. Eusebius lib. 9. cap. 8.

SVB Iuliano apostata *terræmotus fuerunt grauissimi, ædificia & domus paßim ruebant, adeò vt tutum nusquam esset, vel domi vel sub æthere morari. Præterea siccitates immensæ omnes terræ fructus perdiderunt. Quo factum est, vt homines necessariorum ex terra fructuum inopia, carnibus animantium brutorum Alexandriæ & in Aegypto vesci coacti sint, vt Sozomenus indicat, lib. 6. cap. 2. & Theodoretus lib. 4. cap. 4. scribit, famem illam ingentem ob impietatem Iuliani, & frumentum Ecclesijs à Constantino donatum raptum, sub Iouiniano adhuc durasse.*

DECIMO Mauricij anno post maximam siccitatem, *quinq; locustarum agmina, innumerabili multitudine,*

quis-

quicquid in aruis virescebat, depascentia, ingentem per Italiam famem biennio fecere. Palmerius ex Diacono libro 4. de rebus Longobardorum, & Gregorius Turonensis lib. 10. cap. 29. Hist.

FVIT maxima ea necessitas, qua Italia laborauit, *imperante Iustiniano, cum Gothi Belisarium in vrbe Roma inclusissent. Procopius narrat, propter ingentem famem eos qui in Aemilia habitabant, proprijs sedibus ac bonis relictis, in agrum Picenum profugisse. In Piceno agro non minus quàm quinquaginta millia hominum præ inedia interijsse, & longè plures extra Ionium sinum. Inualescente autem hoc malo, tandem eò deuentum est, vt homines cogerentur humanis carnibus vesci. Duas fuisse tunc fœminas tradunt, quæ viros septendecim interfectos absumpserant. Sed eò iam alibi quoq; creuerat famis necessitas, vt quicquid vbiq; herbarum esset, celerius nonnulli adirent, & genu in terram nixi, cum auellere has niterentur, deficientibus viribus (nam è corporibus vigor omnis abscesserat) porrecti ad herbas solo moribundi procumberent, insepultiq; passim manerent, nec erat qui sepulturæ rationem haberet. Hermannus Gygas dicit, tantum inualuisse famem, vt matres mactarint suos liberos, ijsq; pro cibo vsi sint. Blondus quoq; Decad. 1. libr. 4. & Sabellicus lib. 3. Ennead. 4. recitat ex Dacio Mediolanensi archiepiscopo, qui ijs temporibus Vitiges Romam obsidebat, vixit, quòd in sua diœcesi inuenta sit misera quædam mater, quæ mortui filioli carnes comederit.*

PROCOPIVS scribit, Mediolanenses ciues ob*sessos à Gothis, longo tempore fame oppressos, vrgente nimium malo, canibus muribusq;, & cæteris item obscænis, à quibus aliâs semper homines abhorruerint, vesci coactos.*

ROMA

ROMA à Totila Gothorum Rege obsessa, Græci *frumento omni in suam redacto potestatem, ingenti pecunia venditabant ditioribus, & primoribus Romanorum, quibus etiam bouem vnũ aureis quinquaginta vendebant: erantq́; putida equorum, canum, & huiusmodi animantium cadauera, inter Romanas delitias computata: Promiscua verò hominum turba vrticas duntaxat edebat, quales circa vrbis pomœrium, & locis incultioribus passim nascuntur, quas tamen decoctas, ne vel sapore, vel innatis aculeis offenderentur, esitabat. Quandiu itaq; Romani aurum habebant, frumentum & furfures comedebant, verùm vbi aurum defecit, omnem domesticam supellectilem in forum deferentes, pro diurno victu commutabant. Sed vbi auarissimis Græcis nihil frumenti reliquum fuit, quod Romanis vendi posset, ad vrticas iam vniuersi circumspiciebant. Nonnulli etiam manus sibimet inferebant, cum nec canes quidem nec mures de cætero inuenirent, nec aliud vsquam demortuum animal, quibus in cibum vti possent. Erat inter cæteros Romanos vir quidam, quinq; filiorum pater, hunc omnes liberi circumsistendo, prehensandoq;, vt assolent, cibum sibi efflagitabant, tum ille nec ingemiscens quidem, nec vllo edito turbationis indicio, sed fortissimo animo dolorem dissimulans, iussit filios se subsequi, vt cibum mox accepturos. Vbi verò super Tyberis pontem peruenit, capite obuoluto, velatisq́; oculis, in Tyberis flumen confestim desiliit, spectantibus filiis, Romanisq́; cæteris, qui ea tunc fortè è regione constiterant. Tandem illi nimium crudeles, & barbarissimi Græcorum præfecti, visa ea extrema Romanorum ciuium desperatione, omnibus abire volentibus facultatem indulserunt. Quo factum est, vt paucis admodum Roma relictis, in fugam se omnes proriperent, & quò cuiq; licuit,*

diuersi abirent. Eorum tamen pars maxima, arescentibus præ inedia viribus, mortem paßim obibant, nonnulli ab hostibus intercepti interière. Quæ omnia Romanus populus pati cogebatur, ob illam insignem Belisarij & Græcorum perfidiam, qua Vitigem Gothorum Regem Rauennæ fraudibus circumuentum, Byzantium in triumphum duxerant. Iohannes Magnus ex Procopio.

GILIMER Vandalorum Rex Carthagine pulsus, *à Phara Belisarij Duce in monte Papua trimestri cinctus obsidione, tum quòd ipse viscerum tormentis cruciaretur, tum etiam quòd horum qui cum eo erant calamitatem diutius spectare non poßet, corpore pariter & animo affligi cœpit: Viderat enim rem indignã & odiosam. Mulier quædam Maurusia, frumentum contusum, torrendum supra cratem posuerat, iuxta eam sedebant duo pueri valde famelici, alter ipsius fœminæ filius, alter Gilimeris nepos ex fratre, illi expectabãt vt ederent. Acceßit Vandalus, & maßam nondum coctã abstulit, eamq; feruentem adhuc, cinereq; refertam in os coniecit. Alius quidã hunc capillis apprehensum cæcîdit, & maßam semideuoratam à faucibus reddere coëgit. Hos intuens Gilimer, animo deiectus, & rebus omnibus desperatis, tandem ad Pharam de deditione scripsit, & se in eius potestatem tradidit. Procopius de bello Vandalorum lib. 4.*

ANNO 849. fames admodum grauis Germaniam, *maximè circa Rhenũ attriuit. Modius Moguntiacus tritici denis argenti siclis venibat. Rabanus Archiepiscopus tum in vico Moguntinensi Neocella dicto degens, quotidie trecentos amplius pauperes vndiq; prouolantes pascebat, præter eos, qui in conspectu suo quòtidie alebantur. Veniens eò mulier quædam inedia affecta, infantem secum portans, vix limen adiu Pontificia attigerat, collapsa præ fame exhalat animã.*

Infans

Infans mortua genetricis, quasi viuentis papillā lingua morsuq; sensim appetens, spectaculo diro miserabiliq; cunctos collachrymare flereq; coëgit. Apud Turingos quidam à Graberfeld oriundus, dum esuriei rabie efferatus, syluas cū infante petit, & filium interficere, atq; comedere meditatur, iam iamq; parricidio manus admouet, subito, haud dubiè diuinitus, duos lupos ceruam laniantes conspicit, eueſtigiò latus, manus à suis visceribus abstinet, à fera lupos abigit, cadauere feræ vescitur. Auentinus lib. 4. Annalium. Sigebertus in Chronicis anno 851. Nauclerus.

In Gallia fames permaxima grassata est anno Domini *1146. Quo tempore in Lingonensi parochia apud Morinandum, vbi pauperes innumeri quotidiana stipe alebantur, quidam homines occidisse, & eorum carnes coctas vendidisse deprehensus, à pauperibus patibulo est appensus. Robertus Abbas in Chronicis.*

Anno Christi 1315. ac deinde anno vno interiecto *iterum, duobus annis tam acerbè Poloniam omnem fames afflixit, vt nullo quamuis fœdo edulij genere, ne cadaueribus quidem humanis vulgo abstineretur, & parentes in liberos, & hi vicissim in illos sæuirent. Famem dira pestis consecuta est. Cromerus lib. 11.*

Anno 1468. pestem latè grassantem annonæ caritas *excepit, ex hyberni cœli intemperie, & intempestiuo calore ac siccitate, coorta ingenti multitudine murium, qui horrea depasti, cum se in agros effudissent, segetes quoq; hybernas virescentes radicitus arroserunt. Cromerus lib. 27.*

Anno à Christo nato M.CCCC.XXXVIII. in *Thuringia panis inopia innumeri mortales periêre, ita vt omnes per totam regionem viæ, omnesq; in vrbibus, vicis ac villis plateæ mortuis corporibus referta essent. Secuta est*

pestis, qua multa hominum millia absumpsit. In cuius rei memoriam, Erfordienses pistores, singulis annis, die diuo Marco sacro, qua instituta supplicationes celebrantur, panes minutos, quos ob id Marcestos appellant, pinsunt, venumq; proponunt, vix exigui orbiculi, qualibus torques aurei conficiuntur, magnitudinem referentes, cum singuli tribus nummis eius regionis vsitatis coëmerentur. Fuchsius lib. 2. Institut. Medic.

SYNDEROVIAM Seruiæ Regiam contra Amurathem *II. soli omnium Nouomontani & Samandrini memorabili fide & virtute quadriennio defenderant, tanta rerum omnium inopia, vt super vetitos obscenosq; cibos reperti sint, qui fame adacti, suas ipsi corroserint manus. Cuspinianus.*

EO anno, quo hæc prodebamus, inquit Sabellicus, *in nonnullis Flaminiæ Regionis & Piceni agri locis, tanta rei frumentariæ caritas incidit, in magno Italiæ motu, vt agreste & inops vulgus, vltimum remedium inuenerit in arborum radicibus, & herbis arefactis tusisq; & in panis speciem subactis. libr. 10. cap. 7.*

OBSESSA à Venetis & Gallis Verona, anno salutis *1516. defendente eam M. Antonio Columna, Cæsaris Maximiliani nomine, ad id penuria ventum est, vt vix lentem & fabam, paniceaq; pultaria in quotidiano vsu haberent, equinas atq; asellorum carnes magno in honore ducerent: & tum præsertim opiparè apud Ducem epularentur, cum aliqui Gallorum equi, vt erant præpingues, ac suis strigosioribus & famè propè enectis minimè comparandi, in excursionibus occiderentur. Nam conspectis statim equorum cadaueribus, portis frequenter euolabant, concisosq; in frusta, humeris in vrbem cum plausu referebant. Sab. supplem. ex Iouio.*

PER-

PERSIS Artaxerxes Ochus imperabat, populis *suis ob mores truces & sanguinarios parum acceptus. Eum Bagoas militum mille praefectus, spado quidem, sed tamen natura & scelestus, & bellicis rebus tractandis idoneus, per medicum quendam, data potione medicata interemit, filiumq́ Regis iuniorem, Arsem nomine, in regnum intrusit, eius fratribus, qui omnes iuuenes erant, sublatis è medio, quò Rex solus relictus, sibi obsequentior esset. Iam verò adolescente Rege animum ad patrata scelera adijciente, cùm palam esset, de tot flagitiorum authore pœnas eum sumpturum esse, Bagoas insidias sibi intentatas esse in vulgus iaciens, Arsem, qui iam annum tertium regnabat, cum omni prole extinguit. Ita domo regia in solitudinem redacta, cum nullus eius gentis superesset, cui regnum per successionem deberetur, delegit Eunuchus vnum ex amicis, cui Dario erat nomen, eumq́ Regem fieri curauit. Erat autem Darius Arsani, qui Ocho Persarum Regi frater fuerat, filius. Bagoas cùm in consuetudinem parricidij committendi venisset, Darium etiam veneno interimere aggressus erat. Verùm dolo cognito, Rex comiter ad se Bagoam inuitat, poculumq́ in se paratum ei porrigens, vti venenum ebiberet coëgit, &c. Diodorus lib. 17.*

PTOLEMAEVS Lagi filius, Cyprijs vrbibus imperans, *postquam de occulta Nicoclis Paphorum Regis cum Antigono amicitia à quibusdam certior factus est, ex amicis Argæam, & Callicratem cum mandatis mittit, vt Nicoclem de medio tollant. Hi à Menelao Duce militibus accepti, Nicoclis domum circumsident, & Regis mandatis expositis, eum ad necem postulant. Ipse primum quidem ad diluenda crimina se conuertit, sed vbi nullam audientiam sibi concedi videt, seipsum occidit. Axiothea Nicoclis*

coniunx audita morte mariti, filias suas virgines adhuc perimit, ne quis hostium potiretur: atq; Nicoclis fratrum vxores, vt vnà secum mortem oppetant, hortatur, cum nihil in eas Ptolemæus statuisset, sed impunitatem concessisset. Regia tam inexpectatis funesta cædibus, Nicoclis fratres, occlusis ædium foribus, eas incenderunt ac sibi ipsis mortem consciuerunt. Hoc pacto Paphiorum Regia casibus interijt. Diodor. lib. 20.

ALEXANDRO Regi Epiri fuit vxor & soror Olympias, *Pyrrhi Epirotarum Regis filia, enixaq; ex eo erat virilis stirpis Pyrrhum & Ptolemæum, alterius sexus Phthiam, quam Demetrius iunior sibi matrimonio iunxit. Mortuo marito tradidit regnum filijs Olympias, & iam Pyrrho maiore natu defuncto, Ptolemæus cum in Aetolos infestum agmen ageret, graui morbo correptus defunctus est. Nec Olympias diu superuixit. Supererat ex Regia stirpe Nereis & Laodamia, ex Olympiade & Alexandro genitæ, quarum Nereis Geloni Hieronis Syracusani filio nupsit. Altera cum ad aram Dianæ confugisset, incursu populi interfecta est. Laodamiæ cædem tota gens fame postea & intestina discordia luisse dicitur. Milo qui eam interemit, subito furore captus, nunc ferro nunc lapidibus in semetipsum sæuiens, duodecimo parricidij die extinctus est. Sic Aeacidarum stirps perijt. Sabellicus lib. 1. Ennead. 5.*

HIERONYMO Syracusanorum Tyranno, Gelonis *F. Hieronis, qui primus Rex dictus est, nepote, à coniuratis occiso, ciuitati libertas restituta est, quam tamen Hippocrates & Epycides turbare sunt aggressi. Hi optimates ad transfugas Romanorum & milites criminando, quod Syracusæ præter speciem libertatis R. po. traderentur, Andro-*

nodo-

nodoro ad nouarum rerum studium reuocato, eò rem traxerunt, vt Senatus Aristonis cuiusdam indicio, de ijs, quæ parabantur, certior factus, Andronodorum, qui Demaratam, & Themistium, qui Harmoniam, Gelonis filias, vxorem duxerat, in curia occiderit. Erat Ariston tragœdiarum actor, qui Andronodori & aliorum consilium sibi ab Harmonia creditum, quia contra patriam esset initum, occultare nefas duxit. Multitudo quæ ante curiam stabat, audita cædis causa, vt sua est natura insolens, quæ aut humiliter seruit, aut nimis superbè dominatur, prætoris rogationem, vt omnis regia progenies extingueretur, penè prius sciuit, quàm vulgaretur. Tum percussoribus missis, Demarata & Harmonia sunt interfectæ. Erat & Heraclea altera Hieronis filia, cuius vir Sosippus, Hieronymi Tyrannidem fugiens, voluntarium sibi exilium consciuerat. Hæc vbi qui ad cædem missi fuerant adesse sensit, in sacrarium ad Penates confugit. Secutæ sunt Heracleam duæ virgines filiæ, vbi multum atq; diu per patris Hieronis, & Gelonis fratris manes precata est, ne se cum Hieronymo, ex cuius regno nihil præter viri exilium haberet, conflagrare sinerent. Cæterum cum nihil preces & lachrymæ aduersus destinatam cædem prodesse vidit, & iam ferrum in se stringi intuita est, omissis pro se precibus, vt saltem puellis parcerent, orare institit: cæterum dum hæc loquitur Heraclea, ab aris distracta interficitur. Filiæ velut furore captæ, per densos gladios cum impetu & clamore dilapsæ, vago totis ædibus discursu, post multa vulnera, miserabiliter concidunt, &c. Sabellicus libro 3. Ennead. 5.

POTITIA gens, ad aram maximam sacrificare solita, *gentili ministerio, Appij Claudij censoris authorita-*

te, ad

te, ad publicos seruos delegato, quum duodecim familiæ essent, intra annum extincta dicuntur, & in his triginta puberes. Appius ipse cæcitate percussus est. Idem lib. 6. En. 4.

IACOBVS V. Scotorum Rex Gallis antiquo iure *fœderatus, ascitusq; à Francisco gener, florenti corporis specie insignis, subitò correptus interijt, anno salutis 1542. defecitq; in eo Stuardæ familiæ generosa progenies, quæ à Roberto Rege, eodem nomine quinque Iacobos Reges non intercisa stirpis serie tulerat: Sed occulta & admirabili sorte id regium decus singulis maximè funestum fuit: primo scilicet à coniuratis in conclaui trucidato: secundoq; demum distracti tormenti, dum id probaretur, violentia discerpto, cùm mox tertium parricida filius iusta acie ad Sterlingum occiderit, vt is demum ordine quartus, ab Anglis ad Floddon prælio casus fuerit, quintoq; filio eadem infausta domus damnata regni hæreditas pararetur. Sabellic. Supplementum, lib. 25. ex Iouio.*

FRANCISCVS Nouellus Senioris filius Carra*riensis, à Venetis ad deditionem compulsus, cum Francisco, cui Tertio cognomen fuit, & Gulielmo filijs Venetias ductus, & noctu (ne populus eos videret, quos vtiq; ob inueteratum odium discerpsisset) in carcerem seorsum translatus, iussu patrum strangulatus, ad Protomartyris ædem pater elatus, filiorum corpora ad Georgij fanum, anno salutis 1406. Is Carrariensium finis fuit, qui nuper tanto strepitu omnia terrore & minis complebant, & quibus non satis erat nobilißima vrbis principatus, nisi Venetorum arma, per quos Principum nomen olim eorum maiores adepti essent (nam Marsilio Carrariensi Veneti Patauium Scalano ademptum commiserant, & Nouellum ipsum Galeacij Vicecomitis armis pressum in integrum restituerant) temerario in se*

in se bello irritassent. Aliquot annis pòst Marsilius Philippi Vicecomitis subsidio clàm Patauium recepturus, mercatoris habitu in Vicentino agro captus, & cum XX. Patauinis socijs coniurationis Venetijs necatus est. Sabellicus lib. 8. Decad. 2. & lib. 2. Decad. 3.

APVD Anglos videtur Glocestrense nomen ho*noris causa Comitibus Ducibusq; datum, fatale fuisse ad eorum perniciem, quibus illud fuerit. Nam Hugo Spenserius, & Thomas Vodestocus, Edouardi III. Regis filius, ille Comes, hic Dux Glocestriæ, miserabili supplicio vitam amiserunt. Humfredus Dux Glocestrensis, Henrici VI. adolescentiæ rector, ab eius vxore Margaritha strangulatus est. Ricardus III. Rex, Glocestriæ Dux, ciuili bello trucidatus est, ita vt nomen illud perinde in prouerbium de calamitosis hominibus verti possit, ac olim Equus Seianus. Polydor. lib. 23. histor. Angl.*

DVO admiranda in Maximiliani I. Imperatoris vi*ta obseruanda: quòd vt olim pater Fridericus Cæsar in summa pace obijt, & eius mortem biennio maxima secuta est pestilentia, post Friderici obitum 1490. pestilitas nonagesimo quarto & quinto multas ciuitates & villas penè desertas reliquit. Post mortem verò Maximiliani, tam crudelis, tam sæua, tam stupenda biennio pòst orta est pestis, vt frumenta in agris non secta manerent, & à nemine colligerentur. Nulla arx, nullum castrum, nullum oppidum, villa, vicus intactus mansit. Tertia pars hominum in Austria sublata putatur. Cuspinianus.*

VITELLOTIVS à Valentino Duce Cæsare *Borgia, Alexandri VI. PP. F. Senogalliæ strangulatus, familiæ suæ fatum vitare non potuit, vt videlicet violenta morte periret, quemadmodum omnes reliqui eius fratres,*

cum in re militari iam magnum & vsum & nomen sibi comparâssent, alius post alium ætatis ordine. Iohannes tormenti globo in castris Innocentij Auximum missus: Camillus dum Gallis militaret, lapide circa Circellas ictus: & Paulus Florentiæ securi percussus, interierant. Guicciardinus lib. 5.

OMNES ferè ex gente Aeacidarum nomine, diuinitus *oblata nece occubuerunt. Achilles enim, vt Homerus memoriæ prodidit, ab Alexandro Priami filio & Apolline interfectus. Pyrrhus eius filius, oraculi iussu, à Delphis occisus est. Pyrrhus Aeacidæ filius, ab Achille XVI. cum Argos infestis armis intrasset, à Cerere, sub habitu matronæ, tegula desuper ictus occubuit. Pausanias in Atticis.*

BAIAZETES II. Turcorum Imp. biennio post *Carnorum euastationem, validiore quàm ante classe, & maiore terrestri exercitu (ad centum enim & quadraginta armatorum millia duxit) Methonem Peloponnesi vrbem terribili oppugnatione adortus, aneis machinis vrbem vndique concussit. Et post alteram oppugnationem, cum diu viriliter Methonenses in fide perstitissent, frustra Venetis subuenientibus, vrbs capta, direpta, ac magna ex parte incensa est, omnibus oppidanis ad vnum cum præsule suo necatis. Cuspinianus. Bernardus enim Contarenus Venetæ classis præfectus, commeatum tribus triremibus velocissimis inferendam commiserat. Oppidani nauibus auxiliarijs conspectis, vt ea quæ afferebantur, celeriter in oppidum asportarent, læti ad portum conuolauerunt, tantaque fuit eius rei cura, vt ij etiam qui muros alia ex oppidi parte contra hostium exercitum seruabant, cum festinari ab alijs viderent, eodem & ipsi accurrerent, stationesque relinquerent, sic, vt murus defensoribus spoliaretur. Id vbi hostes*

stes ab exercitu conspexerunt, per ruinas murorum, quas tormenta fecerant, se in oppidum intulerunt. Oppidani & milites præsidio & commeatu iam è nauibus abducto ea de re certiores facti, hostibus medio in oppido occurrerunt, atque ibi prælio acerrimè commisso, cum diu fortiterq; pugnauissent, ac magnum eorum numerum occidissent, demum crescente hostium multitudine, plenis iam omnibus & obsessis vijs, circumsepti vndiq; ac pressi, propè omnes interfecti sunt, vnà cum præfectis nauium, qui tunc venerant, duobus, remigibusq; permultis. Ex municipibus ij qui superfuerant, omni ex parte oppidum incenderunt, suaq; omnia & suos comburere voluerunt: ita oppidum ardens ac semicombustum capitur, &c. Bembus lib. 5. Histor. Veneta.

CONSTANTINOPOLIS vrbs à Mahometo *Turcorum tyranno, quarto & quinquagesimo obsidionis die capta, ingens cædes edita, in omnem sexum atque ætatem sæuitum, pueri, virgines matres ad stuprum raptæ, stupra cædibus, cædes stupris additæ. Nihil illicitum toto triduo fuit in vrbe: Templum ingens ac sacrosanctum Sophiæ, Iustiniani Cæsaris opus, spoliatum omni sacra supellectile ac donarijs Sanctorum, omnibus patuit spurcitijs, lupanar factum scortorum, & equorum stabulum. Edixit autem Tyrannus post captam vrbem, vt Regia supellex, omnisq; sacrarum ædium ornatus, monimentaq; illæsa seruarentur, neúe milites ea diriperent. Inuenta sunt tamen in cœnobio (quod vulgus de Petra appellat) dextra præcursoris S. Iohannis, ac monimenta Saluatoris nostri, spongia, calamus, ac lanceæ ferrum, cuius acies lima secata à Constantino VI.*

Carolo Magno Francorum Regi donata erat, quæ superbus victor inter regias Gazas asseruari iußit. Quanquam autem multi magno ære has sanctas reliquias redimere sæpius annixi forent, adseruata tamen sunt à Turco ob mulierem quandam Gratam, quæ Regis libidini inter pellices patuit, cum à cultu Christi non defecisset, quæ sese exoluturam precium pactioni offerebat, ne ad Occiduos transirent sacræ Byzantiorum reliquiæ. Sed ante hoc edictum, Martyrum ossa canibus suibusq; sunt obiecta, Sanctorum imagines luto sunt defœdatæ, ferroq; laceratæ. Et quod meritò ignauiam nostrorum Principum mouere debeat, simulacrum Crucifixi (proh pudor & dedecus nobis æternum) tympanis præeuntibus per fora, per plateas, per vicos, ex vrbe ad castra rapiunt, sputo, luto, iaculis incessunt, pileo imaginem capitis dehonestant: En Christianorum crucifixum Deum, summis blasphemijs & conuicijs per irrisionem inclamitant. Cruci etiam elogium inscriptum: Hic est Christianorum Deus. Eruti deinceps ciuium thesauri absconditi, quos si in communem vsum vertissent, non triumphasset sceleratus victor de Christiano sanguine. Triduo igitur misera ciuitas vexata, atq; ad arbitrium impotentissimi victoris cuncta direpta. Inde Regij sanguinis, mares fœminæq; illustres super fuêre, aut inter epulas prægrauante vino fœdè iugulantur, aut victoris libidini (quod morte grauius) reseruantur. Rirelucas, quem alij Lucam Notaram vocant, qui post Constantinum Imperatorem secundus erat, cæso ante oculos maiore filio, altero ad illicitos vsus reseruato (duo enim alij eius filij bello ceciderant) in conuiuio ante tyrannum securi percussus est cum alijs filijs duobus, Isaacio & Iohanne, illustri probitate adolescentibus, cum supplici voce humiliq; fletu tyrannum perfidißimum rogasset, ne castum

ſtum atq; pudicum puerum Iacobum, quem abominabilis raptor ſuæ ſpurciſsimæ libidini deſtinârat, à paternis complexibus auelleret. Dum deſauijſſet ſanguinarius carnifex, conuiuatus, & mero præter ſolitum inebriatus, contra legem ſui Mahometi, optimates ciuium, (qui in auguſtiſsimum Sophiæ templum, velut aſylum confugerant) educti in conuiuio ſunt iugulati. Perenſes cognita Byzantiorum clade, Mahometo deditionem fecêre. Muri contra fœdera diruti, bona direpta, fœminæ ac viri ludibrio habiti, eandem experti ſunt ferarum ſæuitiam, vt Conſtantinopolitani. Eodem enim die literas dedit Tyrannus ad Subaſsidem, id eſt, tribunum militum Galatiæ, quibus iuſsit Latinos ad vnum omnes occidi. Quam facinoris atrocitatem cum Subaſsis obſtupeſceret, ob idq; paululum retardaſſet, vt qui ad veſperam factum iri inſtituerat quod eſſet imperatum: interea temporis Mahometus, qui vinum obdormitando euomuiſſet, per literas contrarium mandat. Et ſic vetuſtiſsimum Græciæ Imperium corruit, quod mille centum ac nonaginta amplius annis ſtetit. In quo tot principes Chriſtiani floruerunt, tanta religio viguit, tot Diuorum templa, tot Sanctorum reliquiæ conditæ erant. Vrbs Romæ ſemper æmula, pauciſsimis diebus deiecta, ac crudeliter ſubuerſa, anno noſtræ ſalutis milleſimo quadringenteſimo, quinquageſimo tertio, quarto Calend. Iunij: qui dies funeſtiſsimus ac religioſiſsimus eſſe nobis ſemper deberet, non ſine lachrymis Chriſtiano populo memorandus, cum Nicolaus V. tum pontifex Romanæ præeſſet Eccleſiæ, Fridericus autem III. Imperio Romano potiretur. Cuſpinianus.

IN Gothia meridionali ſpectantur duo tumuli, *ingentibus ſaxis, cipporum loco, impoſita habentes duorum fratrum corpora, quib. ab auſpice in prima adoleſcentia prædictum*

dictum fuerat, forè vt mutuis vulneribus conciderent. Fatum declinaturi, peregrinationem ad remotißimas maximeq; contrarias orbis partes suscepêre. In extrema senecta demum in patriam reuersi, cum quisque fratrem iam pridem mortem obijsse speraret, non procul ab oppido Ionaco sibi inuicem ignoti occurrerunt, & salute vltrò citroq; dicta & accepta, sub pinu proxima quieuerunt. Mox rixantibus eorum canibus, ipsi quoq; ad iurgia primùm, inde ad vulnera mutua proruperunt, animamq; trahentes, & fratres se agnoscentes, in mutuis complexibus expirârunt. Olaus lib. 1. de ritibus Septent. capit. 37.

LEO Armenus Imp. Constantinopoleos fertur in *bibliotheca magna Regum, vbi pleraq; de Regibus Oracula tenebantur, & quæ præterea Sibyllæ putabantur, librum quendam reperisse, cui inscriptæ erant hominum ferarumq; imagines, inter quas erat Leonis figura, cui in dorso literæ forma erat impressa: pòst vir quidam qui eam hasta per medium transfigebat. Quas ænigmaticas figuras cum Imperator interpretari nequiret, Quæstor quidam interpretatus: In die, inquit, natali Christi Rex peribit: Leonem enim Imperatorem esse, hastam mortis genus denotare, verò literam nominis Christi primam, tempus cædis significare. Neq; verò falsum fuit præsagium: namq; Michaëlis Thrauli conspiratione Natali festo in templo cæsus est. Cuspinianus. Cedrenus.*

AMPHIONIS tota domus ex pestilentia deleta, *successit in regno Thebano Laius. Is sumpto vxore Iocasta Creontis filia, cum diutius caruisset liberis, oraculo consulto an esset filios habiturus? responsum tulit: Non conducere sibi prolem habere, quod qui ex eo prodiret filius, patrem occisurus esset, aduersaq; fortuna domum funestaturus.*

Laius

Laius ergo natum infantem traiectis ferro pedibus exponi praecepit, unde & Oedipus cognominatus est, à tumore vulneris. Sumptum puerum domestici cum non exposuissent, cuidam seruili mulieri nomine Polybiæ tradidêre. Cum iam vir factus esset, Deum de infante exposito consulere statuit Laius. Oedipus quoq; à quodam se fuisse expositum certior factus, & ipse Pythiam, qui sui parentes forent, oratum proficiscebatur. Cum ambo apud Phocidem inuicem obuiassent, Laiusq; illum de via cedere superbius mandasset, Oedipus ira motus Laium occidit, inscius parentem esse. Diodorus lib. 4. cap. 6.

CVM exercitus Alexij Angeli Imp. à Blachis esset *profligatus, Sacerdos quidam captiuus Blachicæ linguæ peritus, cum in Hæmum abduceretur, Asanem Blachorum cum fratre Petro principem miserabili oratione obtestatus est, vt se dimitteret. Vbi id ille renuit, neque enim sibi propositum esse Romanos dimittere, sed perdere, idq; Deo etiam probari: Ille cum alto suspirio & lachrymis subiecisse fertur, Nec ipsi reliquam esse Dei misericordiam, quod viri pauperis, Deo ob sacerdotium familiaris, non sit misertus, ac instare ei cruentum exitum. Paulò post in Mysiam reuersus ab Ibanco quodam intimo suo, quem ob stuprum sorori vxoris suæ illatum acerbis verbis reprehenderat, occisus est. Nicetas libro primo, de imperio Alexij.*

D. BERNHARDVS Ludouico Francorum Regi, *bona cleri vsurpanti, nec vllas admittenti admonitiones, prædixit filij interitum: Hæc, inquiens, tua pertinacia filij interitu mulctabitur. Et euentus id probauit. Nam extra mœnia Parisiensium equo decidens, animam exhalauit. Robertus Gaguin. lib. 6. de Francis.*

CAROLO Paruo Neapolitano Rege ab Vngaris *Albæ inaugurato, præferebatur ex more Diui Stephani vexillum, cum assumptis regijs insignibus, procedente procerum, Antistitumq́ multitudine, ad postes templi sensim illisum, in varias partes laceratum concidit. Ipse non multò pòst à coniuratis interfectus est. Bonfinius lib. 1. Decad. 3.*

DION Syracusanus, liberatis Syracusis, paulo antè *quàm à Calippo interficeretur, sedebat forte diei sero domi in porticu cogitabundus. Ibi strepitu repentè facto respiciens clara adhuc luce ad alteram porticus partem, conspexit grandem mulierem, cultu & facie nihil à tragica abhorrentem furia, quæ verrebat scopis domum. Ille vehementer perculsus & trepidans acciuit amicos, visumq́ ijs narrauit, atq́ orauit, apud se vt permanerent & pernoctarent, quòd planè extorpesceret, timens, ne si solum reliquissent, iterum sibi obuersaretur monstrum. Cæterum id non est reuersum, sed filius eius ferè adultus per dolorem aliquem animi, & iram ex parua & puerili ortam occasione, de fastigio domus præcipitauit se in caput, & interijt. Plutarchus in Dione.*

ANTE mortem Domitiani Imp. continuis octo *mensibus tot fulgura facta, nunciataq́ sunt, vt exclamauerit, Feriat iam quem volet. Tactum de cœlo Capitolium, templumq́ Flauiæ gentis: item domus Palatina, & cubiculum ipsius, atq́ etiam è basi statuæ triumphalis titulus excussus vi procellæ in monimentum proximum decidit: Arbor quæ priuato adhuc Vespasiano euersa surrexerat, tunc rursus repentè corruit. Suetonius.*

TRAIANO apparebant irides, tonitrua, fulgetra, *grandines immensæ cum grauibus tempestatibus, quoties Romanus cum hoste Agarenos Arabas obsidente, confligeret.*

Cum

Cum verò vescerentur, subita muscarum vis edulijs & poculis insidens, fœdo contactu cuncta Romano molesta & inamœna faciebat. Inde igitur re infecta digressus, ac paulò post aduersa valetudine correptus, ingrauescente indies morbo, omissa Mesopotamia, in quam expeditionem parabat, in Italiam nauigaturus, apud Selinuntem Ciliciæ perijt. Cuspinianus.

SEPTIMIO Seuero Imperatori & mors & fortu*na gentis suæ manifesto prodigio ostensa fuit. Nam Circensibus ludis, à suggestu, vnde is ludos spectabat, ex tribus victoriæ simulachris, quæ de more appendebantur, ea quæ Seueri nomine inscripta erat, cadens tota confracta est: tertia autem, cui Bassiani erat inscriptum nomen, è manu palma dilapsa est. Post hunc casum haud diu Seuerus vixit: Getam Bassianus occidit: Bassiano autem ad Imperiũ translato, imperium breue & ingloriosum fuit. Sabell. lib. 1. cap. 4.*

CRVDELIS Commodi Imperatoris exitum sæ*ua prodigia antecessêre. Nam præterquam quod in eius morte cometes apparuit, à multis templis, quæ erant in vrbe, cum simulachris Deorum effigies quoq; abire visæ sunt. Fulgosus lib. 1. cap. 4.*

IVLIANVS Imperator, ea nocte quæ diem mor*tis ipsius in Perside antecessit, cùm in tentorio lectioni operam daret, horroris plenam vmbram offerri sibi intuitus, & præ formidine consurgens, vt è tentorio eam egredi conspexit, putauit genium suum esse, qui se morti iam vicinum desereret, Fulsogus lib. 1. cap. 4. Narrat Aurelius Victor, in Iuliano, terræmotus vetuisse expeditionem Iuliani Imp. in Persiden: & nocte diem qua interijt præcedente, ingentem globum cœlo labantem visum esse, qui significârit infelicem belli euentum.*

ANDRONICI Senioris Imperatoris obitum multa *ostenta prænunciârunt. Primum, eclipsis Solis tot antè diebus, quot annos ille vixerat. Hanc secutus est lunæ defectus, eumq; terræmotus, ea vespera qua D. Antonij memoria, cuius illi nomen inditum erat, veteri more à Christianis celebrabatur, die Februarij duodecimo, quem inexpectati eius obitus consecutura erat vespera. Cum autem è meridiei barathris vehemens ventus erupisset, marini fluctus ita efferati sunt, vt suos egreßi limites multas muri maritimi & Orientalis partes prostrauerint, & multas illius portas effregerint: & hostium instar irrumpentes, multa ædificia quoq; vrbana inundârint. Tum quoq; multæ ferreæ cruces templis impositæ, impetu ventorum non tolerato, deciderunt. Columna quoq; olim ante ædem quadraginta martyrum posita, concidit, quæ iuxta basim vstulata & confracta, prætereuntibus non sine causa ruinæ metum incutiebat, vt aliquando proceres quidam hunc Imperatorem prætereuntem, metu fortasse periculi, monerent, ne propius accederet, &c. Gregoras lib. 9.*

IMAGO Diui Pauli, antiquæ manus opus, quam au*ro exornatam in S. Quadraginta æde reposuit Andronicus Comnenus tyrannus, imminente Andronico exitio lachrymauit. Quo is audito, explorari iußit, an verum sit? Ad id ministerium præter cæteros Hagiochristophorita Stephanus delectus, per gradus ascendit (nam in sublimi pendebat imago) Pauliq; pupillas purißimo linteolo abstersit. Quo facto, lachrymæ magis etiam tanquam ex fonte exuberârunt. Quod vbi cum admiratione retulit, Andronicus graui dolore perculsus, & diu agitato capite, cum gemitu dixit: Paulũ videri sua causa lachrymasse, ac grauißimam sibi cladem impendere. Neq; verò multò pòst pedibus suspensus, inter horribiles cruciatus expirauit. Nicetas lib. 2.*

ANNO

ANNO altero, quo Carolus Magnus obijt, Sol ob-*ſcuratus eſt, & Luna pallorem recepit, terræmotus accidit, cometa exarſit, & alia dira prodigia conſpecta & audita ſunt in terris. Vnde Egniardus in vita eius inquit: poſt tres continuos vitæq; termino proximos annos, & ſolis & lunæ creberrima defectio, ac in Sole macula quædam atri coloris ſeptem dierum ſpacio viſa: porticus, quam inter baſilicā & Regiam operoſa mole conſtruxerat, die Aſcenſionis Domini ſubita ruina vſq; ad fundamentum collapſa. Robertus Gaguinus Pilam è templi faſtigio fulmine deiectam eſſe ſcribit. Et Paulus Diaconus meminit ſtellæ crinitæ, quæ ſubinde formam mutârit, & aliquando in hominis ſine capite figura viſa ſit.*

IMPENDENTE morte Alberti Epiſcopi Bremenſis *necromantici, viſa ſunt lachrymæ ex crucibus emiſſæ, porci, canesq; in templo, qui ab altari vix poterant repelli, nec non lupi in ſuburbio Bremenſi gregatim vlulantes, horribiliq; iurgio cum bubonibus certantes, annum circiter milleſimum ſeptuageſimum ſecundum. Cranzius lib.5. cap.10. Metropol.*

ALEXANDER III. Scotorum Rex, Iohannā Hen-*rici tertij Anglorum Regis ſororem in matrimonium habuit. Qua ſine filijs mortua, Margaritam eiuſdem Regis filiam rurſus in matrimonium duxit, ex qua Alexandrum, Dauidem, & Margaritam ſuſcepit. Quibus omnibus morte ſublatis, ipſe Rex non abiecta penitus ſucceſsionis ſpe, Iolantam filiam comitis Draconenſis, tertiò ſibi deſpondit. Sunt qui dicant filiam fuiſſe Comitis Campaniæ. Dum noctu feſtum celebraretur, videt mortui ſpectrum in fine choreæ ſaltare. Eodem anno Rex ab equo excuſſus & occiſus eſt: Hinc clades & ſeditiones ortæ, quæ florentiſsimum alioqui regnum euerterunt. Contigit hoc anno Salutis circiter MCCL. Cardanus de Rerum varietate lib. 16. cap. 93.*

CAROLVS III. Vngariæ regno potitus, in Alba *regali legitimè coronatus eſt, eodemq́ue die Nonis Decembris, anni 1387. tantus Solis defectus apparuit, vt nunquã noſtro ſæculo maior extiterit, quod ad breue tempus regnaturũ eſſe portendit. Nam Idibus Februarijs proximè inſecutis ex factione Mariæ Ludouici primi F. regni hæredis, eiusq́ue matris Elizabethæ, in arce Budenſi pluribus vulneribus confoſſus eſt, & in Viſſegradum tranſuectus, vigeſimo ſeptimo die veneno confectus eſt. Bonſinius lib. 9. Decad. 2.*

EST familia nobilis, ac inter primas Parmæ, To*rellorum nuncupata, poſſident arcem, in qua aula eſt. In ea ſub camino ſolet videri anus iam centum annis, quoties è familia aliquis abiturus eſt. Referebat mihi aliquando illuſtris matrona Paula Barbiana, quæ ex ea familia erat, dum vnà cœnaremus* Belzoiosij, *quandam puellam ægrotaſſe, viſam anum, exiſtimaſſe omnes illam perituram: at contrà accidit, ſeruata enim eſt, ſed alius incolumis repentè è familia mortuus eſt. Referunt hanc anum, cuius nunc vmbra videtur, olim fuiſſe prædiuitem, & ob pecunias interfectam à nepotibus ſuis, & in fruſta diuiſam, proiectamq́ue in latrinam.* Cardanus *de Rerum variet. lib. 16. cap. 93.*

IN ripa Conſote in Occidentali India, duobus *millibus paſſuum diſtantis à Carthagine vrbe Peru, cum mulieres lauârent, vt moris eſt, apparuit vir auguſta forma, exenteratis viſceribus, ventreq́ue diſſecto, infantes duos in vlnis gerens, qui puellis dixit: Chriſtianæ omnes mulieres peribunt, maiorq́ue pars veſtrum, ſubitoq́ue euanuit. Risêre mulieres nec expauerunt, quòd multæ vnà eſſent, ſolq́ue meridiaret, & viri etiam Indi adeſſent. Viſum eſt & hoc ſpectrum, ſed equo inſidens, per montium iuga vento ocyus diſcurrere. Subſecuta mox peſtis, quæ mulieres Indas, &*

maxi-

maximè quæ iam Hispanis & Christiano nomini adhæsissent, ad vnam fermè perdidit. Mulieres verò per id temporis puerîq; multi Indi affirmabant, plurimos vidisse è suis, qui antea obijssent. Cardanus de Rerum varietate libro 15. cap. 81. ex P. Cieza Tomo 1. historiarum Peru, cap. 24.

MAHOMETO II. dum tertiò Rhodum oppugnare *cogitat, ferunt in syluis comparuisse iuuenem inter ramos forma augustiore, humanam speciem excedente, ornatam veste candida, manu ensem strinxisse, necemq; Tyranno minitasse, atq; dixisse: Hoc te confodiam ense. Quo viso vsq; adeò expauit, atque metu perculsus concidit, vt quasi furore attonitus, fœdam repentè euomuerit animã. Apparuit eo die signum crucis in cælo, quo frustra Turci turrim in Rhodo globeo saxo concusserunt, cum mors Mahometi intellecta est. Cuspinianus. Eo die, quo acerrimus Christiani nominis hostis vita decessit, Rhodiacus portus ita marinis fluctibus repentè est destitutus (quando alioquin miræ esset profunditatis) vt naues quæ in portu stabant, in ipsis vadis velut in sicco euersa sint. Sabellic. lib. 1. Decad. 4.*

MAVRICIVS Elector, Dux Saxoniæ, anno Chri*sti 1553. antequam occumberet in prælio contra Marchionẽ Albertum, pridie ventus vehemens illius conuulsit & disrupit duo tentoria, alterum in quo prandia & cœnas sumebat, alterum in quo culinaria res administrabatur. Et eodem tempore, octauo die Iunij, prope Lipsiam pluuia sanguinea cecidit. Breui post cruentum illud prælium inter Mauricium & Albertum factum est, in quo cæsus est. In arce quoque Perlini de statua Mauricij caput sua sponte auulsum est. Georg Fabricius in Misniacis.*

IACOBVS Donatus patricius Venetus ac diues, *cum nocte quadam cum vxore dormiens cereum accensum*

haberet, atq; in curuli lecto dormirent duæ nutrices cum infante qui nondum annum expleuerat, vidit ostium cubiculi sensim aperiri, inde hominem nescio quem intromittere: viderant autem & nutrices, sed nemo faciem illius agnouit. Territus adolescens, vt par erat, surrexit, arripuit ensem clypeumq;, nutrices singulæ cereos magnos: it in aulam quæ contermina erat cubiculo, ibi clausa omnia. Reuertitur magna cum admiratione. Infantulus, qui incolumis erat, altera die mortuus est. Cardanus lib. 17. cap. 93.

GVLIELMVS Ruffus Anglorum Rex, qui bona Ec*clesiastica diripuit, vt supra in primo libro diximus, & in profanos vsus conuertit, paucis ante diebus, quàm in venatione à milite sagitta transfixus est, visus est per quietem, abruptis brachiorum venis, sanguinem mittere: simulq; ferunt Monachum quendam somniasse, se videre Regem de cruce pendentis Christi imaginem mordere, ac crura rodere dentibus, & postea ab ipso Christo pedibus in terram proiectum. Quod simul atq; ei narratum fuit, cachinnium sustulit: Quippe ad sedandam praui ingenij naturam mors sola reliqua erat. Polydor. lib. 10.*

INTRA priuatum habitum Dionysio Syracusano *adhuc se continente, Hymeræa quædam, non obscuri generis fœmina inter quietem opinione sua cœlum conscendit, ibi Deorum omnium lustratis sedibus, animaduertit præualentem virum flaui coloris, lentiginosi oris, ferreis cathenis vinctum, Iouis solio pedibusq; subiectum. Interrogatoq; iuuene, quo gratia considerandi cœli duce fuerat vsa, quisnam esset? audiuit illum Siciliæ atq; Italiæ dirum esse fatum: solutumq; vinculis, multis vrbibus exitio futurum. Quod somnium postero die sermone vulgauit. Postquam deinde Dionysium, inimica Syracusarum libertati, capitibusq; inson-*

insontium infesta fortuna, cœlesti custodia liberatum velut fulmen aliquod ocio ac tranquillitati iniecit. Himera eum mœnia, intra effusam ad officium & ad spectaculum eius turbam, intrantem vt aspexit: hunc esse, quem in quiete viderat, vociferata est. Id cognitum Tyranno, curam tollendæ mulieris dedit. Val. lib. 1. cap. 7.

Anno qui bellum Sociale antecessit periculi & *laboris plenum, L. Mario, & Sexto Iulio consulibus; in agro Mutinensi à multis grauibus viris, ciuibus Romanis, qui per Aemiliam viam iter habebant, duo montes fragore, magnaq́ emissa flamma simul concurrere conspecti sunt, non sine ingenti locorum atq́ hominum strage, vbi concursus factus est. Quo prodigio putauerunt homines mala prænunciari, quæ postea ex eo bello secuta sunt. Fulgosus lib. 1. cap. 4. ex Plutarchi Sylla.*

Est in Exemplis, incisos panes, Syllæ tempori*bus, manantis sanguinis guttas fudisse, canesq́ & alia id genus animalia, rugitu miserabili lugubres voces dedisse, bellum ciuile & intestinas clades, tantumq́ cædis, quantum postea effusum est, denotasse. Inter quæ ancilla, quæ serpentem enixa est, Marsicum portendisse bellum dicitur. Alexander lib. 2. cap. 31.*

Bellvm ciuile inter Marium & Syllam tetra *prodigia præcessêre. Flamma enim sponte eluxit ex signorum hastis, quæ ægre restincta est. Mures in templo sacratum arroserunt: Fœminam vnam ex his ceperunt æditui muscipula: ea in ipsa muscipula quinque editis tres deuorauit. Et, quod omnium fuit maximum, ex claro & sereno cœlo vox increpuit tuba acuta & lugubris, vt obstupescerent & cohorrescerent eius magnitudine omnes. Hetrusci vates mundi conuersionem*

prædi-

prædicauerunt hoc ostento, & mutationem in aliam ætatem. Plutarchus in Sylla.

SECVNDO anno Ludouici Francorum Regis, Caroli *Simplicis filij, qui fuit annus Christi 930. decimo sexto Calend. Martij, circa gallorum cantũ vsq; ad diẽ illucescentem, in æthere hominum flagrantium, ac in se mutuis cadibus sæuientium acies se conspiciendas præbuerunt, teste Aimoino lib 5. de gestis Francorum, cap. 42. ac clangores exercitus, hominumq; clamores auditi sunt, vt Robertus Ganguinus scribit. Tertio anno pòst, Franciæ proceres à Ludouico deficiunt, qui inito cum Henrico Imperatore fœdere, Normanni Ducis auxilio, tandem ad officium eos vi & armis iterum compulit. Tanta præterea fuit per totam Franciam fames, annonæq; caritas, vt vna frumenti mensura, cui Sestarius nomen est, quatuor & viginti veniret libris. Nec multò pòst sanguine pluit.*

ANNO 904. Mense Maio, Cometa visus est, quo *cladem illam Italicam, quæ mox subsecuta est, portendi credebatur. Ludouicus enim Longobardorum Rex, Berengarium Italia expulit: sed paulò pòst mutata belli fortuna, hic superior factus, Ludouicum captum Veronæ oculis priuauit, vt Regino annotat lib. 2.*

EXPEDITIONEM Hierosolymitanam, quæ *Duce Godefrido Bolionio suscepta fuit, anno 1091. ab Occidente Ortum versus tantis volitârunt agminibus locustæ, vt Solis radios, teste Zonara, obscurarent. Ex quarum putridis cadaueribus anno sequenti pestis secuta est admodum horribilis. Nubes quoq; sanguineæ tam ab Occidente quàm Oriente surgentes, sibiq; inuicem in cœli centro concurrentes. Rursum medijs ferè noctibus, à Septentrione ignei exurgere splendores, plærumq; etiam faculæ per aërem volitantes*

tantes anno 1096. iuxta Sigebertum. A Suiggero Presbytero, diei hora nona, duos in aëre concurrentes visos esse equites, quorum is, qui cruce pugnare videbatur, post longum certamen victor extitit. A bubulcis noctu vrbs magna, ad quam infinita hominum multitudo eques pedesq́ contenderit, ex nubibus emicare visa. Bouem quendam suum pastorem ter humana voce allocutum, ac vt Hierosolymam, breui à Christianis capiendam, iret, monuisse in Hirsaugiensi Chronico Trithemius recitat.

IN Anglia initio anni 1382. terræmotus subitò *exortus, multa paßim ædificia diruit. Quæ res cum rara, in Anglia præsertim, tum horrenda, ita hominum mentes perterruit, vt toto eo anno maximus eos timor occupârit. Secutæ sunt seditiones intestinæ, & bellum Gallicum cruentissimum. Polydorus lib. 20.*

TRADVCENTE exercitum iuxta Zeugma M. Crasso *contra Parthos, à quibus & interfectus est, crebra eruperunt & atrocia tonitrua: frequentia fulmina ex aduerso exercitui emicuêre. Ventus cum atra nube & prestere procellosus in pontem eius temporarium incumbens, magna ex parte conuulsit & dirupit eum. Locus item, vbi metaturus erat castra, bis est de cœlo tactus. Equus ex prætorijs insigniter ornatus, ablato vi rectore, in flumine submersus, atq; ex oculis est ablatus. Plutarchus in Crasso.*

FVNESTA pugna, qua ad Pharsalum à Cæsare vi*ctus est Pompeius, magnis & multis fuit antea præmonstrata. In Elide simulachrum Victoriæ, quod in templo Mineruæ fuit, à ianua auersum, eo die quo sic dimicatum est, sua sponte ad valuas se conuertit. Antiochiæ in Syria & Ptolemaide bis eodem die tantus est clamor circa vrbem auditus, vt cum armis sit populariter in muros discursum. Per-*

gami in templo tympana exaudita sunt. Valerius lib. 1. cap. 6. & Sabellicus lib. 7. Ennead. 6.

NERONIS Principatu, dum Isthmum Pelopon*nesi perfoderet, sanguis è terra erupit, fluuij sanguine fluxerunt, Oceanus inter Britanniam & Galliam sanguine totus inundauit. Eodẽq; anno in Britannia duæ vrbes expugnatæ, & 80. millia Romanorũ ciuium & sociorũ perempta. Dion.*

ANNO Domini 778. prid. Calend. Februarij, Sol *circa meridiẽ defecit, cum triduò antè luna idem esset passa. Et acies eadem nocte apparuerũt. Visa est & Mercurij stella, 16. Calend. Aprilis, in medio sole, velut macula quædam nigra. Hæc prodigia Francorum in Hispanijs funestam victoriam significasse videntur. Turpinus & Sabellic. En. 8. lib. 8.*

MVLTA prodigia Catalaunici in Attilam Hunno*rum Regem & Romanos prælij atrocitatem prænunciârunt: Luna binam eo anno passa est eclipsim: plurimæ vrbes repentino terræmotu corruerunt: cœlum cruento hiatu apertum, mutuis hastis ignitis id obliquè scindentibus: Visus præterea cometes aliquot noctibus radios suos Occidentem versus porrigens. Quibus ostentis multi mortales terrebantur. Nicolaus Olaus cap 6. in Atila.*

TEMPORE Romani Argyropoli Imp. in Thracensi *prouincia, apud radices montis Cuzenæ, vox quædam exaudita est miserabilis, ciulatibus & lamentis permixta: neq; hoc semel aut iterum, sed noctes diesq; continuò, à mense Martio vsq; ad Iunium. Cumq; nonnulli accessissent speculatum locum, vnde vox edebatur, aliò eiulatus isti transiuerunt. Præmonstrabat autem hoc portentum cladem Romanorum in Cœlesyria acceptam. Cedrenus.*

ANNO Christi 979. flagrantes in cœlo visæ sunt *acies, ac mutuis se vulneribus conficientes. Quæ res infelix*

illud

illud Otthonis II. Imperatoris cum Græcorum exercitu significauit bellum, vbi ipse cæsis copiis, fuga saluti suæ consulere coactus fuit. Sigebertus & Vrspergensis.

QVO anno Picti populi in Scotia ad internecionem *deleti sunt à Scotis, lituus Episcopi sacra Camelodunì, quæ Pictorum Regia erat, facientis, repentè arsit, vt nulla ratione extingui potuerit. Comites duo, autumno vnus Solem antecedens, Vere sequenti alter Solem sequebatur. Acies igneæ cœlo concurrere, ac subitò, altera profligata, euanescebant. Sereno medioq́ue die, tantus armorum equorumq́ue ac pugnantium strepitus in agris exauditus est, vt plurimos agricolas vtriusq́ue gentis exterruerit. Cardanus de Rerum variet. lib. 15. cap. 78. ex Hectore, &c.*

ANNO 1147. Imperatore expeditionem in terram *sanctam suscipiente cum principibus confœderatis, dira prodigia sunt conspecta, quibus varia belli incommoda denunciabantur. Nam vespere quodam nebula densissima cooperuit castra, & vniuersa papilionum tegmina, quæ sub dio fuerant, ita sanguine aspersa comparuêre, ac si sanguine pluisset. Paulò pòst in montis supercilio, tonitruum fragorem & tempestatis sonitus exaudiuêre. Deinde circa noctis medium torrens auctior erumpens, quicquid vallis humile continuit, temporis momento elutum in mare proiecit. Continuator Sigeberti, & Cuspinianus.*

OTTOMANNIAE familiæ calamitates, quas *circa annum Christi M. D. ab Ismaële Sopho Persarum Rega perpessa est, terræmotus ingens, quo mœnia Constantinopoli maiori ex parte collapsa sunt, præsignificauit. Iouius in Baiazete II.*

VARNENSEM cladem, in qua Vladislaus Hungariæ *Rex, Iulianus Cæsarinus Cardinalis, multi Episcopi, ab*

Amurathe II. Turcorum Imp. cæsi sunt, non obscurũ præcessit prodigium. Nam cum acies instructa starent, Bulgariam terræmotus inuasit magnus, & impetus ventorum turbine pleraq; deiecit vexilla. Cuspinianus.

QVVM Attila Hunnorũ Rex expeditionem in Romani *Imperij fines suscepisset, Deorum simularcha non solum noctu, sed & interdiu visa, quæ sibi pro se quemq; præcauere iuberent: sanguineæ è cælo guttæ defluxêre, bicipites infantes editi, sacra in plerisq; locis de cælo tacta. Vox nocte audita sæpè: Caue tibi Italia. Bonfinius lib. 3. Dec. 1.*

POSTQVAM Narses Italiæ præfectus (offensus *& acerbatus Sophiæ Imperatricis literis, quibus ei comminata fuerat, fore vt Constantinopolim reuersus, ne priuatus ageret, pensa distribueret ancillis) Longobardos in Italiam missa legatione vocasset, continuò horrenda prodigia in cælo conspecta sunt: vtpote igneæ acies in cælo apparentes. Diaconus. Sabellicus dicit, anno Iustini XIII. igneas acies per id tempus in cælo visas, sanguine manantes. Secutas quoq; inundationes, propter crebras imbrium tempestates. Rhodanum in Gallijs adeò exundasse, vt Arari suas infuderit aquas. Tyberim quoq; sua inundatione stragem dedisse. Et quod longè tristius est & horribilius, Alboinum ex Pannonia cum omni Longobardorum gente ingressum in Italiam. Hi per ducentos & quatuor annos sic terram Italiam afflixêre, tantisq; calamitatibus inuoluêre, vt necessarius imprimis fuerit Caroli Magni Francorum Regis aduentus, qui tantam pestem vnus sustulerit, vt tamen in hunc vsq; diem Longobardi nomen extingui minimè potuerit. Fulgos. libr. 1. cap. 4.*

ANNO Domini 729. vt Marianus Scotus scribit, *apparuerunt Cometæ duo circa Solem, multumq; intuentibus terrorem*

terrorem incutientes. Vnus Solem præcedebat manè orientem, alter verò sequebatur occidentem, quasi Orienti simul & Occidenti diræ cladis præsagi: vel certè vnus diei, alter noctis præcurrebat exortum, vt vtroque tempore mala mortalibus imminere signarent. Portabant autem facem ignis contra Aquilonem, quasi ad accendendum accliuem, apparebantque mense Ianuario, & duabus fermè septimanis permanebant. Quo tempore grauissima Saracenorum lues Gallias miserè vastauit, & ipsi non multò post in eadem prouincia dignas suæ perfidiæ pœnas luerunt. Beda lib. 5. cap. 24. historiæ Anglicæ, & Sabellicus Ennead. 8. libro 7. Aemilius libro 2.

ANNO 912. igneæ faces, stellæ micantes, ac hinc *inde oberrantes, magno hominum stupore visa sunt. Quæ res Vngarorum in Italiam incursiones deuastationesque notauit. Sabellicus extremis Sergij Pontificis Romani id factum ait temporibus. lib. 1. Ennead. 9.*

CVM Stephanus Papa in Franciam iret petitum *auxilium contra Aistulphum Regem Longobardorum, noctu vidit igneum globum, ab australi Galliæ parte, in Longobardorum fines excurrentem, anno Domini 752. Quæ res portendit Longobardis oppressionem per Francos.*

CIRCA 13. annum Imperij Iustiniani, cometa *pluribus diebus apparuit, prima quidem parte viri magnitudine in Occidentem versa, Posteriore autem longè maior in Orientem spectans: Solem in Capricorno existentem ipse in Sagittario sequebatur, Xiphiam vocant, quòd longè in acutum tendat, nonnulli pogonian. Haud dubiè Hunnorum sæuitiam & lanienam horribilem, quam in tota ferè Europa exercuerunt, eo ipso & sequentibus annis,*

designauit. Procopius libro secundo de bello Persico.

Qvo tempore Saraceni Italiam vastârunt, in Turingis *Galliæ arbor pedum quadragenûm altitudine, craßitudine bis septenûm, sua sponte in diuersum locum transijt. Anno qui eam cladem præceßit, in Gallia ante solstitium æstiuum, portentosa grando repente è cœlo deiecta est, in qua frustum glacie concretum, duodenûm pedum est repertum, latitudine senûm, binûm altitudine. Lotharius Ludouicum patrem fraude captum hostiliter vinxit, nec aliam sceleri prætexuit causam, quàm quòd Carolus, cui postea Caluo fuit cognomen, sibi ab eo in amore præferretur. Sabellicus lib. 9. Ennead. 8.*

Anno Heraclij vigesimo, vt Sigebertus annotat, *aut vigesimo tertio, vt Paulus Diaconus, per dies triginta in Palæstina terra mouetur, & in cœlo signum, quod* τοκίτης *appellatur, in modum gladij, à Mesembria vsque ad Arcturum sese extendit: Quo Saracenorum potentiam significatam volunt. anno Domini 632. Sigebertus.*

Tempore Michaëlis Comneni Palæologi Imp. *Luna Solem obscurauit. Tanta sub eius medium ortæ sunt tenebræ, vt multæ stellæ apparerent, quæ nimirum maximas & perniciosas Romanorum calamitates portendebant à Turcis imminentes. Gregoras lib. 4.*

Sacerdos quidam in Danorum terra, quæ dicitur *Alffsee, sacro aßistens altari, sublato calice sumpturus hostiam, vidit in calice sanguinis & carnis speciem, anno 1170. Consternatus itaque Pontifici ac Clero calicem exhibuit. Hic cum multi affirmarent, diuinitus id fieri ad confirmandam in plebe fidem, Pontifex rectius rem considerans, inquit, grauißimam Ecclesiæ imminere calamitatem, & plurimum sanguinis Christiani effusum iri. Cuius*

vaticinij veritatem euentus post dies quatuordecim comprobauit, exercitu Sclauorum irruente, ac omnia occupante, & Ecclesias subuertente ». Sigeberti continuator.

HAVD multò antè quàm Henricus VII. Imperator moreretur, *non sine Vicecomitum gentis clade, vt Musatus Patauinus scribit, Mediolani in area ædium Matthæi Vicecomitis, qui Magni cognomentum meruit, post Solis occasum visus est eques armatus longè humana specie maior: vbi à multis conspectus per horæ spacium, postea euanuit, magno eorum qui viderant, horrore. Triduò quoq; pòst, tertia hora eodem in loco, duo equites pari specie diu inter se dimicantes conspecti euanuerunt. Interdiu quoq; circularis species Solis orbem ambire visa est. Sabellicus lib. 1. cap. 4.*

ANNO 1494. Autumni mensibus, tota ferè citeriore *Gallia eiusmodi tempestates, tamq; continentes pluuiæ fuerunt, vt in Bergomatium finibus aqua denos quinos pedes præter consuetudinem excreuerit, ædificijsq; quamplurimis dirutis, ac pontibus lapideis abreptis, magnũ puerorum & mulierum, magnum etiam virorum numerum repentino impetu oppresserit. Neq; in Brixianorum finibus flumina non ingentem stragem ediderunt. Athesis quidem cum Veronæ vrbis magnam partem peruasisset, & complures domorum parietes subruisset, etiam pontem firmissimum medio in oppido deiecit. Medoacus & ipse ripas non vno loco transgressus, optimam Patauini agri partem illuuie vastitateq; fœdauit. Padus omnino vtrimq; ripæ vicinitates ita est depopulatus, vt omnia luctu & mœroribus impleuerit. Atq; hanc quidem esse quasi Deorum immortalium significationem, quæ Caroli VIII. Franciæ Regis in Italiam aduen-*

aduentum portenderet, omnes penè homines interpretabantur & prodigij loco ducebant: erantq́ permulti, qui maximè ad Venetos, quòd eorum regionibus & oppidis aqua magnum detrimentum intulissent, eam rem, atq́ id prodigium existimabant pertinere. Bembus lib. I. historiæ Venetæ. Eodem tempore in Apulia tres Soles noctu, in medio, sed nubilo per circuitum cælo, cum fulgetris ac tonitruis horribilibus visi. In agro Aretino innumerabiles armati viri, equis ingentibus insidentes, terribili cum strepitu, sonituq́ tympanorum ac tubarum, per medium aërem transire conspecti: compluribus in Italia locis sacras imagines & statuas sudâsse, hominum, aliorumq́ animantium monstra complura passim nata: alia item non pauca præter naturæ ordinem diuersis in partibus accidisse ferebantur: quæ omnia incredibili terrore mortales implebant, iam primùm ad Gallorum potentiæ famam eiusq́ nationis ferocitatem perterrefactos. Guicciardinus libro I. In Cisalpina Gallia manna pluit, hoc est, aëreo melle, ad medicinam salutari. Biennio ante, noua ægritudo inter mortales detecta, cui nec nomen nec remedia medici ex veterum authorum disciplina inueniebant, variè, vt regiones erant, appellata. In Gallia Neapolitanum dixerunt morbum, at in Italia Gallicum appellabant. Sabellicus lib. I. cap. 4.

IACOBVS Picininus, qui Venetorum copias *duxerat, cùm pace vbiq́ parta stipendio careret, in Hetruriam properans, Senenses iure paternæ amicitiæ, vt sibi auri viginti millia mutuo darent, missis legatis petit. Non exauditus, acies in eos conuertit, & ingressus Senensem agrum, pleraq́ oppida partim vi, partim proditione recepta diripuit. Hoc fortasse malum equulus ille*

ille prænunciauit, qui anno Iubileo ante portam eius vrbis, quæ Romam vergit, prægnans frequenti astante populo dum pareret, expirauit, erat enim Hermaphroditus, quamuis fœminei sexus nullum in eo vestigium cerneretur. Aeneas Syluius capite 55. Europæ.

In Peru cum nulli mures essent, sub aduentum *Blasci Numetz, qui eò à Carolo V. Imp. missus erat, repentè tanta copia illorum apparuit, vt maizum, cannas, arbores, cæteraq́ sata corroderent, molestia Hispanos, terrore Indos afficerent. Apparuerunt & locustæ inusitatum malum illi regioni, ne forsan aliquis de muribus contendat aduectos naui inde multiplicatos. Sed dirum fuit prodigium, namq́ acerbitate eius Ducis, & auaritia senatus, tyrannide verò Alfonsi Pizarri, factum est, vt infinita prælia inter Hispanos facta sint, direptiones vrbium, rapinæ, cædes, desolatioq́ ingens totius prouinciæ. Indi bello, fame, laboribus, ad internecionem fermè deleti. Cardanus ex Petri Ciezæ Tomo 2. historiæ Indorum.*

Anno 1508. mense Decembri, Cameraci fœ*dus contra Venetos percusserunt Rom. Imp. Maximilianus I. Galliæ Rex Ludouicus XII. Hispaniæ Rex Ferdinandus, & Iulius II. Pp. Sed præter hominum minas, multi vel fatales, vel fortuiti casus terrebant Venetos. Brixiensis arx de cœlo tacta, nauis à Senatu cum centum auri libris ad conducendum è Piceno militem Rauennam missa, nulla maiore vi maris aut cœli in mari submersa: tabularium Reipublicæ scriptis ac monumentis refertum, totum repentè corruit. Illud autem ingenti eos terrore compleuit, quòd eo die, eademq́ hora, qua comitia habebantur, siue casu, siue occulta alicuius fraude, ignis in armamentario, inq́ eo loco in quo nitrum seruatur accensus, quamuis ingens hominum*

Espagnols

multitudo ad eum extinguendum accurreret, venti vi & fomento ad eum nutriendum augendumq́ue apto adiutus, duodecim triremium corpora, & maximam tormentarij pulueris copiam absumpsit. Guicciard. libro 8. & Egnatius libro 1. cap. 5.

OLYMPIADE CII. Lacedæmonijs annos fermè *quingentos Graciæ imperium tenentibus, amittendi Imperij signum eis Deus antè dedisse videtur. In cœlo enim permultas noctes fax magna ardens conspecta est, quàm à figura trabem igneam dixêre. Paulò pòst verò Spartani graui de improuiso clade afflicti, imperium præter omnem spem amiserunt. Hanc facem tantum habuisse splendorem & luminis vim scribunt, vt vmbras more lunæ in terra efficeret. Diodorus libro 15.*

CVM Crœsus Lydorum Rex contra Cyrum Per*sarum regem æquo marte pugnasset, & Sardis se contineret, repentè omnia suburbana colubris impleta sunt, quos equi dum ad pascua irent, deuorârunt. Interea captus Crœsus à Cyro, & regno exutus fuit. Herodotus libro 1.*

SERGIO Galba profecto in castra, vt Pisonem *Cæsarem & successorem suum renunciaret, prodigia de cœlo exeunti magna statim oblata sunt. Hinc vbi in castris exorsus est orationem partim habere, partim de scripto recitare: toties tonuit & fulgurauit, tantaq́ue vis imbris & caliginis in castra & vrbem effusa est, vt liqueret non admittere neque comprobare Deos, neque felicem successum habituram adoptionem. Sexto die pòst Otho conspiratione Prætorianorum Imperator salutatus, Galbam interemit. Plutarchus in Galba.*

OBSIDENTIBVS Mediolanum arcem Gallis, apud *Gambalottum vicum, meridiano tempore duo equites in*

aëre

aëre humana maiores effigie inter se concurrere visi, victoremq; eum qui ab Gallia regione venisse videbatur, alterum continuo profligasse, frequẽtes agricolæ confirmârunt. Brennio quoq; amnis Ticini socius, qui ob terræmotum corruente ingenti montium mole, lacum supra Bellizonam nunquam antea visum biennio antè effecerat, quum excrescente in immensum aquarum multitudine, supra quadraginta stadia interclusa vallis occupasset, nec iam vllis obicibus teneretur, effracta rupe, patefactoq; exitu effusus, subiectam planiciem inundauit, eodemq; impetu & lapideum Ticini pontem, & nobilissimi operis munitionem, quam duplici contecto muro, & turribus admirabilem, Ludouicus Sfortia interuallo decem stadiorũ ab oppido in aduersos montes perduxerat, puncto temporis deiecit & abripuit. Inde per patentes campos horribili fragore delapsus, quum præceps Verbanum lacum peteret, cohortem Heluetiam in castra contendentem cursus celeritate deprehendit: neq; miseris repentina calamitate oppressis in proximos montes euadendi fortuna spacium dedit. Nam cum in superiore valle ædificia conscendissent, paulò pòst aucta profluentis violentia, conuulsis fundamentis, integra natante villa deuecti miserabiliter perierunt. Qua clade pulcherrimus centum stadiorum tractus, villis, satis, arboribus, armentis, multisq; mortalibus momento absumptis interijt. Arx ipsa capta, Maximilianus Dux, Francisci I. Gallorum regis armis pressus, deditione facta, in Galliam abductus est, liberiore custodia quàm Ludouicus pater, qui à Ludouico XII. captus in tetro carcere expirârat. Et hic finis clarissimæ Sfortiadum familiæ. Sabellic. Supplem. lib. 5.

ANNO M.D.X. ceciderunt è cœlo lapides circiter *M.CC. in agrum fluuio Abdua conterminum. Ex his vnus CXX. pondo, alius 60. pependit. Delati fuerunt ad Gallorum*

Satrapas pro miraculo plurimi, color ferrugineus, durities eximia, odor sulphureus: præcesserat in cœlo ignis ingens hora tertia: decidentium lapidum strepitus hora quinta exauditus, vt mirum sit, horis duabus tantam molem in aëre sustineri potuisse. Intra viginti menses pulsi Galli. Triennio pòst reuersi, iterum pulsi, Mediolanum, in cuius finibus ceciderant lapides, vectigalibus, incendio, fame, obsidione, peste nunquam aliâs vexatum grauius. Cardanus de Rerum varietate libro 14. cap 74.

ANNO M. D. XXI. Mediolanensis arx mense Iu*nio disiecta fulmine est. CXIII. homines enecti, portarum vectes fracti aut flexi, quanquam maximi: quingentis etiam passibus ab ea distantes ceciderunt homines in vrbe, qui tum erecti stabant: Pulsi sunt Galli mense Octobri proximo. Idem ibidem, lib. 14. cap. 70.*

ANTEQVAM tempore Michaëlis Paphlagonis *Imp. calamitates multis prodigijs significatæ regno Orientis acciderent, cuidam de ministris Episcopi insomnium oblatum fuit, prorsus rem ipsam repræsentans. Visus erat sibi videre eunuchum quendam albis vestimentis amictum, forma effulgente, qui tribus ipsi appositis saccis, ordine eos iuberetur aperire ac euacuare. Cumq; id faceret, è primo vim serpentum, viperarum & scorpionum erupisse: Ex altero rubetas, aspides, basiliscos, cerastas, & alias venenatas bestias: Ex tertio cantharides, culices, vespas, aliaq; aculeata animalia. Cum ad hoc spectaculũ obmutuisset, virum illum dixisse: Hac vobis accident, ob violata Dei mandata, & impium facinus in Imperatorem Romanum, eiusq; coniugem perpetratum. Cedrenus.*

EA tempestate, qua Andronicus Comnenus, *mortuo Manuele Imperatore, sub specioso tutelæ Alexij*

Porphy-

Porphyrogeniti, Manuelis F. prætextu, regnum inuaderet, Cometa in cœlo conspectus est, qui grauissimas clades, quæ consecutæ sunt, portendit, atq; ipsum adeò Andronicum expressit. Nam serpentem sinuosum repræsentans, nunc porrigebatur, nunc in spiras se colligebat, nunc cum horrore intuentium, quasi inferiores ex alto deuoraturus esset, rictum aperiebat. Sed cum non vltra diei illius reliquum & secutam noctem durasset, euanuit, tyrannidis breuitatem indicans. Nicetas.

ANNO 1447. cum Cazimirus III. Polonorum *Rex inaugurandus esset Cracouiæ, priusquam præparatum sibi solium ascenderet, controuersia inter Episcopos ac Duces Masouiorum Vladislaum & Boleslaum, de loco, vtri dextrum Regis latus tenerent, orta, reuerti Regem in arcem re infecta coëgit. Cessêre tamen postea Duces Episcopis. Accidit etiam res ominosa inter solennes ceremonias. Nam cum de pagis aliquot Tinecensi Monasterio subiectis pecudes pigneratæ ob negatam Regi nouo inusitatam procurationem siue stationem essent, mulieres rusticanæ pecudes suas secutæ, eiulatibus & lamentis non sine molestia & fremitu omnium templum impleuerunt. Monasterium quoque Mogilense, quo die Cazimirus Poloniæ fines attigit, totum fortuito incendio conflagrârat. Nec sanè fefellit omen, sensêre enim pressuram Ecclesiæ & Monasteria postea hoc Rege regnante. Posnaniam vbi rex aduenit, tota vrbs fortuito incendio absumpta est. Quam calamitatem infelicium ciuium, rapacitas regij comitatus auxit. Lublinum quoq;, Znena, Siradia, Bochna, & Xianzum oppida eodem anno arserunt. Cromerus libro 22.*

ANDREAS Dandulus, Dux Venetorum clarissimus, *principatu suo primò annonæ caritate, quæ antea cœ-*

perat Gradonico principe, laborauit ingenti. Hanc lues secuta est, quæ in Scythicis oris ortum primum acceperat, tam grauis, vt vix tertia Patriciorum & reliquorum ciuium pars superfuerit. Sed enim & terræmotu eo grauiore, quo diuturnior fuit, ita laboratum est, vt pleræq; sacræ turres vastatæ sint: ea verò qua ad Basilij fanum est, à media sui parte penitus conuulsa, vt cum superior pars in suam sedem redierit, inflexa tunc in hodiernum vsque diem duret. Quæ omnia haud dubiè Marini Faletri principatum portendisse creduntur, qui patriæ libertatem opprimendam susceperat, vt ipse vnus tyrannidem eam sibi vendicaret. Egnatius libro primo capite quinto.

CVM circa annum Salutis 427. bellum graue *Rex Persicus Varanes, Isdigerdis filius, per Narsæum ducem Romanis inferre moliretur, & in Nisibim exercitum ingentem contra Romanos deduxisset, Constantinopolitani verò anxij essent, angeli Dei circa Bithyniam, ijs qui Constantinopolim negociationis suæ gratia proficiscebantur apparentes, nunciare iusserunt, bono essent animo, & precarentur, Deoq; fiderent, victores enim esse Romanos: ac simul addiderunt, esse se belli eius dispensatores à Deo missos. Nec defuit euentus. Romani enim Persas Nisibi conclusos obsederunt, ex ijsq; multos occiderunt, Ducibus aliquot captis. Tandem etiam Saracenos, quos in belli societatem Vararanes Rex, suos apud Nisibim liberaturus, assumpserat, deuicerunt, cum inanem metum & perculsionem illis Deus immisisset, vt Romanorum exercitibus ceruicibus suis imminere imaginati, seipsos in fluuium Euphratem præcipitarent. Socrates libro septimo capite decimo octauo. Theodoretus libro quinto capite tricesimosexto etiam Constantinopolim à Vararane oppugnatam, innume-*

numerabilibus admotis machinis, tradit, sed solius Pontificis Eunomij precibus seruatam. Cumq; ex barbaricis Regibus vnus, diuinum se incensurum templum minitaretur, non tulisse rabiem illam Eunomium, sed fundam in mœnia constitui, applicatoq; ingenti saxo, in nomine eius qui blasphemaretur, immitti iussisse. Quod directè illatum in impium Regem, abominandum illius os, & totum caput comminuit, & cerebrum humi dispersit.

RHODII à Solymanno Turca grauiter pressi, *pacti incolumitatem vitæ rerumq;, deditionem fecêre, ipso die nato Christo sacro, anno humanæ salutis M. D. XXII. Eodem die atq; eadem penè hora, qua Rhodus dedebatur, saxum ingens è superiore limine portæ sacelli Pontificij in Vaticano prodigiosè decidit, cum Hadrianus VI. Pontifex vno aut altero non amplius passu à limine abesset, iam ingressurus pro religione diei, ad faciendum solenne sacrum, oppreßitq; duos ex Heluetijs, qui custodiæ eius adhibiti erant. Iouius.*

CVM Antiochus Epiphanes secundam expeditionem *in Aegyptum suscepit (à qua reuersus Hierosolymitanos miserè afflixit, templum compilauit, præsidium arci imposuit) Hierosolymis ferè per dies XL. in aëre conspecti sunt equites, cohortes armatæ, equitum turmæ & pugnæ, clypeorum motus, crebræ sudes, gladij districti, telorum iactus, aureorum fulgores armorum &c. 2. Macchab. 5.*

Apud Thebas Bœotias cum in templo Legiferæ *Cereris sub Leuctricæ pugnæ tempus(quãdo auspicijs Epaminundæ Spartanos vicerũt) araneæ albas circa valuas texuissent telas: adoriẽtibus iã fines Macedonibus ductu Alexandri Magni, excidiũ vrbi portẽdentes, nigro omnia opere compleuerunt. Pausanias. Signum hoc ante mensem tertium, quàm*

Alexan-

Alexander Thebas perueniret, accidit. Sub ipsum verò eius aduentum, statuæ quæ erant in foro, visæ sunt sudorem guttis prægrandibus emittere. Præter hæc magistratibus renunciatum est, stagnum, quod erat Onchesti, edidisse vocem mugitui consimilem, atque in Dirce horrendam quandam speciem cruentatam in summo aquæ supernatasse. Non defuerunt & alij ex Delphis, qui dicerent culmen ædis, quam Thebani construxissent, à Phocensibus visum esse sanguine suffusum. Vates dicebant, portendere telam illam, Deorum ab vrbe migrationem. Cælestis arcus speciem, molestiarum varij generis perturbationem. Sanguinem verò, qui in locis plerisq; comparuisset, cædis multæ ad Thebanam vrbem committendæ indicium esse. Diodorus libro 17.

V. p. 628. J. D. Gr.

SAGVNTI, antequam Hannibalis excidium passa est, inter magna & aßidua monstra, satis constat, infantem è matris vtero penè editum, in ipsum matris aluum reuertisse. Quod prodigium, quasi diuinatio futuri esset, teterrimum bellum & fatale excidium, ac imminens fatum, quo ad internecionem funditus euersa est, haud dubiè ostendit. Alexander ab Alex. lib. 2. cap. 31.

SALVTIS anno 935. Genuæ in vico cui Fonticulo nomen erat (nunc autem Bordigotus dicitur) iuxta portus molem, fons integrum diem sanguine manauit. Vrbs à Saracenis ex Africa venientibus capta ac direpta: Vngari Italiam ingreßi, longè omnia ac latè depopulati sunt. Platina, & Sigebertus.

ANTEQVAM Byzantium ab immanissimis Turcis terra mariq; oppugnaretur, compertum est, apud Comum citerioris Galliæ vrbem, vergente ad occasum die, ingentem canum multitudinem per aëra ferri, postq; di-

uerso-

uersorum pecorum armenta, species peditum, primò leuis armaturæ, deinde hastatos scutatosq́ subsequi, equitesq́ in turmas diuisos ingenti instructa acie prosecutos, horis fermè tribus imaginem aduenientis exercitus præbuisse. Demum corpore procero immanem & formidabilem hominem suprà quàm dici possit, veluti exercitus ductorem, terribili equo insidentem, processisse: aliaq́ ludibria oculorum per inane apparuisse, ingentia malorum prænuncia: donec nocte appetente, visio omnis illa dilapsa est. Quæ ostenta futurum excidium, cædem, & calamitatem, quæ postea vrgentibus fatis sequuta sunt, præsignâsse nemo dubitauit. Alexander lib. 3. capite 15.

Eo anno, qui aduentum Caroli VIII. in Italiam *antecessit, in vrbe Florentia Sanctæ Reparatæ fanum in sublimiori parte de cælo tactum fuit, lapidemq́ immensæ magnitudinis, quo fornix claudebatur, ad terram fulgur deiecit. Postera die mortem obijt Laurentius Medices, cuius opera plurimùm fines suos Florentini propagauerant. Aduenienti Carolo, Sergianæ, Petrasanctæ, ac Pisarum imperium Florentini amisêre: Laurentijq́ liberi, Petri culpa, qui inter eos maior natu erat, bonis omnibus spoliati, in exilium abiêre. Sabellicus libro 1. cap. 4.*

Ante Mexici siue Themistitanis excidium, in *quo pulcherrima vrbs cum habitatoribus deleta fermè est, obiectum est Moteczumæ eorum regi à regulis Tezcuco & Tlacopane, vestes & arma induisse similia his, quæ in cælo visa forent: Nam Ferdinandus Cortesius vestem & gladium Hispanicum illi inter reliqua munera miserat. Vixq́ eos placare potuit, mentitus esse arma maiorum suorum: vtq́ rei fidem faceret, obtulisse vt educerent gladium: quod cum illi nequiuissent, acquieuisse. Eò factum est etiam,*

vt publica voce ab his hominibus regnum euertendum prædicarent. Viderant & ex Orientis parte, vbi condita est colonia Hispanorum, veram crucem, flammas igneas ascendentes, & hominem qui capite cœlum attingere videbatur, quod non parum eos perterruit. A mari quoque pluribus diebus exorientem lucem duabus horis ante diem: Cometes is erat, cumque cœli medium obtinuisset, subitò euanescebat. Tertio anno antè inundauit mare terras illas, effusis maximis piscibus, non sine omnium admiratione. Cardanus de Rerum varietate lib. 15. cap. 78.

ANNO 1912. apparuit Cometa, præter morem *rutilantior: quem maxima apud Saxones aquarum exundatio insecuta est. Ac circa idem etiam tempus, à Francis imperium ad Saxones translatum est, quod sine magnis motibus, multoque sanguine fieri non potuit. Honorius in Chronico.*

ANNO 370. Hæresis immanis admodum, & à *latrocinio nihil differens, quorundam obsedit animos, qui mutua cæde in seipsos grassantes, Martyrij coronam se adepturos sperabant: Multi sponte sua in ignes se coniecêre, in aquas deturbârunt, ex praaltis rupibus se præcipites dedêre. Adhæc in itineribus in viros & fœminas incidentes, passim eos, quatenus viribus ipsis præstitêre, trucidârunt, se gratum ea ratione Deo cultum præstare, si Martyrum augerent numerum, ex Satanica religione persuasum habentes. Hos Augustinus vocat Circumcelliones.*

ALBIGENSES, qui & Albiani, eodem cum *Manicheis furore acti, sub pontifice Innocentio tertio, Deum alterum bonum, alterum malum statuebant. Resurrectionem negabant, omnia Sacramenta contemnebant,*

animas

animas hominum, quamque pro suo merito, vel in porcum, vel vaccam, aut serpentem, vel agricolam, aut principem transmigrare affirmabant. Tanta erant Satanicæ huius Hæreseos incrementa, vt mille fermè ciuitates veneno suo inficeret, adeoque vniuersam Europam peruagata esset, nisi omni vi, adeoque ferro repressa fuisset. Tanta enim erat vanissimorum hominum, qui huic sectæ addicti essent, vanitas, vt cum à Christianis in ciuitate Bideris obsidione premerentur, lotio libros, in quibus Euangelica historia conscripta erat, conspersos, de muris ad Christianos abÿcerent: Ecce: inquientes, legem vestram. Alÿ Tholosæ ex fœda impietate aluum in summo templo ante altare exonerabant, araque velaminibus coinquinatum corpus detergebant. Alius vxorem altari impositam, ante Christi simulachrum stuprauit, mox simulachro brachia amputauit, funique alligatum per ciuitatis plateas raptauit, deinde non sine blasphemÿs & execrationibus de muro suspendit. Tanta clade oppressi sunt hi Hæretici, vt eorum vltra centum millia partim cæsi, partim flammis consumpti fuerint.

GORDIANVS senior Aphricæ Proconsul, à *pœnis, atque exercitu aduersus Maximinorum crudelitatem Imperator creatus, cum filium eodem, quo ipse nomine, contra Capellianum Maximinorum Ducem misisset, accepissetque victum eum, atque cæsum fuisse, præ mœroris magnitudine clam se in cubiculo suspendit. Campofulgosus lib. 5. capite 7.*

CARTHAGINENSIVM matres, cum tertio *bello Punico, ex omni nobilitate lectissimi adolescentes obsides in Siciliam mitterentur, eos fletu & lamentatione querula sunt ad naues vsque comitatæ. Tum ex his*

quadam à filiorum complexibus auulsæ, vbi oram solutam vidêre, nauimq́ portu egredi, dolore stimulante, in subiectos fluctus desiluêre. Sabellicus.

J. D. Cr
v. p. 624

HANNIBALE Saguntum oppugnante, *Mopsus Cretensis cum duos filios prælio cæsos esse comperisset, seipsum de turri præcipitem dedit, filijs in morte se comitem addens. Sillius libro 2.*

PROSCRIPTVS à Triumuiris Arantius, cum *petere Siciliam statuisset, vxoris suasu filium ipsum quoq; proscriptum præmisit, qui cum nauem conscendisset, atq; aduersa tempestate actus, neq; procedere posset, neq; retrò ad terram reuerti, ita eum fato vrgente, fame consumptus est: Quod cum mater intellexisset, magis eam premente dolore, quia eius consilij ipsa autrix fuerat, haud multò pòst seipsam interemit. Campofulgosus libro quinto, capite septimo.*

OCTAVIVS Balbus proscriptus à Triumuiris, *cùm domo clam esset egressus, iamq́; fugæ expeditum initium haberet: postquam intus filium trucidari falso clamore viciniæ accepit, ei se neci quam euaserat, obtulit, occidendumq́; se militibus tradidit.*

INO Athamantis vxor, cum capitali odio priuignos *suos, Phryxum & Hellen, insectaretur, insidijs rem aggressa, apud agricolas effecit, vt semina prius tosta sererent: Vnde cum agrorum sequeretur sterilitas, famesq́; Cadmæam terram premeret, Rex missis ad Apollinem legatis, calamitatis vrgentis & causam & auerruncatorem sciscitabatur. Ibi Legatis persuasit iniqua fœmina, vt Apollinem respondisse constanter affirmarent, sanguine Phryxi & Helles, Deos placandos esse. Qui rumor vbi emanauit, vno ore eos sacrificari postulant, vt placato numine à graui*

à graui calamitate terra liberaretur. Pater in postulata populi consentire coactus, clam liberos, vt fuga salutem quærerent, admonet. In fuga, filia Helle fluctibus submersa perijt. Phryxus incolumis Colchos delatus est. Hanc mulieris impietatem grauis excepit Nemesis. Athamas furore correptus filium Inus paruulum Learchum parieti illisum interfecit. Mater Ino furorem mariti fugiens, altero filio Melicerta trepidè arrepto, cum eo ex scopulo in fluctus marinos se dedit præcipitem. Vide Bocatium libro decimotertio, capite 67.

PHÆDRAM Hippolyti nouercam furiæ Veneris *vsq; adeò torruerunt, vt spiritum laqueo sibi interceperit, quòd priuigni (cuius amore æstuabat impatienter, pruriebatq;) concubitum non posset exorare. Moriens tamen scelerata mulier, literas reliquit, quibus Hippolytum stupri accusabat, suæq; mortis vocabat autorem. Hoc vbi resciuit Hippolytus, statim metu patris Thesei properè aufugit, & in fuga discerptus est ab equis.*

IN MARCHIA improba quædam mater, furijs *agitata diabolicis, maritum suum vnà cum duobus filijs interfecit, & cadauera, suspensis de collo eorum prægrandibus saxis, in flumen Oderam proiecit.*

ANNO tricesimo sexto, supra sesquimillesimo, *in pago Silesiæ Kützendorff, mulier quædam Satanico furore plena, ternos liberos, absente marito, portentosa crudelitate interfecit, deinde sibi ipsi quoque manus intulit.*

IN noua Marchia, cum mater quædam infantulum *lauans, puerum cultro se læsisse, matrisq; auxilium moribundum implorare audiret, trepidè ad puerum accurrit, non habita ratione infantis, qui in labro interim suf-*

focatur: Spectaculo huic maritus interueniens, statim conspectam coniugem pugione confodit, eius enim socordia perijsse infantem arbitrabatur. Cognoscens postea causam, cur ab infante coniunx discessisset, seipsum strangulauit.

ANNO 1540. in pago quodam non procul ab *Anneberga rusticus mactans vitulum, liberos tenellæ adhuc ætatis mactationis spectatores habuit. Breui pòst, patre digresso, ipsa quoque mater suis intenta laboribus domo egressa est, relictis intra ædes liberis, & infantulo in cunis sopito. Pueri itaque more suo ludentes facinus omnes tragœdiarum calamitates superans committunt, cultro siquidem arrepto iugulum infantulo dissecuêre, haud dubiè gratulabundi interim cantantes: Et nos quoque vitulum mactabimus. Mox vbi sanguine emisso infantulum videre mortuum, terror eos inuasit, pauidi itaque disquirentes latebras, tandem in fornacem prorepsêre. Interim mater nihil mali suspicata domum reuertitur, & prius, quàm hypocaustum intret, stipularum manipulum incensum in fornacem conijcit, simulque hypocaustum ingreditur: ibi miserandum conspicata infantuli cædem, territa, cum fœmineo vlulatu extra ædes prouolat, vicini trepidè aduolant, causam tantæ eius perturbationis inquirunt. Eos illa in hypocaustum introducit, infantulum mactatum monstrat, quem dum cunis & fascijs euoluunt, mater reliquorum liberorum præsentiam desiderat, quos cum anxiè omnes disquirunt, tandem eos in fornace fumo iam necatos offendunt. Iob. Fincelius lib. 2. de Miraculis.*

ANNO quinquagesimo primo, supra sesquimillesimum, *non procul ab Escheuve, quod Hassiæ est oppidum, in pago* Weidenhaussen / *Nouembris vicesimo, fœmina*

mina quædam immanibus cœptis effera, vndiq; ædes suas firmiter obserauit, hinc liberos suos, quorum erant quatuor, trucidare aggressa est. Arrepta itaq; acuminata ascia, filium primogenitum, annos natum octo, insequitur, qui in cellam fugiens post vastum latebat dolium. Mater accenso lumine, omnes perscrutatur cellæ angulos: puer matrem accedentem conspicatus, sublatis manibus, miserandoq; eiulatu matris sæuitiam deprecatur, sed nihil illa nec lachrymas nec preces curans, caput pueri fortiter diffindit, brachiaq; eius minutatim dissecat. Qua cæde perpetrata è cella prouolat, arreptamq; filiolam quinquennem pari immanitate trucidat, capite, brachijs, pectore dissectis. Post ianuam latebat puellus triennis, quem vbi furibunda aspexit, arreptum crinibus in mediam aream protraxit, caput ei amputans. In cunis iacebat infantulus, sex menses natus, qui vel ploratu suo animum matris molliret, eum è cunis extractum, extra hypocaustum in aream mediam abijcit, & simili immanitate truncat. Tot perpetratis cædibus cultro arrepto gulam sibi ipsi transfigit, quo tamen ictu statim non extincta est. Interim vicini miserando ploratu & clamore audito, vi in ædes irrumpunt, facinusq; illud atrocissimum attoniti & horrore obstupescentes intuentur. Mulier ad seipsam rediens, per nouem adhuc dies superstes, in peccati agnitione, & fide in Christum mortua est. Fincel. libro 1.

ANNO quinquagesimo supra sesquimillesimum, *in superiore Alsatia, quidam Adamus Steckmannus, qui pro mercede vineas colēs victū quærebat, cum mercedem ab hero acceptā alea insumpsisset, in magnam animi ægritudinem, tandē etiam, accedentibus capitis doloribus, in desperationem incidit. In festo Paschatis, neglecta religionis cura, vxor*

eius,

cius, assumpto filio natu maximo, vineam consuetis laboribus intenta egreditur, reliquorum liberorum curam marito demandat, qui cum solus indulgeret cogitationibus, victus cura desperabundus angitur, eoq; anxietatis adigitur, vt de morte sibi inferenda cogitare inciperet. Arrepta itaque securi, locum circumspicit, in quem clauum infigat, de quo se suspenderet, cumq; nusquam commoditas se ei offerret, interim filiam septennem obuiam habet, cui quærenti, cur per ædes irrequietus discurrat, nihil respondit, sed tacitus in conclaue irrumpit, insequitur eum minor natu filiolus panem à patre petens: Cui pater, Affer cultrum, inquit, & quod petis, dabo. Protinus filia maior natu accurrens, cultrum ei porrigit, quo ille accepto liberos omnes interficit, primo ipsam puellam, hinc filiolum, denique infantem in cunis cubantem. Mox domum reuersa vxor, tam immanem conspicata cædem, exanimata concidit. Parricida comprehensus, ignita forcipe ter notatus, hinc rotæ innexus est. Idem libro secundo.

ANNO quinquagesimo quinto, supra sesquimillesimum, *quidam prope Aldendorffium Hassiæ, mentis parum compos, cum ab vxore cibum flagitaret, nec eam, quæ alijs rebus occupata esset, protinus expeditam videret, infantulo in cunis dormienti femur præcidit, idq; matri porrigens, Cape, inquit, hunc armum & assa. Caspar Goldtvvurm, de Miraculis.*

EODEM anno Budingæ, in Comitum Isenbergensium *diœcesi mulier partui vicina, cum à marito suo comiter peteret, vt, quas parturienti sibi adesse vellet, humaniter inuitaret, ille vxorem conuitijs adortus à se repulit, & tandem pugione confodit, infantulum simul in*

vtero materno interficiens. Ibidem.

ALEXANDER Macedo nimiam exercuit sæui-*tiam erga Callisthenem Philosophum suum condiscipulum sibiq́; familiarissimum. Nam cum is ex Persico more Deorum vice cuperet adorari, fuit inter recusantes acerrimus Callisthenes. Alexander verò statim Callisthenem coniurationis conscium fuisse criminatus est, eumq́; truncatis membris, abscissisq́; auribus, labijs ac naso deformatum, post varia tormentorum genera, de medio sustulit. Quæ sanè Callisthenis mox Alexandro crimen erit æternum, quod nulla virtus, nulla belli felicitas vnquam redimet.*

MVNATIVS FLACCVS Pompeiani nomi-*nis defensor, cum ab Imperatore Cæsare in Hispania inclusus mœnibus Attinguensium obsideretur, omnes eius oppidi ciues, quos studiosiores Cæsaris senserat, iugulatos muris præcipitauit: Fœminas quoque citatis nominibus virorum, qui in contrarijs castris erant, vt cædes coniugum suarum cernerent, & maternis gremijs superimpositos liberos trucidauit: Infantes alios in conspectu parentum humo infigi, alios superiactos pilis excipi iussit. Quæ auditu etiam intolerabilia, Romano iussu Lusitanis manibus administrata sunt, &c.*

TETRA prorsus & infanda fuit crudelitas *Gerardi Mansfeldiæ Comitis, qua aduersus Monasterium Ordinis Cistercienſium* Sittenbach *sæuijt, non enim solum funditus illud euertit, soloq́; æquauit, sed ipsum quoque Abbatem pertica alligatum, candentibus vtrinque prunis congestis assauit, & reliquos fratres atrocibus affectos supplicijs omnes interfecit, eam solam ob causam, quod Fridericum Misnia, aduersus quem hostili erat affectus animo,*

hospitio dignati essent: nec miseris profuit vel praeceptum, quod ordini hospitalitatis iniungitur, vel necessitas, quod valida armataq; manu, aduentantem Marchionem tecto arcere nequaquam potuerint. Anno Christi 1364. Crantzius libro nono capite tricesimotertio.

SVB HENRICO Quarto, cum vno anno Hierusalem *bis capta esset, primò à Saracenis, deinde à Francis, qui Saracenos eiecerunt: Tanta in posteriore bello Saracenorum strages facta est, vt victores in porticu, quae dicitur Salomonis, & in templo eius in sanguine Saracenorum vsq; ad equorum genua equitarent.*

FRANCI qui Hierosolyma occupârant, cum *Babyloniorum Regem cum innumeris paganorum copijs exitium vrbi minari, ipsosq; omnes captiuos abducturum certò resciuissent, vltrò hostibus, qui Ascalone erant, obuiam contenderunt, relictis sarcinis & infirmis Hierosolymis cum praesidio. Cumq; hostium exercitum conspexissent innumerabilem, flexis genibus Deum inuocârunt, vt is fractis hostium viribus Ecclesiam suam protegere & dilatare velit. Nec mora, Deus clamantibus adfuit, tantasq; vires ijs subministrauit, vt licet quinque tantum millia equitum, peditum verò quindecim millia in eorum exercitu essent, non dubitârint innumeras hostium copias vltrò ad praelium lacessêre. Erant autem in hostili exercitu centum millia equitum, & CCCC. millia peditum. Cui tantae multitudini tantum terrorem immisit Deus, vt abiectis armis vltrò fugerent. Ceciderunt ibi plus quàm centum millia Maurorum gladio, in porta ciuitatis ad duo millia suffocati sunt. Eorum qui in mari interierunt, non est numerus. Abbas Vrspergensis.*

Anno

ANNO sexagesimo tertio, supra millesimum quadringentesimum, Moguntia perpessa est cladem, eò quod Episcopo Diterico Isebergio deiecto, in locum eius coaptasset Pontifex Adolphum Nassaënsem. Ludouicus enim Bauarus cognomento Niger, noctu clam admotis scalis mœnia conscendit, deinde circiter mille eius milites stramine cooperti vrbem inuecti sunt, qui subitò erumpentes igne & ferro formidabiles, ciues vt traditis armis sacramento se Duci obstringerent, compulerunt. Deinde in Iudæos & Sacrificulos grassati omnes, nisi qui fuga elapsi salutem quæsiuissent, trucidârunt. Chronicon Moguntinum.

ANNO sesquimillesimo Turca obsidione arctissima Modonam Peloponnesi littoralem ciuitatem cinxit. Cumq; sæuienti violentiæ ciues resistere non possent, seipsos Domino holocaustum offerre maluerunt, quàm viui in hostium manus peruenire: ideoq; incensis ædibus tam viri quàm fœminæ vnà cum pueris seipsos cremârunt. Quædam etiam mulieres vnà cum pueris in mare se dabant præcipites, vt hoc pacto hostilem effugerent captiuitatem. Munsterus libro 4. Cosmograph.

ANNO 1521. Solymannus Belgradum totius Vngariæ propugnaculum expugnat. Qua victoria elatus tyrannus, quadringentis nauibus, & ducentis Turcarum millibus instructus, Rhodum insulam occupat, cum maxima quidem sua gloria, sed summo omnium Christianorum vituperio. Tantis elatus successibus Solymannus, anno supra sesquimillesimum, vicesimo sexto, cum formidabili exercitu, in quo ducenta virorum millia ducebat, Pannoniam aggreditur, consertoq; prælio ad Mogaciũ, inter Budam ac Belgradum regem Ludouicum iuuenem, & auxilijs omnibus

destitutum in fugam vertit, multis illustribus viris trucidatis (nec enim vltra viginti quatuor virorum millia in exercitu erant Vngarico) Rex in fuga cum in equo vasto, ipseq; grauibus armis onustus, ad non magnum amnem venisset, vno modò comitatus, qui ante eum, vt postea narrâsse fertur, in vlteriorem ripam euaserat, transiturus & ipse, præcipitato equo, in aqua & limo suffocatur. Corpus exanimum postea ibi repertum, cum magno ciuium luctu in Alba Regali sepulturæ mandatum est. Solymannus victoria metuendus & ferox, derisa hostium temeritate & imprudentia, vsusq; fortunæ prosperitate, Albam Regalem octauo Septembris occupat, omnia ferro & igni deuastans, crudeliter ciuium corporibus dissectis. Hinc rectà Budam contendit, vrbeq; & arce per deditionem occupata, contra datam fidem, in omnes cuiuscunq; essent ætatis vel sexus, ferro crudeliter grassatur, nemineq; furori eius resistente, per totam Vngariam barbaricam exercet sæuitiam. Matronas & virgines turpiter ad stupra rapiebant, quibus promiscua lassatis capita tandem humeris auulserunt. Peucini, vulgò quinque ecclesienses, germanicè Fünffkirchen / *per duo milliaria tyranno obuiam egreßi, clementiam eius supplices implorarunt, veniamq; rogantes, vltrò ciuitatis claues obtulêre. Tyrannus in forum conuocatos immißis perfidè militibis trucidauit, & citra omnem misericordiam in frusta minuta eorum corpora dissecuit.*

ANNO supra millesimum quingentesimum se*ptimo decimo, in Marchia Vandalorum rustici mota seditione aduersus nobiles & prælatos, à quibus intolerabilibus premebantur exactionibus, insurrexêre. Ferunt circiter nonaginta rusticorum millia conuenisse, qui in arces*

ædificia nobilium impreßione facta, omnia demoliebantur, & solo æquabant, ipsos Nobiles, quoscunque apprehenderent, varijs tormentis affectos, capitibus tandem truncabant, capita hastis infixa, vt victoriæ & crudelitatis signum circumgestabant. Ad hanc rusticorum sæuitiam Imperator Maximilianus primùm nonnihil conniuebat, eò quòd Nobiles iniustis exactionibus Cæsareæ Maiestatis mandatum prætexuissent. Verum vbi plebs insana pro more suo nullum furori modum faceret, & paßim etiam in insontes grassaretur: Imperator octingentos tantum milites, ex eorum grege, qui vitam & mortem iuxta æstimantes, & famam & vitam lucro venalem habent, additis aliquot equitum turmis, ad compescendam rusticorum insaniam mittit. Milites isti cum oppidulum quoddam occupâssent, rustici protinus instar locustarum coaceruatim aduolant, tantisq́; densantur agminibus, vt milites veriti ne circum oppidum coaceruatis lignis & arboribus oppidum totum flammis rustici consumerent, ex desperatione potius, quàm aliqua spe victoriæ portis egreßi in hostile agmen ruerent: Ibi diuinitus seditiosos tantus inceßit terror, vt sine ordine velut timidi lepores, aut trepidantium ouium greges hinc inde dispergerentur: Milites properè insequentes trucidando & confodiendo inermem turbam fatigabantur. Qui fuga euaserant, ij deinde comprehensi partim viui dissecabantur, partim verubus infixi, vel de arboribus turmatim suspensi, vel flammis iniecti interficiebantur. Hic exitus fuit turbulentæ rusticorum seditionis, quæ tantam regioni cladem intulit, vt hodiernum adhuc in diem eius maneant vestigia.

TVBINGÆ viator quidam cum inter pocula *de itinere sibi conficiendo loqueretur, inter cætera ignotam*

inquit sibi esse viam, quæ per proximam ducat syluam, ideoq́ue se optare comitem, cui viarum perplexitas esset cognita. Ibi aßidens latro: Me, inquit, habebis comitem. Nam & mihi per syluam iter faciendum, & via est notißima. Ambo itaq; cum syluam ingreßi essent, latro prædæ inhians viatorem incautum opprimit & trucidat. Verum spe sua frustratus paucißimos obolos reperit. Itaq; inter crebros gemitus in diuersorium redit. Interim rumor spargitur de interfecti hominis cadauere in sylua reperti. Homicida cum perpetratum facinus suspirijs suis proderet, capitur, & se autorem homicidij confessus ad supplicium rapitur. Manlius in collectaneis.

Civis quidam Cygnæus in vallem Ioachimi*cam profectus, cum propter conficienda negotia quædam metallica, tum vt pecuniam reciperet, quæ ex venis metallicis ei debebatur, domum inde reuersurus à fratre petit, vt se per syluam proximam comitaretur, eò quòd solitudo molesta esset. Qui facilem se fratri præbuit comitem, cumq́ue in syluam ventum esset, petijt decem sibi Ioachimicos à fratre mutuo dari. Verum ea in re se ipsi modo non posse gratificari, respondet alter, eò quod creditoribus certam, de ea pecunia quam accepisset, solutionis spem fecisset. Quo ille accepto responso, paululum retrogressus est, & mox incautum glande è bombarda emissa transuerberat, spoliatoq́ue cadauere domum redit. Postridie trucidati hominis cadauer in sylua iacere magistratui annunciatur, qui motus coniecturis minimè vanis interfecti fratrem comprehendit, & statim parricidium ille confessus est, petens quàmprimum sumi de se supplicium, vt à grauißimis conscientiæ cruciatibus liberaretur. Et quidem in pia inuocatione mortuus est, turbamq́ue astantem hortatus vt securitatem, Sacra-*

mento-

mentorumq́ contemptum ex animis eijcerent, se enim in tali securitate, quâ à communione cœnæ Domini abstinuerit viuentem, à Diabolo ad talia scelera perpetranda impulsum esse. Dicebat idem, visum sibi esse in egressu syluæ, se à fratre interfecto vocari. Idem.

IN CELEBRI Germaniæ oppido, in nuptiali *festiuitate virgo ad choreas à iuuene quodam sartore deducta fuerat: Quæ cum domum reducenda esset, fortè aberat iuuenis iste, itaq; ab alio studioso iuuene domum reducitur. Paulò pòst adueniens sartor, vbi virginem ab alio domum deductam esse vidit, se contumelia affectum ratus, ad paternas puellæ ædes properat, & dissimulata animi sui commotione, humaniter studiosum euocat, qui nihil mali suspicatus, inermis egreditur, protinusq́ stricto gladio incautus à sartore confoditur. Pater audita filij sui, quem vnicum habebat, morte, triduò pòst ex animi mærore extinctus est, & vnà cum filio in idem sepulchrum reconditus. Mater sartoris parricidæ itidem præ mærore mortua est. Ipse verò parricidij autor in desperationem incidens in profluentem amnem se præcipitem dedit. Idem.*

IVDEX quidam Hispanicus, cum factum esset ho*micidium, & plures vnà adfuissent, singuli verò se excusassent, singulos iussit nudare pectora, & palpauit ipsorum corda. Cumq́ sensisset in vno maiorem cordis tremorem, inde coniecturam sagacimente faciens: Tu, inquit, perpetrati homicidij autor es. Qui malè sibi conscius scelus statim confessus est, & ad supplicium ductus. Idem.*

ANTVERPIÆ quidam diuitijs affluens, credi*torem, cui magnam pecuniæ summam debebat, in ædes suas accersitum, clam interficit, sumpta prius ab eo chirographi*

cautela,

cautela, qua debitum omne dissolutum esse testaretur. Magistratus, cum nuspiam creditor iste appareret, in singulis ædibus de eo inquisitionem fieri curauit. Homicida conscientiæ angoribus agitatus, cum timeret ex sepulchro recens intra ædes suas facto homicidium detectum iri, effossum cadauer in proximum puteum abijcit. Fortè in vicinia vetula quædam id conspicata, magistratui quæ vidisset annunciauit. Magistratus abiectum cadauer inquiri per lictores iubet. Quo inuento, autorem homicidij comprehensum in illa sella, in qua alterum occiderat, in medio foro supplicio affecerunt. Idem.

SIMON Turcus Lucensis mercator, à Iohanne *Baptista Deodato populari suo vulnus in facie acceperat. Simulata reconciliatione vindictam meditans, cathedram confici curat, quæ sessorem arctißimè constringeret. Inuitatus in viridarium Deodatus & sellæ affixus, multis vulneribus à Simone confossus est. Tandem deprehenso scelere miro casu, Simon publicè in eadem cathedra totidem vulneribus confectus est, sub annum Christi 1555. Cardanus libro 11. cap. 1. de varietate Rerum.*

ANNO quinquagesimo sexto supra millesimum *quingentesimum, vir nobilis magnis affluens opibus, non procul ab Augusta Vindelicorum, puerum Aethiopem aluerat. Cumq; aliquando abesset domo nobilis, de nocte consurgens Aethiops, coniugem, totamq; familiam, excepta filiola domini, interemit. Postridie reuersus Dominus, ædes præter moram clausas offendit, cumq; propius equo vectus accessisset, se illi obtulit in domus fastigio Aethiops aspectu truculentißimo, & his verbis eum alloquitur: Scis homo crudelißimè, quomodo me quondam innocuum tractaueris, quod sanè in hunc vsq; diem memoria retinui.*

Illam

Illam iniuriam de tuis nunc demum vindicaui. Ecce enim partem de cadauere tuæ coniugis, quam cum tota familia occidi, excepta filiola, quam viuam reliqui, tibiq́ restituam, si mihi incolumitatem vitæ promiseris. Pater extremè perturbatus, homicidæ incolumitatem promittit. At ille per fenestram infantem ante pedes patris proijcit: Scio, inquiens, quòd fidem mihi non es seruaturus, iam satis in temetipso & tuis illam iniuriam vltus, moriar & ego, & sic se de fastigio ædium præcipitem dedit. Rem ita gestam narrauit Philippo comiti à Nassau, Damianus Knebel, Secretarius comitis de Hana.

VIENNAE Austriæ seruus pistoris, cum hero the-*saurum & mediocres esse facultates sciret, discessum simulauit. Deinde paucis diebus elapsis, noctu clam in domum pistoris redit, excitatoq́ strepitu, famulum progredientem ex insidijs oppressum interficit, simili modo ancillam interimit. Eodem deinde furore ingressus cubile, pistorem cum coniuge trucidat, nec contentus tot cædibus, filiolam etiam clamantem, ô mi Paule, parce mihi, omnia tibi dabo mea crepundia, occidit. Deinde ex effractis cistis, pecuniam cui inhiârat, rapit, celeriq́ fuga ad Ratisbonam vsq́ euasit. Postridie cum vicini totam diem clausam esse domum mirarentur, ex consilio Senatus fores effringunt, & cum horrore & trepidatione tot strata cadauera aspiciunt. Cumq́ Ratisbonam versus latronem profectum esse fama ferretur, Senatus, qui eum inuestigarent, aliquot emisit, qui comprehensum latronem Viennam reduxerunt, ibi affixus verato vel palo, parricidij pœnas luit. Fertur autem inter tormenta dixisse, nullum se maiorem sustinere cruciatum, quàm vocem puellæ animo obuersantem, per crepundia vitam deprecantis.*

In pago Lipsiæ proximo Kolgarte; quidam patrem & matrem familiâs cum liberis interfecerat, raptaq́; pecunia aufugit. Cum verò comprehensus esset, & Lipsiæ de eo sumeretur supplicium, se potus cibiq́; expertem triduo sub scalis latitâsse, cademq́; nefariam agitâsse animo, cumq́; ab atroci adeò scelere abhorreret, sibi auditam esse dixit vocem susurrantem, fac, fac; eaq́; voce afflatum & impulsum esse ad perpetrandum quod animo conceperat facinus, perpetratoq́; scelere, aufugere non potuisse, affirmauit. Manlius.

Anno quadragesimo tertio supra sesquimillesimum, Vitus Theodorus Noriberga missis literis atrocissimum hoc facinus retulit. Straubingæ vidua à quodam Scholastico impregnata, cum baptisandum infantulum in templum misisset, Parochus eius loci, vt infantem baptisaret, adduci non potuit, nisi pater indicaretur: is cum ignoraretur, infans baptismo non initiatus è templo ad matrem relatus est, quæ desperationi furorem addens, infante trucidato seipsam laqueo strangulauit. Scholasticus infantis pater, vbi tragicum matris facinus comperit, seipsum gladio confodit. Parochus his auditis, se causamq́; caputq́; horum malorum agnoscens, in desperationem incidit, & sibi quoq́; ceruices laqueo fregit. Idem.

Cygneae infans cum manu teneret cultrum, lapsus ei incubuit, & ex casu isto mortuus est. Pater domum reuersus, subito incensus furore, coniugem occidit. Postremò in desperationem incidens sibi ipsi manus intulit. Idem.

Mvlier ætatis adhuc integræ, cum mortuo marito, sibi filijsq́; duobus victum suppetere posse dubitaret, nec manuum labore tantum acquireret, unde se & liberos sustentaret, ostiatim victum mendicare coacta est. Verum

cum

cum & ea ratio parùm eius votis responderet, quin etiam contumeliosè à quibusdam verba in eam ingererentur, clamantibus iuuenculam eam esse, & robustam, eiq́; laborando rectius quàm mendicando cibum quæri: Illa his irritata verbis, in extremam tandem desperationem incidit, domumq́; reuersa, cum acerbè ploraret, Eamus, inquit ad liberos, & nos vnà in amnem præcipites demus, cùm vnde viuamus nobis haud suppetat. Cui liberi, te quocunq; placuerit comitabimur. Alterum itaq; filiorum humeris imponens mater, alterum manu ducens vrbe egressa est, deiectosq́; de ponte in Albim liberos, secuta est. Res gesta anno supra sesquimillesimum quadragesimo septimo.

PAVCIS ab hinc annis Rusticus pileo gestans *cristas gallinaceas, Nobili factus est obuiam. Nobilis sibi dari petit cristas. Cui Rusticus: Cur mi frater hoc munus tibi negarem? Nobilis se à Rustico fratrem vocari iniquè ferens, è vestigió glande bombardica eum transuerberat.*

DVX quidam fratrem suum fame necauit, in fa*stigio arcis cauea cancellata inclusum, vbi in nonum vsq; diem inter horrendos & miserabiles clamores detentus, dira morte extinctus est.*

ANNO trigesimo quinto supra sesquimillesi*mum, non procul à Monasterio VVestphaliæ hoc extremæ atrocitatis facinus perpetratum est. Mulier partui vicina in pagum proximum egressa est, vt peccata sua confiteretur, & iuxta ritum Papisticum Sacramento altaris se muniret. In confessione Sacerdoti significauit, se marsupium pecunia plenum reperisse, ideoq; petere, vt publicè è suggestu id proclamaret, vt legitimo possessori restitueretur.*

Ad quæ Sacerdos, hoc illi diuinitus oblatum esse munus, quare illud sibi reseruaret, eoq; frueretur, nec id vel proclamari, vel cuiquam significari necesse esse. Quibus auditis mulier marsupium inuentum retinet. Domum itaq; reuersura, per syluam transire coacta est. In quam cum ventum esset, dolores partus eam obruunt. Itaq; anxia humi residet, marsupium sibi substernens. Interim Nobilis, qui marsupium perdiderat, equo vectus celeri cursu accedit, mulierem, an marsupium inuenisset, interrogat. Illa per Christianam pietatem nobilem obtestatur, vt è proximo pago mulieres aliquot, quæ parturienti sibi adessent, properè accerseret, & marsupium ei certò restitutum iri. Nobilis quantum potest celeritate abit, mulieres adducturus, interim impius iste Sacrificus accedit, fœminamq; parturientē Satanica truculentia interficit, capiteq; ei resecto, marsupium rapit. Nobilis cum mulieribus reuersus, in miserandum & atrocissimum hoc incidit spectaculum. Cum autem niue omnia essent tecta, Nobilis latronis insistit vestigijs, quem vbi comprehendit, marsupium suum recuperat, eumq; equo suo alligatum in pagum raptat, & magistratui puniendum tradit. Sententia itaq; per Iudices lata, vt in oleum feruens coniectus, morte tanto scelere digna afficeretur. Sumptum est de eo supplicium Ianuarij die vicesimo.

ANNO quadragesimo supra sesquimillesimum, *homo nefarius in pago* Frawenstein / *qui est sub imperio Episcopi Moguntini, cum Dominica Vocem iucunditatis ingens turba à meridie sub tilia conueniret. Puellam quæ quintum annum nondum compleuerat, verborum blanditijs vsus, in stabulum templo vicinum seducit, & quod dictu horrendum est, per vim stuprare conatur. Cum autem libidini suæ in tenerrima puella satisfacere non posset, ei ingulum*

lum stricto cultro incidit, præterea quinq; mortiferis ictibus corpus vulnerat. Exhaustum deinde sanguine corpus dispandit, pudendaq; cultro dissecta dilatat, eoq; modo inhumanam prorsus & diabolicam libidinem cum exanimi mixtus corpore adimplet, deinde gladio strictoin quindecim frusta membratim corpus dissecat, vt nullum membrum integrum agnosci posset. Cumq; in colligendis membris occupatus esset, interuenit vnus ex pagi incolis, qui motus atrocitate rei, sceleratum hominem verberibus affectum & comprehensum magistratui tradit. Vinctus deinde Moguntiam perductus est, ibiq; forcipibus ignitis toto corpore discerptus, rota tormentali innexus est. Iobus Fincelius lib. 2.

ANNO quadragesimo supra millesimum quingentesimum, *Vitembergæ seruus molitoris, herum suum vnà cum coniuge grauida noctu in lecto occidit, & membratim dissecuit. Comprehensus deinde extra mœnia, raptatus, & in quatuor partes à carnifice dissectus est. Caspar. Goldvvurm.*

ISENACI, quod est oppidum in Thuringia, qui*dam dura pressus inopia, cum puellam ambiret, hospitem suum viduum noctu clam interfecit, abiectoq; in cellam cadauere, pecuniam, quanta aderat, rapuit, fugam deinde cum moliretur, in ædiculam ponti adiunctam delatus est, animoq; perturbato & attonitus, pedem inde mouere non potuit, donec captus, & parricidium perpetratum, & fuga euadere non potuisset, confessus est. Huic non dißimile est, quod alibi in ciuitate quadam accidit, vbi cum rusticus vicinum occidisset, frustra fugam molitus est: Nam delatus ad pontem vsq;, ibi quasi vinctus stetit, donec comprehensus ad supplicium raperetur. Ex his apparet, quid sit dolor & vulnus conscientiæ.*

Anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo *sexto, generosus Comes Nicolaus de Serin, in ponte arcis Sigethi à Turcis trucidatus est, eiusq; caput Imperatori Maximiliano transmissum. Interfecerat autem ante annos aliquot Comes ille Nicolaus, contra datam fidem, Catianum Ducem Turcicum ad se inuitatum, hospitioq; exceptum, eiusq; caput Imperatori Ferdinando transmiserat, cuius perfidiæ tum pœnas luit. Calendar. Historic.*

Philippvs Macedonum Rex, pater Persei, *cum decreuisset liberos eorum, quos interfecisset, occidere: Theoxena cum Poride coniuge & liberis fugiens, ne in insequentium regiorum militum manus deueniret, prolatis in medium gladijs, & poculo, in quo erat venenum, suasit ijs, vt imminens ludibrium morte effugerent, & cum persuasisset, ipsa deinde virum comitem mortis complexa, in mare se deiecit. Liuius lib. 40.*

AD HORRIBILIVM HISTORIARVM LIBROS, APPENDIX.

Refert D. Martinus Lutherus ex literis Adami *Budißinæ VVittebergam transmißis, concionatorem quendam relicta ciuitate, in qua sinceram Euangelij doctrinam tradiderat, blasphemam pontificiorum doctrinam amplexum esse, & in pago Kunervvalde, aduersus Lutherum diris execrationibus è suggestu intonuisse, interq; alia vociferatum: Si doctrina Lutheri vera sit, se optare, vt fulmine ictus pereat. Hinc diebus aliquot interiectis, graui sæuiente tempestate, Sacerdotem impium suarum execrationum memorem, trepido cursu in ædem sacram festinâsse,*

&

& cum Campanas pro consuetudine pontificiorum agitari iußisset, ante aram ad fundendas preces prouolutum, ibiq́ fulmine ictum concidisse; mox adhibitis fomentis vires recollegisse, sed cum per cœmiterium duceretur, iterum tanto fulminis impetu percussum, vt eius vis per verticem capitis immissa, totum corpus, quantum est, & ima ventris penetraret, & ipse toto adustus corpore, iusto Dei iudicio extingueretur. Ex colloquijs Lutheri.

ANNO 1557. pridie eius diei, quo Christus in *cruce passus est, Forcheimij, quæ ciuitas est in Episcopatus Bambergensis diœcesi, Sacerdos quidam decrepitæ ætatis, qui baculis innitens, difficulter se mouebat, à duobus Diaconis in suggestum deductus, verba D. Pauli ex prioris Epistolæ ad Corinth. 11. cap. de Cœna Domini enarrabat, anxieq́ errores Papisticos, & Missæ Idololatriam defendens, inter aliá proclamabat: Paule, Paulẽ, si tua doctrina veritati consentanea est, vsusq́ Sacramenti sub vna specie impius, precor, vt arreptum me diabolus hinc auferat. Hinc ad populum conuersus vociferabatur: Si papæ doctrina vera non est, Satanæ esse mancipium, meamq́ ipsi animam oppignorare haudquaquam verebor. Has & plures eius blasphemias, non sine stupore & admiratione auditores percepêre. Nec mora, tantus in templo strepitus & fragor auditus est, vt omnia inter se collidi ruinamq́ minari viderentur: tum vir proceræ staturæ, atro colore formidabilis, in templo apparuit, antequam venti vehementis flamina per totum templum resonantia ferebantur, is impium Sacrificulum arreptum secum abstulit, nec vlli, quorsum ille abductus sit, in hodiernum vsq́ diem constat. Eo abducto, denuò apparuit*

vin

vir iste procerus, & rectà in sacrarium pergens, Episcopi fratrem de Rugenstein vnum ex omnibus petit. Is qua potuit vi spectro se opposuit, strictoq; gladio eius incursum auertere conatus est, sed spectrum læsurus seipsum vulnerauit. Tandem non sine magna difficultate è templo se proripuit, ingensq; populi fugientis trepidatio exorta est. Eadem hora ingentes ante mœnia ciuitatis visæ sunt copiæ, eaq; rerum erat facies, ac si omnia ab hostibus occupata tenerentur: tum buccinatores è turribus hostium equitumq; præsentiam significantes, terrorem ingeminabant. Nec vel Episcopo vel alijs, vbi tutò delitescerent, in tota ciuitate vllus se offerebat angulus. Deinde in subsequenti die Dominica, terrore hoc omnium adhuc oculis animisq; obuersante, cum Sacrificuli in consecranda Baptismatis aqua essent occupati, & inter alias ineptias Baptisterium circumirent, tantus denuo fragor in templo excitatus eos terruit, vt relictis sacris trepidi omnes inde profugerent. Iob. Fincelius lib. 3. de Miraculis.

MONACHVS quidam ante annos aliquot Di*uum Paulum in concione mendacij arguere nihil veritus, statim in suggestu subitanea morte concidens, blasphemiæ suæ pœnas dedit. Anno 1536.*

CVM nouum genus morbi, quem Sudorem An*glicum vocant, Germaniam affligeret, Anno 1529. concionator quidam è suggestu ad populum clamabat: Puniri mundum nouis morbis, eò quòd nouam doctrinam, nouamq; fidem suscepisset: Veteri itaq; Romanæ Ecclesiæ adhærendum, eiq; fidelem obedientiam præstandam esse. Hinc indixit solennem processionem postridiè instituendam, vnà cum precibus Letaniæ Papisticæ, ad morbi sæuientis propulsationem. Sed ecce postridiè summo diluculo Sacerdos iste*

impro-

improuisa morte extinctus est, & in locum processionis indicta, processio funebris fuit instituta.

EXTREMVS verbi Dei & Sacramentorum contemptor erat *Rusticus quidam in pago Itzsch. Is vino obrutus, grauibus maledictis verbi Diuini ministrum impudenter lacessebat. A quo digressus, in campus inter oues suas impietatis præmia à Satana mox adeptus est. Repertus siquidem postridiè ibi fuit toto corpore suggillatus, & carbonis instar adustus, horrendaq; morte extinctus. Referebat Doct. Iustus Ionas. In Colloquijs Lutheri.*

ANNO 1542. Iunij decimo quarto, Budæ *horrenda admodum tempestas sæuiens, suo impetu fastigium turris ad S. Stephanum solutum in campum Herculis, vbi commisso inter Regem Ludouicum & Turcos acri prælio, plurimi interierant Christiani, horrendo cum fragore deiecit. Quam cum præstigiosus Sacrificulus compescere sibi proposuisset, caputq; ouis superstitioso ritu ante se portans ad Missam in templo celebrandam festinaret, turbo vehemens eum vnà cum ouis capite in sublime arreptum ex conspectu omnium abstulit, vt nunquam suorum oculis postea fuerit redditus. Fincelius lib. 8. de Miraculis.*

CVM frequens vbiq; de Cæsaris Caroli V. in Ger*maniam aduentus rumor esset, Comes quidam magni nominis, Euangelicæ religioni insultans, exclamabat: Saluator venit, Saluator venit. Idem cum audiret concini Lutheri Psalmum, cuius initium: Firmum propugnaculum noster Deus. Istud, inquit, propugnaculum tormentis concutiam & deijciam, vel non viuam. Sed tertia post die extinctus est.*

EST in agro Patauino Venetorum ditionis op*pidum Citadella, huius ciuis erat Franciscus Spiera, vir in Iure & causis agendis valde exercitatus, annos natus ad*

quinquaginta, honesta coniuge felix, vndecimę liberorum parens, alijsq́ fortunæ bonis, honoribus, & dignitatibus insigniter clarus. Is incredibili quodam ardore cœpit amplecti puriorem doctrinam, & ex Spiritus sancti gratia, Iesum Christum vnicum Redemptorem agnouit, paßimq́ apud omnes magna animi constantia prædicauit, docens, per hunc vnicum Saluatorem iusticiam & salutem partam esse, nec vllis hominum meritis aut operibus innitendum. Quæ res ab hostibus veritatis, apud Legatum Pontificium, qui tum erat Venetijs, ipsi data est crimini, à quo citatus, minisq́ & increpationibus ita fuit exceptus, vt mortis formidine, bonorumq́, quæ ipsi erant amplißima, iactura territus, agnitam veritatem abnegaret, abiuraretq́, adeoq́ promitteret, se, simulac domum reuersus esset, publicè hanc suam abnegationem confirmaturum, & antedicta reuocaturum. His ita peractis, à legato Pontificio dimissus est. Euestigio autem grauis animi perturbatio eum obruit, & diu multumq́ secum ipsè in itinere disputauit, vtrum potius ad suos reuerteretur, & veritatem, quam antea palàm docuerat, abnegaret, an verò, relictis omnibus, cum Christo sese reconciliaret. Conscientia quidem adeoq́ Spiritus sanctus iubebat, vt spreta omni huius mundi vanitate, caducis opibus contemptis, breuiq́ interituris dignitatibus posthabitis, Christum sequeretur, nec peccatum, quo conscientiam suam iam grauâsset, longè grauiore cumularet. Ipsemet quoque in grauißima sua afflictione sæpe confessus est, sibi in itinere à Spiritu Dei huiuscemodi ferè verba inculcata fuisse: Absit procul à te mi Francisce, ne literas, quibus scribendis manus tuas polluisti, corde etiam tuo obsignes, liber adhuc es, caue ne deficias, resipisce, in agnita veritate persevera, & licet

cet

cet imbecillitas carnis te vicerit, ei tamen caue porrò indulgeas. In graui hac lucta, caro tandem, externorumq́ bonorum, & honorum splendor, captiuum eum detinuit, & vicit. Pridie eius diei, quo palinodia ei canenda erat, formulam retractationis, qua publicè coram populo priorem doctrinam damnaret, Pontificius quidam Sacerdos ei sub vesperam præscripsit. Totamq́ noctem miserè perditus hic Franciscus duxit insomnem. Manè deinde, in die Dominica, celebratione Missæ peracta, præsentibus eius amicis, ciuitatisq́ proceribus, in frequentia totius populi (erant autem vnà circiter duo millia) doctrinam veritatis, quam antea palam docuerat, publicè damnatam reuocat, statimq́ mulcta ipsi irrogata, triginta aureos numerare iussus est. Nec mora, horrendum Dei iudicium in corde suo persensit, omnibus Spiritus sancti donis priuatus est, Christus ab ipso discessit, omnis consolatio, fides, charitas prorsus in eo euanuêre. Cor eius mera inuidia, odio, & blasphemia aduersus Deum inflammatum, Diabolus, mors, æternaq́ desperatio ad ipsum diuertêre. His furijs iam per sex menses agitatus, Patauium se vnà cum coniuge & liberis contulit. Sed in dies eius miseria deterior & immanior facta est. Lecto affixus iacuit, morbi omnis expers, suæq́ rationis & intellectus compos, toto corpore contabuit, omniaq́ eius membra, præter solam linguam, elanguerunt. Cibo omni abstinuit, & si per vim liquida in os ipsi ingererentur, ea quantum potuit, respuit. Quicunq́ ipsum inuiserent, eos placidè admisit, & prudenter admodum cum ipsis verba commutauit. Subinde testatus est, se iusto Dei iudicio damnatum, se apud inferos iam morari, indesinentibusq́ confici doloribus: Se enim in Spiritum sanctum peccâsse, quod peccatum in æter-

num sibi condonari nequeat. Christi meritum, Deiq; misericordiam in æternum sibi negatam, & horrendum adeò vitæ suæ exitum sibi ex iusto Dei iudicio ideo irrogatum, vt suæ abnegationis causa omnibus electis sit exemplo.

Hæc & similia desperationis extremæ verba fecit, donec plurimi, iiq; doctissimi viri ad ipsum conuenirent. Inter quos fuit Episcopus Vergerius, qui omnes vias & rationes, quibus eum consolaretur, iniit. Doctor Gribaldus, qui grauibus verbis eum consulatus est, serioq; hortatus, vt ad misericordiam Dei confugeret: Si totius, aiebat, mundi peccata vni homini incumberent, nullo tamen modo ineffabili misericordiæ Dei comparanda essent, multaq; ex Spiritus sancti oraculis dicta & exempla in medium depromebat. Ad quæ ille constanti animo respondens ait: Hæc vt credam, nunquam adduci possum. Ibi præclaris admodum verbis denuò Vergerius ipsum consolari cœpit, & tandem, Non ergo desideras, inquit, vt Deus tui misereatur? Ad quæ ille: Quicquid sanè affertis, id credo, quod & Diaboli credunt, & contremiscunt. Sed inde mihi nulla spes salutis existit. Nequaquam enim peccatum meum veniale est. Quid magis mihi in votis esse queat, quàm Deum experiri benignum & misericordem. Sed talem se mihi exhibere renuit, tum omnis fidei vis mihi adempta est. Omnia quidem audire paratus sum, verbis etiam iisdem, quibus vos præitis, subsequi, interim cor meum odio, execratione, & blasphemia aduersus Deum abundat. Nam reipsa sentio, in quantum auersetur me. His ab eo prolatis, vrgebat Vergerius, vt vnà cum astantibus orationem Dominicam proferret. Quod eo faciebat ardore gestibusq; ad religionem sic compositus, vt omnibus esset admirationi. Precatione finita, Lingua quidem, ait, oraui, sed procul inde fuit animus

mus remotus. Omnem suam gratiam Deus mihi eripuit.

Postridie rursus eum accessêre, & salutatione præmissa, ex ipso quæsiuêre, num quam ex tam multiplici consolatione, qua ipsius animum erigere conati fuerint, spem concepisset. Ad quæ ille: Nullam prorsus, Imò, ait, indies deterius mecum agi, meamq; miseriam magis magisq; augeri sentio. Ibi de varijs rebus eum interrogârunt, inprimis autem, quomodo vermis iste conscientiam eius infestare & rodere cœperit? Ad omnia ille præsenti animo respondens, indicat quomodo ab eo die, quo veritatis agnitæ doctrinam reuocârit, cordi suo vermis ille rodens, & ignis inextinguibilis à Deo immissus sit, vt iam longè deterior sua sit conditio, quàm vel Caini, vel Iudæ, & quidem malle se iam mortuum & damnatum esse, quàm in hac vita talibus premi angustijs: adhæc ipsis significauit, quàm horrenda oculis suis crebrò obuersentur spectra.

Cum ergo rursus, quisque pro sua virili, eum consolati essent, hortati sunt ipsum, vt orationis Dominicæ verbis Deum inuocaret, quod ille largè profusis lachrymis, ijs cum gemitibus, tanta cum deuotione animi præstitit, vt nemo ex astantibus sibi à lachrymis temperare posset. Visis lachrymis, Doctor Gribaldus, eas pœnitentiæ signum esse ratus, Mi Francisce, inquit, gratulabundus, hæ lachrymæ indicant, te à Deo non omninò reprobatum & abiectum esse. Quin & alij omnes optimam de eo spem animis concepêre. Ad quæ Franciscus: Non equidem harum rerum sum nescius. Sed fides talis & fiducia, quam vos requiritis, donum Dei est. Ego autem destituor. O si hoc vnico dono me dignaretur Deus, vt vel modicum spei de misericordia eius in corde meo perciperem. Sed id fieri tam non est possibile, quàm impossibile est, cochleari vastum

mare exhaurire, & ebibere. Hoc exploratum habeo, neminem vnquam in terris fuisse mortalium, qui iram Dei manifestius quàm ego senserit. O vtinam mihi daretur in cuiusuis alterius damnati locum succedere. Interim non intermittebant qui aderant, firmissimis ipsum consolationibus erigere, sed omnis frustra sumebatur opera. Cum autem cibo prorsus abstineret, ne ex inedia vitam sibi abrumperet, vi magna manibus ipsi vinctis, oreq́ effracto iusculum infundebant, quod licet lingua, quantum poterat, retunderet & reuomeret, aliquid tamen in ventriculum vsq; deferebatur. Sed nihil vnquam per inferiora egeßit. Vnicum eius & aßiduum votum erat, mori, & ad inferna deferri.

Tertio ab hinc die, & superiores illi viri docti, & complures studiosi eum rursus visitârunt, cumq́ ipsis Sacerdos quidam Citadellensis, vir ætate venerandus, qui propius accedens. Num agnoscis me, inquit, Francisce, Antonius Fontanina ego sum, qui cum Venetias versus iter susciperes, tecum fui. Quibus ille auditis, gemitus & querelas reiterans, ô execrandum inquit diem, ô diem detestabilem. Vtinam Venetias nunquam vidissem, vel potius cùm eò me conferre animum inducerem, morte extinctus essem. Rursus ergo consolationibus varijs confirmabatur, ipsiq́ merita & beneficia Christi commendabantur. Tum ille nunquam Christi beneficia verè se agnouisse ait, ijs se abusum, carnaliq́ suæ fidei nimium tribuisse, conuersusq́ ad studiosos adolescentes, ô mei filij, inquit, nihil Euangelio derogatum volo, Agnosco enim, quod ipsa sit veritas. Verùm cauete, ne tantum oretenus Christiani simus. Fidem mihi habete tanquam ei, qui rem ipsam verè expertus sit. Hæc dicens, Diui Petri epistolam, qua fideles ad pietatem,

castita-

castitatem, & sanctitatem admouet, subinde laudabat. Quæ verba astantibus causam præbuêre, multa piè admodum ex verbo Dei disputandi, quæ cùm attentè auscultaret, interrogatur tandem, num quid consolationis ex pia hac collatione perciperet? Respondet ille: Ad mortem æternam ego damnatus sum, nec vlla redemtionis spes mihi potest esse reliqua. O si vel minimam in misericordia Dei fiduciam vel spem collocare possem, & haud graue mihi futurum sit, per multas annorum myriades (dummodò aliqua liberationis spes supersit) in inferorum barathro torqueri. Ad quæ Doctor Gribaldus: Non omnem, inquit, ô Francisce, de liberatione tua spem abijcio. Fortè Deo ita visum est, in hac vita iræ suæ tibi sensum immittere, & tandem in secutura vita suam erga te exercere misericordiam. Ad quæ ille: Me reprobum esse certò scio. Rursus ex eo Gribaldus quærit, quidnam facturus esset, si ipsi cultri daretur copia, num etiam sibi ipsi, cùm mortem ardentibus votis desideret, manus allaturus esset? Respondit ille: Cedò cultrum, & quid facturus sim, videbitis. Non ita, inquit Gribaldus, sed animum tuum, Francisce, penitus quæso nobis declara. Ipsemet, respondet ille, ignoro, quæ mei sit animi vel voluntatis ratio. Episcopus Vergerius multam, sed inanem in eo consolando sumebat operam, difficulterq; eum adducere poterat, vt Orationis Dominicæ verbis cœlestem Patrem inuocaret. Et licet Episcopo tandem obsequeretur, nequaquam tamen eo feruore, quo antehac vsus fuerat, vtebatur, sed confessus, animum suum à Deo sic alienatum esse, vt eum patrem appellare haud possit: Omnes qui aderant, hortabatur, ne in se consolando posthac suam perderent operam, adeò enim omnem consequendæ fidei, misericordiæq; Dei spem præcisam esse,

vt fa-

vt facilius sit grano milij mundum impleri, quàm fide & gratia Dei se donari, per quæ verba, qui astabant, vehementer sunt territi.

Cum ergo amici & cognati constituissent ipsum in patriam Citadellam reducere, monebantur ab his, qui consolandi gratia Franciscum accedebant, vt assidue viros ipsi pios & doctos adiungerent, Deiq; gratiam & misericordiam sedulò implorarent. Manè cum indutum eum lecticæ imposituri essent, oculos ipse furibundo intuitu circumuoluens, cultellum forte conspicatus est, quo protinus arrepto, sibi ipsi vitam finijsset, nisi duo eius filij, qui præstò erant, magna illum vi è manibus ipsi extorsissent. Citadellam hinc deportatus, paucis diebus pòst mortuus est. Horrenda hæc est historia, quæ certè Pontificiorum animos ad veritatis agnitionem pellicere potuisset, nisi animi eorum, quemadmodum Pharaonis, indurati essent. Nec clam hæc acta sunt, sed vel sexcentis literis Patauio in alias ciuitates & regiones transmissis, passim omnibus manifestata. Pleniorem huius historiæ descriptionem pete ex tertia parte Lud. Rabi de Martyribus.

REFERT Philippus Melanthon punitæ impietatis *exemplum de sartoris cuiusdam seruo, qui cum Cœna Domini vsus esset vtraq; specie, postea persuasus sub Papatu, vna specie sumpserat. Deinde rursus ad priorem delatus herum, ab eo admonitus est, vt ad sacram synaxin accederet, sed obmutescens ille, nihil respondit. Tandem cum ingenti & terribili boatu clamat: O, ô, perpetuum ego Diaboli sum mancipium, simulq; cum impetu se per fenestram præcipitem dedit, omniaq; interiora viscera effudit. Anno 1553. in Collectaneis Manlij.*

LATOMVS, hæreticæ prauitatis inquisitor, Christiq;

stiq; fidelium persecutor immanissimus, paucis ab hinc annis, in horrendam desperationem incidit. Nam cum ex ambitione, contra conscientiam, veritatem Euangelij atrociter impugnasset, corpore vegeto & sano, subita trepidatione & terroribus ita perculsus est, vt quos ex amicis nouerat doctissimos ad se accerseret, suamq; impietatem, in extrema constitutus desperatione, vltrò fateretur: Graue est, inquiens, peccatum meum, qui prudens sciensq; in verbo Dei persequendo & opprimendo alijs meam locaui operam. Quare aduersus Spiritum sanctum peccaui, nec vlla vel in hac vita, vel in æternum peccati mei condonatio mihi speranda est, sed Diaboli & corpore & anima æternum sum mancipium, adeoq; iam in regnum eius incorporatus. Quin imò haud porrò Latomum vt hominem intuemini, sed vt ipsum Diabolum, & si aperirentur vobis oculi, manus pedesq; meos tetris vnguibus deformes & formidabiles esse deprehenderetis. Per hæc eius verba, qui aderant viri docti, supra modum territi sunt. Inter quos Doctor Theologiæ, amicus eius intimus, consolari eum cœpit, & docere, nullum peccatum graue adeò esse, quin per misericordiam Dei condonetur. Ad quæ respondit Latomus: Sibi non ignotas esse plurimas ex sacris literis depromptas sententias, quæ præclaræ admodum sint, & consolationis plenissimæ, sed deesse sibi fidem & fiduciam in Deum. Et ne vobis dubium sit, certa esse, quæ de mea damnatione locutus sum, videbitis quod lecto iam affixus moriar. Sim autem vobis exemplo, eaq; de causa vos accersi iussi, vt per me moniti resipiscatis, & persequendis fidelibus finem faciatis. Hæc & plura cum dixisset, inter horrendos mugitus mortuus est, eaq; oris eius, totiusq; corporis apparuit fœditas, vt omnibus esset terrori. Iob. Fincelius, lib. 3. de Miraculis.

DOMINICANI Ordinis Monachus cum acerrimè in cœnobio suo in Euangelicæ veritatis doctrinam inueheretur, inter concionandum fulmine ictus perit. Collect. Manlij.

TAMERI frater synceri Euangelij doctrinam professus, à fratre suo Tamero, vt hypocriticæ religioni adhæreret, permotus est, propter quam à veritate defectionem in desperationem incidens, vitam sibi ipsi laqueo finiuit.

ALPHONSVS fratrem suum Diasium ab agnita veritate blanditijs abducere frustra conatus, perfidè eum occidit. Ipsemet autem in Concilio Tridentino de collo muli se suspendens, miseranda morte ex desperatione interijt. Anno Domini 1551.

DEVS iustus est iudex, eiusq; iudicium rectum est, qui blasphemos & contemptores sui verbi impunitos haud sinit. Id quod paucis abhinc annis Hamburgi testatum reddidit. Summus ibi verbi Euangelijq; fuit contemptor, qui multos ad pietatem pertractos seduxit, nec vlla ipse doctrina à concepto errore auocari potuit. Hic extrema tandem circumuallatus desperatione, omni consolatione, quam verbum Dei credentibus suppeditat, excidit, suaq; peccata deplorans, ea maiora esse confessus est, quàm quæ condonari sibi possint, eò quòd multos in fraudem illectos perdidisset. Desperationis itaque agitatus procellis, summo cum impetu è fastigio ædium in puteum se præcipitem dedit: vbi cum aquæ ea profunditas non esset, vt submersus statim periret, seipsum, ne ab accurrente turba viuus eriperetur, immerso in aquas capite suffocauit.

HOFMANNVS Ratisbonam versus tendens, vt colloquio religionis nomine ibi instituto interesset, in itinere non procul ab Vlma, vt hostis veritatis, dira desperatione agita-

agitatus, inter horrendos mugitus impiam efflauit animam.

BERNBVRGI ante annos aliquot bonarum literarum *fuit studiosus, qui ex Abbatis cuiusdam promotione, Canonicatum in Cathedrali Ecclesia Magdeburgensi adeptus est. Hic cum ocium & tranquillitatem propter annuos suos reditus sibi polliceretur, subitò in extremas deductus est angustias. Nam cum aliquando equo vectus Magdeburgo egressus esset, ijs Diabolici spectri dementatus est præstigijs, vt se corpore & anima à Satana iam iam abreptum iri putaret, quod & factum esset, adeoq́ȝ, vt ipsemet confessus est, in angustijs istis defecisset, & in desperatione miserè perijsset, nisi Christi Saluatoris dicto consolatione arrepta, seipsum confortâsset: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Quo dicto tanquam sacro scuto tum temporis Satanam à se abegit, sed relicto fœtore pessimo, qualis adustarum est vestium. Mæstus itaq́ȝ & animo turbidus domum reuertitur. vbi cum mensæ assideret, fratrem lateri affixum habens, spectrum illud animo eius obuersatur, & in tantas eum denuò redigit angustias, vt flebilibus gemitibus testaretur, se Satanæ & corpore & anima esse proprium. In qua desperatione festino cursu in puteum proximum se præcipitat. Sed ex diuina gratia vrnam in aquis pensilem apprehendens, se sustentauit, illæsusq́ȝ inde extractus est. Ab eo tempore consolando hominem hunc turbidum, grauibusq́ȝ tentationibus oppressum, admodum occupati fuere Ecclesiarum eius loci ministri, animarum curam sibi demandatam habentes. Sæpe enim numero accidit, vt concioni sacræ cùm interesset, tanti subitò eum opprimerent terrores, vt amentis instar in sacrarium se proripiens, ex concionatoribus aliquem accerseret.*

supplexq́; ab eo consolatione ex verbo Dei desumpta erigi se peteret. Tanto ipsi Canonicatus iste constitit. Quoniam autem & lapsum & peccatum suum agnouit, & verè ob peccatum dolens, gratiam & consolationem anxiè disquisiuit: misericors Deus, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, gratiæ & consolationis ex verbo suo eum participem reddidit, & ex mera sua misericordia, in agris, in puteo, & alijs quibusuis tentationibus mirabiliter conseruauit, omnibus periculis eripuit, vt malit iam plebeius esse ciuis, dummodo saluam habeat conscientiam, quàm magnificus & diues Canonicus turpi conscientiæ labe aspersus. Hoc exemplum in promptu esse debebat omnibus ijs, qui parum salutis suæ memores, Pontificiorum inhiant delitijs, & in fronte signati charactere bestiæ, fornicationis mercedem ad se pertrahunt, nec vel solo gemitu animarum & vitæ iacturam deplorant.

FVIT Halæ Saxonum quidam Doctor, nomine *Mauritius Krauß, Archiepiscopi minister, anno 1527. primùm Euangelicæ veritatis assertor strenuus, sic vt neglecto etiam Domini sui edicto, Sacramento sub vtraq; specie, iuxta Christi Seruatoris institutum vteretur. Quare cum gratia Domini sui excideret, multosq́; propter veritatis confessionem in exilium agi animaduerteret, mutata sententia, doctrinam, quam paulò antè confessus erat, abnegauit. Mox cum videret, magno animo ab alijs Episcopi tyrannidem contemni, & fortiter tum exilium, tum alias ærumnas perferri, in ægritudinem & mærorem tantum incidit, vt nulla apud ipsum admonitio, nulla consolatio ex verbo Dei sumpta locum haberet, sed desperatione oppressus, de Christi iudicio conquereretur: Christus, inquiens, coram patre suo cœlesti me accusat, & ait: Ne huic pro-*

propitius sis, ne ei peccatum blasphemiæ & abnegationis remittas, Nam me & Euangelium meum coram Episcopo confiteri noluit. Hisce præstigijs Satanas eum effascinauit, vt Christum intueretur, vt seuerum iudicem, tentatorem, accusatorem, non vt Seruatorem, Mediatorem, summum Sacerdotem, & Thronum gratiæ. Tandem in extremam & horribilem desperationem incidit, in qua semetipsum interfecit. Ex colloquijs & commentario Lutheri super Epistolam Pauli ad Galatas.

MICHAEL Princeps Rabinorum, à Iudæis tan*tum non pro Messia habitus, opiparo inter suos complices instructo conuiuio, inter alia eius condimenta, horrendas in Christum virginemq́; matrem adhibuit blasphemias, adeoq́; impius iste Michaël de victoria aduersus Christianorum Deum gloriatus est. Mox cum per gradus descenderet in ædibus suis Berlini, ad Satana deturbatus, ceruicem confregit, & sic horrenda morte vitam finiuit, iustissimas blasphemiarum suarum pœnas luens. Fincelius lib. 2. de Mirac.*

THOMAS Blauerus, Regis Scotorum Consilia*rius summus, autor persecutionis aduersus Doctores Euangelicos susceptæ, cum horam mortis iam ingruere intelligeret, se damnatum & perditum esse assiduè clamauit. Cumq́; Monachi lecto assisterent, eumq́; consolari vellent, Apagite, inquit, cum vestris ineptijs, nunquam enim adduci potui, vt crederem, Deum esse, vel Satanam, infernum, vel cœlum, & in pari pretio tam vestram quàm Euangelicorum doctrinam habui. Solam spectaui in meis consilijs pecuniam. Et eius rei gratia Episcoporum causam egi, Regiq́; autor fui, vt vestros aduersarios eijceret. Idcirco nihil proderunt mihi vestra vel Missæ, vel Vigiliæ. Sum enim damnatus, & Satanas iam constrictum me tenet, vt in abyssum Infe-*

rorum me abripiat, & in æternum illic secundum mea merita me affligat. In hac desperatione miserè extinctus est, Alexander Alesius Scotus.

VIR quidam genere nobilis, de Greffendorff / is *viduam quandam, de nobili item prosapia oriundam, annis adhuc floridam, magnis pollicitis induxit, vt eius libidini obtemperaret, promittens se eam ducturum vxorem. Cumq́; magna bonorum parte eam defraudâsset, impudicam eam esse clamitat fidemq́; coniugalem se ei promisisse negat. Perfidè se deceptam esse mulier animaduertens, periurum istum desertorem apud iudicem accusat. Sed rursus ille suis blanditijs simplici mulieri persuadet, vt ab accusatione desisteret, & si à iudice ea de re examinaretur, sibi promissum esse coniugium diffiteretur, se enim nunquam ipsam deserturam. His verbis credulæ mulieri imposuit. Cum autem non ita multò pòst alij cuidam virgini nuptias promisisset, protinus vltrices sensit furias, & quidem atroces adeò, vt consolationi nihil relictum esset loci. Sub noctem deinde equum conscendens, vno comitatus seruo, ab hospitibus suis discessit: cumq́; per agros equo suo veheretur, visus est sibi multas equitum turmas habere obuias, tandem ab equo delapsus, seipsum gladio suo traiecit. Fincelius lib. 3.*

ANNO millesimo, quingentesimo, quinquagesimo *septimo, sacrificulus in pago* Abenthewer / *non procul à Gandauo, filiam agricolæ, forma præcellentem, multis pollicitationibus ad se pellexit, eaq́; inuitis parentibus, concubina vsus est. Primum quidem impiæ eius libidini se opposuit virgo, obedientiam tum Deo tum parentibus præstandam, adhac æternam inobedientiæ erga parentes, impietatisq́; reis, damnationem metuendam esse asserens. Contra Sacrificus ista eleuans, quantæ in coniugio ærumnæ sustinendæ, con-*

trà quantis voluptatibus in ea vita, quam ipse amplecteretur, frui liceret, prædicat. Quod ad æternam, inquit, damnationem attinet, te securam esse iubeo, nam & in Satanam, & homines, adeoq; in ipsas animas ea mihi à pontifice Romano potestas data est, vt nullius peccati atrocitas nobis obfutura sit. His illa persuasa verbis, nil verita parentes, Sacrificulo se agglutinat. Qui cùm aliquamdiu vnà voluptatibus indulsissent, Satanas, cùm opiparè instructo conuiui, congerrones suos excepisset Sacrificulus, omniaq; iam læticia feruerent, foribus hypocausti vasto cum impetu apertis, sodalitium istud accedit, arreptamq; concubinam secum auferens, Mea es, inquit, me sequere. Illa miserabiliter vociferans, frustrà sacrifici implorat auxilium. Quem frustrà exorcismis vtentem, Satanas his verbis compellat: Et tu meus es, breui te quoq; ablaturus sum, tu ad hæc te præpara. His dictis cum scorto euanuit. Iob. Fincelius lib. 2.

CRESCENTIVS Pontificis Legatus, in Tridentino Concilio, anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo secundo, Martij die vigesimo quinto, scribendis literis ad Pontificem valde fuerat occupatus, & laborem ad noctem vsque continuauit. Ibi surgens, vt sese reficeret, ecce visus est illi canis quidam ater, inusitata magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram propè demissis, ingredi, & ad ipsum rectà contendere, deinde sub mensam ditabi. Perculsus & obstupefactus, vbi demum se collegit, famulos inclamat, qui erant in anteriori cubiculo, iubet afferri lumen, & inuestigari canem: cum autem nusquam appareret, ne in vicino quidem conclaui, grauem concepit cogitationem, & in morbum incidens, Veronæ decessit. Moribundus etiam, subinde suis acclamâsse fertur, vt canem, qui lectum conscenderet, arcerent. Sleidanus lib. 23.

ANNO

ANNO Christi 914. Ottone Magno rerum potiente, *cum dira fames Germaniam infestaret: Episcopus quidam Moguntinensis, Hatto nomine, plurimos pauperes in horreo congregatos, ea spe, quòd esca vel panis nonnihil ex Episcopi liberalitate accepturi essent, concremauit, dicens, nihil differre muribus, frugibus tantum consumendis natos. Quam tyrannidem Deus protinus vltus est. Praecepit namque muribus, vt cateruatim illum inuaderent, ac diu noctuque affligerent, viuumque deuorare festinarent. Itaque ille in turrim in medio Rheni, iuxta oppidum Brigium extructum, & ab hoc casu murium turrim vocatam, aufugit, sed nec ibi à morsibus murium tutus esse potuit. Nam mures facto agmine per Rhenum natantes in turrim conscendêre, iustum Dei iudicium executuri. Quod agnoscens miser, horrenda morte inter mures perijt. Cosmograph. Munst. lib. 3.*

ANNO supra millesimum, quadringentesimum, *octuogesimo octauo, Sacrificulus pudicitiæ cuiusdam matronæ tandiu insidiatus est, donec ei concumberet. Fœminæ istius maritus cum id resciuisset, seriò minatus est sacrificulo, se deprehensum eum denuò castraturum. Paulò pòst cum ædes viri huius præteriret Sacrificulus, mulier re cum viro communicata, blandis eum verbis intra ædes pellicit, qui velut victima, quæ ad aram ducitur, mulierem in conclaue sequitur, ignarus paratæ sibi fraudis. Vix conclaue ingressus fuerat, cum maritus stricto gladio prosiliens, Sacerdotem interminabundus hortatur, vt se dedat, & castrari se, quemadmodum minatus ei fuisset, patiatur. Sacerdos quanto in periculo versetur animaduertens, timore in furorem verso, tantis viribus se tuetur, vt gladium è manibus viro extorqueret, constrictumque tenens adigeret ad iusiurandum, quo impunitatem sibi promitteret. Sacerdos*

fidem

fidem habens promißioni, eum missum facit, gladiumq; in mensam reponit. Maritus cum periculum euasisset, iurisiurandi immemor, rabieq; efferus, ensem rursus corripuit, multoq; sæuius, quàm anteà, in sacerdotem irruit, & intentata ferri acie cogit, vt manus in tergum reiectas vxori constringendas præberet: quo facto, & manus & pedes lecti, cui eum iniecerant, fulcris quatuor fortiter alligant, maritusq; vt interminatus fuerat, testiculos ei eximit, deniq; iureiurando adstrictum quotannis denos florenos sibi numerare, nec vlli hoc facinus reuelare cogit. Hunc ad modum exceptus & tractatus sacerdos, domum tristis reuertitur, & in lectum se reclinat mortem expectans, qua tamen euitata conualuit. Cumq; facinus hoc tandem emanaret, hac de re appellatus maritus, rem omnem est confessus. 4. part. chron. Hedionis.

CARDINALIS quidam cum ciuis vxore illi*citam habebat consuetudinem, conniuente ad id, imò subseruiente marito. Quam turpitudinem ægerrimo ferens animo mariti frater, Cardinalem è medio tollere animum induxit. Cum itaq; apud adulteræ maritum cœnam apparari lautam Cardinalis iußisset, alijsq; inde impeditus negotijs, comparere minus posset, tandem moræ pertæsus maritus, cum vxore adultera lectum petit Cardinali paratum. Absconderat autem sese in ædibus mariti frater, ratusq; Cardinalem cum vxore fratris concumbere, sub intempestam noctem in cubiculum irruens, fratrem imprudens cum vxore adultera occidit. Manè cum errorem suum intellexisset, antequam voluntarium susciperet exilium, per sacerdotem quendam veneno necari Cardinalem curat.*

VIR quidam magnæ authoritatis & eruditionis, *in sacerdotum collegium cùm adoptatus esset, in lapicidæ*

cuiusdam uxorem illiciti amoris flamma deperire cœpit. Cumq́; celebrata horis matutinis Missa, aliquando ad adulteram pergeret, deprehensus ab eius marito, & occisus est. Meminit huius Lutherus in Epistola quadam consolatoria ad Lucam Kranach Consulem.

CLEMENTIS Papæ filius illegitimo natus *concubitu, Dux Florentinus, uxoris, quam duxerat, tædio odioq́; affectus, mulieris sibi cognatæ pudicitiæ insidiabatur. Illa marito suo Ducis amorem & incestum, quem animo agitaret, detegit, is dicta hora aduentantem Ducem obseruat, exceptumq́; insidijs occidit.*

ANNO quinto supra sesquimillesimum, Episco*pus quidam nefaria libidine infamis, cum multis sese contaminâsset adulterijs, tandem à sutore in adulterio deprehensus, confoditur. Insignis eius Episcopi fuit eruditio & eloquentia. In Imperij comitijs non sine admiratione diuersarum gentium & linguarum legationibus Imperatoris nomine respondere solebat. Nam Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ, Germanicæ, Polonicæ, Latinæ linguæ peritiam habebat eximiam. Eodem anno Episcopus Heidelbergæ lupanar ingressus, in profundam cellam ex insidijs periculo hoc ipsi subornato decidit, fractisq́; ceruicibus est extinctus. Ex relatione Lutheri.*

HORRENDVM facinus in Gallia nostris tempo*ribus patratum esse fertur à Monachis Franciscanis, qui honestam matronam in templo conclusam, fœdissima libidine ad stupra per dies aliquot rapuerunt, tandemq́;, ne scelus emanaret, noctu interfecerunt. Deo autem sic prouidente, quidam in templo tum delitescebat, à Monachis non obseruatus, is cum flagitium illud Magistratui reuelâsset, Monachi ante fores Monasterij suspensi sunt, Monasteriumq́; in fauillas redactum.*

PAROCHVS quidam Clauennæ, circa annum *Domini millesimum, quingentesimum, tricesimum tertium Romanæ Ecclesiæ defensor acerrimus, filiam ciuis forma elegantissimam ad stupri commercium sæpe frustra sollicitatam simplicitate eius perspecta, nouo astu circumuenit. Virginis Deiparæ simulachro vestem detraxit cæruleam, aureis insignem stellis, eaq́ brachia pedesq́ velans, faciem linteo subtili tegens, ad patris caulam more suo stata hora proficiscentem puellam expectat. Cui cum de improuiso apparuisset, blandis primum verbis alloqui, Lutheranæ religionis errores detestari, & ob innouandæ religionis studium, multa mala vrbi impendentia prædicere cœpit, eaq́ vt ciuibus suis ordine recenseret, seriò monere. Epilogi loco, vt ex præteritorum cognitione, futurorum certitudinem colligeret, hoc addidit, Eam viro sancto & Catholico hactenus non fuisse obsecutam, obsequeretur porrò, diuinæ misericordiæ, & salutis propriæ consequendæ ergò, clam tamen & occultè, neq; enim margaritas porcis Lutheranis obijciendas & communicandas esse. Stulta puella reuelationem Mariæ virginis vrbi denunciat. Ciues triduano ieiunio pacem Diuûm impetrare student. Interea puella Parocho nequissimo morem gessit, falsa religionis specie decepta. Ceterùm eo scelere detecto, Parochus capite primum plexus, mox igni absumptus est. Stumpfius lib. 10. Heluetiæ.*

FINIS.

INDEX

seu

LOCI COMMVNES

OMNIVM HISTORIARVM

NEC NON ALIARVM RERVM MEMORABILIUM, item nominum ac verborum hoc opere compræhensorum ad inueniendi facilitatem in omni materia locupletissimè digesti secundum ordinem Alphabeti.

A

Aaron 261

Aaron magus 154

Abbas Rex Vngarorum 56

Absolon filius Dauidis 208

Achæus Rex Lydorum 194

Achilles 188

Adolphus Nassauiensis 15

Adolphus filius ducis Geldriæ 59

Adiuratio 159. vide plura in Execratio.

Adrianus Imperator 228

Adulterium 99. 101. 105. 107. 143. 159. 186. 192. 218. 220. 222. 225. 236. 239. 241. 244. 252. 370. 664. 665. 666. 667.

Adulterij pœna 219. 245. apud Saxones 103. apud Anglos, ib. à Macrino inflicta 217. ab Hippomene Atheniense 243. à Philippo Pulchro 244. à Tenne rege Tenediorum dictata 206. à Zeleuco introducta 207

Aes alienum 378. 400. 640

Aestu nimio aëris succensa sylua 519

Aestus aëris & siccitas 520

Aethiopis pueri perfidia erga herum & cædes 640

Agathocles 186. 430

Agrippitus adolescens 15. annorum idolis sacrificare non vult 45

Aistulphus Longobardor. Rex 11

Aiax 147

Alamandarus Isdigerdis Saracenorum dux 35

Alaricus Gothorum Rex. 205

Alba Græca 132

Albertus Austriacus 15

Albertus Landgrauius Thuringiæ 114

Albertus Episcopus Bremensis Necromanticus 603

Alboinus Rex Longobardorum 119. 310

Aldenburgum 312

Aleæ ludus 631
Alcimus Pontifex 517
Aleatores tres 18
Alemani 49
Alexander Seuerus Imperator 3 238 365.
Alexander Magnus 70.148.173. 236.333.633.
Alexander VI. Pontifex 185.424
Alexander alias Paris Hecubæ filius 188
Alexander Pharæorum tyrannus 429
Alexander Poloniæ Rex 485
Alexander Epiri Rex 590
Alexander III. Scotorum Rex 603
Alexius Angelus Imperator 599
Almaricus 4
Alphonsus XI. Castulonensis Rex 199
Amantius Aruspex 170
Ambitionis furor 344
Ambrosius Episcopus 91
Amor 189.203
Amor duarum sororum inter se pius 512
Amantium exitus infelix 343. 345.376. 488
Amoris causa facta sui præcipitatio 364
Amoris pellicum antidotum 447
Amurathes Turcorum Rex 219
Anabaptistæ 356
Anastasius Patriarcha impius 45
Anastasius Dicorus Imperator Constantinopolitanus 48
Anastasius Imperator 315
Ancæus 494
Ancilla serpentem enixa 607
Andreas Rex Apuliæ 253
Andreas Rex Vngariæ 103
Andronicus Antiochiæ præfectus 231
Andronicus 249
Andronicus Comnenus 485.487. 602.620.
Andronicus senior Imperator 602
Angeli Dei apparent 35.622
Anglicus sudor morbi genus 648
Anima hominis immortalis 8
Anima vendita pro canthare vini ibid.
Animus hominis inconstans 139
Animalia in ventre virginis simulata 291
Annonæ caritas 488.587.588. 621. plura vide in Fames.
Annonæ vilitas 128. 435
Aino Coloniensis Episcopus 364
Anshelmus Cantuariensis Episcopus 56
Antiochia 3. sedes & refugium hæreticorum 50
Antiochus Epiphanes 121.295. 623
Antiochus 145.236
Antiochus Eupator 146
Antoninus Baßianus Caracalla 74. 141.460
Anulus Iudæorum ex cortice palmæ 482
Aphthardocitarum hæresis 3

Apodbra-

Apophrasius Ecclesiæ persecutor 44
Apostasia 277.401.544. plura vide in Relligionis mutatio
Apoplexia 517.518
Appius Claudius decem-vir 147
Apries Aegyptiorum Rex 146
Araneorum decies mille libræ collectæ 74
Araneæ albas texentes telas mox nigras 623
Arbor in lapidis duritiem transmutata 33
Arbor prægrandis militem blasphemantem terra illidit capite tenus 19
Arboris incisæ vindicta 458
Arbor sponte loco transit 614
Arcana non ritè creduntur iniuria affecto 211
Archelaus Cyrenarum Rex 202
Archelaus Macedoniæ tyrannus 85
Archidamus 147
Argentarij 257
Arius, Arianismus 2.40.43.47. 50.162.165.180.226.314.
Aristippus 428
Aristobulus 34
Aristocles Orchomeni tyrannus 200
Aristodemus 429
Armorum vsus magicus 155
Arnoldi Episcopi Moguntinensis insolentia 463
Arnolphus Imperator 46
Arphaxat Magus 154
Artaxerxes 68.140
Artaxerxes Mnemon 178
Artaxerxes Ochus 285.589
Aruntius 102
Aruspices 170. supplicio affecti 171
Aspasia concubina Cyri 140
Assatio hominum ad prunas 94
Astapa ciuitas Hispaniæ 447
Asturcum oppidum 170
Attalus 247
Athanaricus Gothorum Rex 309
Athenienses multas leges habent, paucis vtuntur 291
Attila Hunnorum Rex 46.573. 610.612
Aθεος 661
Auaritia 33.128.129.130.131. 134.135.136.137.194.366. 434.437.472.661.
Aulicus adolescens 17
Aulicæ fœminæ inconstantia 150
Aulicorum æmulatio 407
Aulus Vitellius 414
Aurelianus Imperator 42
Aurelius Imperator 303
Auriculæ hostibus præcisæ nouem saccos complent 576
Auscultatio clandestina 561
Austro vento bellum indictum 365
Autharis duodecimus Rex Longobardorum 51

B

Babylon hodie Balachum 471
Bacchanalia eiusq; generis ludi 231.352.354.

Baccha-

Bacchanaliorum festa vnde 21
Bacchi sacerdos quidam 331
Badudus Britannorum rex magus 155
Baiazetes 576
Baiazetes II. 594
Bala III. Vngariæ Rex 472
Balneum 1. 2
Banchi ruptio. vide Fori cessio.
Bansbannus præfectus Vngariæ 103. 104. 105
Baptismus denegatus infanti vulgò quæsito 642
Baratanes Rex Persarum 35
Bardas 54
Barilotum 231
Barnabas Vicecomes Mediolanensis 135
Basilius 4
Belgradum 635
Bellisarius 415. 584
Bellum sacrum 123
Belli inter cognatos auctor 179
Bellum & oppugnationes vrbium 351. 464. 485. 512. 513. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 560
Bellum à muliere excitatum 268
Bellum excitatum 288. 380
Bellum excitatum à Iulio 2. Pontifice 577
Bellum cum Austro vento 365
Bellum Punicum II. 567. 579
Bellum Punicum III. 562
Belli fortuna secunda quos sequatur 226
Bellorum iniuriæ longè plures ac maiores quàm aliæ clades quæ hominũ generi acciderunt 563
Biblia sacra aboleri & in cineres verti iussa 39
Biblia sacra combusta 125. 296
Blasphemia aduersus Deum, Christum & Euangelium 6. 18. 19. 122. 152. 229. 279. 350. 404. 596. 623. 647. 648. 649. 658. 659
Blasphemiæ pœna 152
Blusso Rex Vandalorum 55. 313
Beneficium precio venditum 377
Beneficium indigno 377
Benignitas erga eos qui latrocinium passi 275
Berenice 203
Boëmundus Teupulus 203
Boëthus 77. 226
Boges Persa 497
Bohemi 474
Boleslaus Poloniæ Rex 223
Bombardarius à puluere tormentario interficitur 61
Bos loquitur 609
Bricola tormentum 479
Brixia 478
Brunchildis regina Gallorum 47 181. 268.
Bruneusch Hispaniarum Regis filia 177
Bryas dux Græcus 98
Bubo calamitatis nuncius 298
Burchardus Archiepiscopus Magdeburgensis 14
Burchardus Episcopus Halberstadensis 281

Cabades

C

Cabades Persarum Rex 4
Cabaones dux Maurorum 225
Cadauera cæsorum exsiccata & condita in terrorem aliorum 477
Cædes 76.75.78.79. 80. 81.82. 85.97.116.119.149.151.152. 153.157.158. 166. 173.178. 179.181. 182.183.184.185. 188.189.190.191.195.197. 198.200.202.203.209.214. 216.223.228.236.253.254. 259.272.290.295.324.332. 334. 339. 340. 341.342. 344. 347.348.356. 369. 374.381.382.383.384.409 590.600.638.639.640.641 642.643.644.645
Cædes patefacta ab ipso autore in somnio 82
Cædes in bello generales 35. 207. 218.240.389.391.292.402 445. 446. 484. 488. 507. 569.570.571.572.573.574. 575.576.577.578.579.580. 594.595.603.605.610.611. 612. 613.615.633.634.563. 564.565.566.567.568.
Cædes à Iudæis in Christianis pueris perpetratæ 293. 294. 295. 494.483.484.
Cæsi cadauer manu protensa vindictam postulat 483.
Cæsar Borgias Alexandri VI. Pontificis filius 86.185.373.426. 593
Cainus 173
Calippus Atheniensis 179
Calo Ioannes Comnenus 91
Calumnia 13. vide plura Criminatio
Calumniæ euitandæ causa sui ipsius trucidatio 454
C. Ciuilius 179
C. Iulius Cæsar 241
Callisthenes Philosophus 633
Cambyses 67
Canities vna nocte inducta 222
Canes dominos suos dilacerant 7 224
Canis specie circumductus cacodæmon 27.28
Canis specie nutriti pueri 329
Canes aluntur ad laniandos homines 255.344.
Canis index latrocinij in hero suo commissi 376
Canum multitudo disparet 506
Canes vlulantes 603.607
Canum multitudo per aëra fertur 624
Canis spectrum 663
Canonici cuiusdam adulterium 109
Carbunculus morbi genus 511
Carnificis scelus 133
Caronis Rex Vandalorum 78
Carolus II. Rex Neapolitanus 29
Carolus Andegauensis Comes 182 211
Carolus Paruus Neapolitanus Rex 600
Carolus Magnus 12
Carolus V. Cæsar 204.479

Carolus VII. Galliæ Rex 272
Carolus Vngariæ Rex 342
Carolus vltimus Burgundionum dux 476
Carolus Martellus Gallorum Rex 574
Carolus VIII. Galliæ Rex 615. 625
C. Caligula 215.226. 227
C. Caligulæ votum 72.190
Casalum vrbs Salaßiæ 30
Cassander 75
Catilina 92
Cazimirus III. Poloniæ Rex 621
Celestinus III. Papa 418
Censores Romani 461
Certamen de execratione 21
Childericus Rex Francorum 89
Childericus II. Rex Francorum 224
Chilpericus Rex Francorum 189. 278
Chilpericus Rex Sueßionum 484
Chirurgus in lupauar tendit 113
Chorea Adami & Euæ 239
Chosroës Rex Persarum 52
Chramnus Regis Francorum filius 497
Christi diuinitas negata 5
Christi humanitas negata 1
Christi præsentia in sacramento negata 4
Christiani auribus alijsq; membris mutilati 199
Christianorum persecutio vide Ecclesiæ persecutio
Christiernus II. Daniæ Rex 440
Cinis pluit 504
Circumcelliones 626
Citatio ad tribunal Christi 160. 161. 281. 320. vide plura Prouocatio ad tribunal
Ciuitatis ius 372
Clamor ingens auditus 609
Claudius Herminianus 41
Clemens IIII. Papa 182
Clemens V. Papa 160
Clemens VII. Papa 479
Cleomenes dux Spartanorum 11. 324. 447. 491
Clodamirus Aurelianensium Rex 479
Clodouæus Francorum Rex 233
Cneus Pompeius 239
Cœlum ardere visum 501
Cœlum hastis aperitur 610
Coitus hominis cum capella 350
Colomannus Vngariæ Rex 183
Colubrorum multitudo 618
Columbanus Martyr 47
Cometes 601. 603. 608. 610. 611. 612. 613. 621. 626
Commodus Imperator 42. 246. 601
Concilium 229. 230
Concilium Tridentinum 663
Conscientia 173. 174. 221. 370. 645

Coniu-

Coniugalis amor 498
Coniugij fœdus ruptum, vide Matrimonium
Coniuratio 93. 214. 215. 251. 253. 256. 269. 321. 326. 334. 341. 345. 360 366. 377. 378. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 387. 412. 419. 457. 592. 618
Coniuratio domestica 192
Conradus IIII. Cæsar 198
Consiliarij auari sepulchrum in cloaca 135
Consiliarij impietas 661
Constans Imperator 46. 66
Constantinus Imp. 66. 162. 144 168
Constantinus Patriarcha 45
Constantinus Copronymus Imp. 45. 369. 580
Constantinus VI. 197
Constantinopolis 595
Constantinopolitana ciuitas vltioni indulgens plurimum 217
Constantius Cæsar 43. 168
Contones nobiles, vulgo die Kotzen 127
Conuiuij specie cædes commissa 197
Corda hominum verubus subter aquam defixa 487
Coriolanus 179
Corinthus 1
Corona picea capiti imposita 287
Cotys Thraciæ Rex 221
Craco præpositus Goslariensis 130
Cracus Poloniæ Rex 81
Crescentius Pontificis Legatus 663
Criminatio falsa 59. 95. 317. 338. 339. 340. 343. 375. 379. 394. 401. 407. 408. 430. 457. 483. 590. 629
Cruce signati milites 441.
Cruciferi in Prussia 232. 454. 471. 474
Crucifixio pueri Christiani à Iudæis commissa 404. 482
Crucis signum in cœlo 605
Cruco Sclauorum princeps 55
Crudelitas 67. 68. 69. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 83. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 95. 132. 136. 146. 172. 174. 179. 184. 186. 197. 200. 209. 221. 222. 223. 224. 226. 248. 254. 288. 289. 295. 296. 325. 330. 347. 352. 363. 367. 383. 384. 385. 386. 458. 459. 460. 464. 465. 466. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 477. 479. 483. 486. 487. 518. 555. 556. 561. 570. 633. 634. 635. 636. confer Tyrannis
Crudelitas in seipsum 442. 443

Crudelitas muliercula cuiusdam 272
Crumus Bulgarorum princeps 199
Cruore mortuorum inuncta facies 92.207
Cupas 56
Cynops Magus 154
Cyrus 69

D

Dæmon sub specie canis circumductus 28.27
Dæmonum fraudes, elusiones, abductiones 156.157.163.165
Dæmones diuiti morituro adsunt 163
Dæmonium vexat Carolum Ludouici Rom. ducis filium 174
Dæmones obsident homines 316
Dæmones in infernum portant 319
Dæmoni sese deuouens propter victoriam consequendam 346
Dæmonum strepitus ac hinnitus equorum 369
Dæmon suffocat 346.347
Dæmon exorcizationem sacrificuli non curat 528
Dæmones ad cœnam vocati 24 plura de dæmonibus vide Satanas
Darius 100
Decimarum certamen 159
Decimæ ereptæ 281
Decius Imperator 39
Defectio vide Rebellio
Deieratio 10.13.15.16. confer Periurium & Execratio.
Delatio falsa 159.95. vide plura Criminatio
Demetrius Antigoni filius Rex Macedoniæ 191
Demetrius Seleuci filius 146
Denarius in serpentem mutatur 130
Deorum simulachra visa 612
Depositum 16.257.331.332.
Desperatio 632.642.643.650.651.652.653.654.655.656.658.659.660.661.
Deum æquè in Ouidio atque Augustino locutum impia assertio 4
Dei contemptus 146.147.226.229.278.279.367.661. plura vide Blasphemia aduersus Deum
Dicacitas 460
Dicta argutè 147.149
Dieterich von Bern. vide Theodoricus Gothorum Rex
Dierum non noctis induciæ 11
Dignitatum temeraria ab Imperatore in præfectis variatio 457
Diocletianus Imp. 39.303
Dionysius Iunior 209.411
Dionysius Syracusanus tyrannus 410.606
Dion Syracusanus 600
Dioscorus 44
Diues ad cœnam vocat diabolos 24
Diues quidam Halberstadensis Deo non inuidet cœlum 25
Diues post obitum ambulat & ciues amplexu suo partim occidit

partim graui morbo afficit 27
Diuitiæ 378
Diuiti morienti dæmones apparent 163
Dominicus dies profanatus 18.19. 33.631. vide Feriæ.
Dominicus quidam presbyter egregiè vir in libidine 192
Domitianus Imp. 36.238.600.
Domitius Nero Imp. 36
Donatistarum hæresis 7
Δωροφαγία 238.377
Drabonucia vxor Vratislai Boemorum ducis 188
Duellum 241.377
Dunaan Pseudomoyses.

E

Eberulphus Chilperici Regis cubicularius 51
Ebrietas 19.23.31.117.149.365. 457
Ecclesiæ persecutio & quemadmodum persecutores eius puniti. 4.6.36.37.38.39.40.41.42. 43.44.45.46.47.48 49.50 51.52.53.54.55.56.57.58. 122.199 284.296.297.298. 299.300.301.302.303.304. 305.306.307.308.309.310. 311.312.313.314.315.316. 317.318.319.320.347.482. 483.484.582.657.661.
Ecclesiæ munificentia 405
Ecelinus Monachus 169
Eckembaldus Brabantus 106
Edgarus Scotorum Rex 227
Edmundus Anglorum Rex 289. 348
Edoardus II. Anglorum Rex 262
Edoardus IIII. Anglorum Rex 183.436.456.
Edoardus Henrici Anglorum Regis filius 289
Educatio liberorum nimium indulgens 58. à filijs ipsis supplicij tempore vindicata 62
Egres cœnobium 472
Eleemosynæ 408
Eleemosynæ pauperibus datæ reuocatio punita 194
Eloquentia 385.386.417.666
Elpidius priuatæ pecuniæ & facultatum Iuliani Imperatoris procurator 6
Engerranus 407
Epicureismus 278
Epigenia 57
Epistolæ produnt adulterium 222
Erasinorix tetrarcha Galliæ 202
Erginus Minyarum Rex 165
S. Ericus Sueonum Rex 214
Eslinga 21
Essebaan Aethiopum princeps 49
Euangelij doctrina à sacrificulis Pontificijs reprehensa 646. 647.657.658
Euangelij doctrina 648.649. & seqq. vsq; ad 660. inclusiuè.
Eucharistia canibus obiecta 7
Eucharistia denegata 422
Eucharistia administrata apparet sanguinis & carnis species 614
Eucharistiæ sumtio 159.433

Eunuchus Eutropius 150
Eutychianismus 131
Excarnificatio 6. vide Mors illata.
Excommunicatio 182. 232. 223. 234. 237. 256. 320. 435
Execratio 10. 13. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 63. 159. 195. 218. 228. 319. 646
Execratio matris contra prolem ex se nascituram irrita non fuit 227
Execrationes parentum contra liberos irritæ non sunt 64. 65. 66. 124
Exercitus niger 94
Exilium 421. 432

F

Fallacia 11
Falsa manus imitatio 329
Falsi pœna 276. 277
Falsi testimonij pœna 333
Fames 43. 44. 48. 54. 75. 181. 318. 351. 362. 389. 405. 478. 488. 489. 490. 502. 505. 506 543. 554. 570. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 588. 590. 608. 664
Fastus cyclopicus aduersus Deum 146
Fax in cœlo visa 618
Felix Quæstor regij thesauri apud Iulianum Imp. 6
Felix Idicrensis Donatista 7
Ferarum in homines grassationes 543
Feras occidere capitale sub Ioanne Anglorum rege 435
Ferdinandus Aragonum & Neapolitanorum Rex 477
Feriæ diuino honori sacræ profanatæ 18. 19. 31. 33. vide plura Dominicus dies &c.
Fiacrij morbus 285
Fides coniugalis 202. confer Coniugalis amor
Fidem contractuum qui violat non minus puniendus quàm latro spolians 257
Fides contractuum & pactorum violata 258. 280. confer Fœdus ruptum
Fides matrimonij futuri non seruata 291
Filij degeneris erga patrem facinus 59
Flaccus præses 44
Flamma è sepulchro 163
Flamma inextinguibilis maledicentem corripit 319
Florentini 476
Fœdus 617
Fœdus ruptum 10. 11. 12. 13. 14. 206. 256. 333. 485. 577. 125.
Fœlicitas 410
Fœminæ fortes 11
Fœminæ imperium 79
Fœmina Rex Vngariæ 419
Forcheim Germaniæ oppidum 483
Fori cessio seu Banchi vt vocant ruptio 378
Fortunæ varietas 196. 209. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 424. 425. 426. 516.
Fortuna humilis elata ad dignitates 246

tes 246.249.250.266.412.415.417.520.423.426.427 437.457.571.
Franciscus Gonzaga 244
Franciscus Galliæ Rex 362
Franciscus Spi ra 649
Frater fratrem iuuat 10.335
Fratres duo inscij mutuo se cadunt 598
Fratricidium 66.67.161.172.173.177.181.187.188.197.198.202.214.268.329.375.638.643.
Fratricidium incautè commissum ab existimante adulterũ esse 665
Frauenstein pagus 644
Fredegunda vxor Chilperici Fran. Reg. 189
Fridericus Palatinus 115
Fridericus I. Marchio Misniæ 14
Fridericus I. Imperator 204
Fridericus dux Austriæ 469
Fridericus Stupphius manium euocandorum peritus 156
Frigus hyemis nimium 520.521
Frigus 351
Frumentum Ecclesiæ raptum 43
Frumentũ perditur inundatione 280
Frumentum animatum auolat 129
Frumentum subditorum feris depascendum datum 435
Fulmina absterrent sacrilegum à corpore D. Iacobi 285
Fulminis ictus & tonitrua 3.31.48.286.291.302.303.351.379.482.495.496.532.600.609.611.616.617.618.620
Fulminis ictus manum dextram fidicini vna cum plectro aufert 33
Fulminis ictus absterret Aurelianum à persecutione 42
Furor 21.344.471.491.590. plura vide Cõscientia, & Mors illata
Furtum 62.124.215.236.281.
Furtum pabuli equini punitum 276
Futura prædicta à muliere 28. per somnium 48.166.167.169.176. 606. 620. à monacho 342. à sacerdote 599. ab Imperatore Leone 168. à Constantio Imp. 168. à Diuo Seuerino 169. 170. per signa 372. per signa infausta 504. 516. 526. 534. 537. 575. per signa prodigiosa seu portentosa 548. 600. 601. 602. 603. 605. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 613. 614. 616. 617. 618. 619. 620. 623. 624. 625. 626. per ominα 621. 623. à Dæmone 528. ab auspice 598. ab angelis Dei 35. 622. per ænigma in bibliotheca repertum 598. per oraculum 598. à D. Bernhardo 599. per spectra varia anus, viri & iuuenis 600. 603. 604. 605 606. 612. per spectra pugnantium in aëre 608. 609. 610. 611. 612. 615. 619. 623. per vmbrã apparentem 601. à canibus porcisq; in templo vlulantibus 603. à capite pueri cæsi 151.

Futuræ mortes præsagiuntur signis in Basilica Cracouiensi 369

G

Galba 93. 259
Galerius Imperator 40. 306
Galienus Imperator 302
Galli crudelitate odium sibi parant 479
Gallus Imperator 45
Gandauum vrbs 204
Ganelo 262
Garrulitas 346
Gebhardus dominus de Schrapelau 127
Gehenna 162. 163. 164
Geilana Gosberti VVurtzburgensis principis coniunx 57
Gemmarum amor 280
Genzericus Vandalorum Rex 47. 210
Gerhardus Holsatiæ Comes 79
Gerhardus Campisamperius 211
Gerhardus Mansfeldiæ Comes 633
Germanorum peccata 87
Germanorum nomen omnibus terrori 224
Gilimer Vandalorum Rex 586
Gisa coniunx Filithei Rugiorum regis 288
Glacies præ minio pugnantium æstu soluitur 513
Glocestrense nomen apud Anglos ducibus datum 593
Gloriæ seu famæ aucupandæ crudelis via 72. 38
Gnomonis nautici adulterati pœna 276
Goduinus Cantianorum Comes 9
Goisuinta Hispanorum regina 50
Goldeberga 33
Gotfridus Lotharingiæ dux 35
Gothi 39. 557. 558. 570
Grando ignea cœlitus delapsa 316
Grando ingens ac portentosa 6. 43
Gregorius Episcopus Spoletanus 44
Gregorius V. Pontifex 119
Gregorius VII. Pontifex 189. 370. regno abdicat regem Poloniæ 223
Grezomislaus Bohemiæ dux 28
Guelph. Gibelliniq; 422. 441. 475
Guido Comes Montisforti 214
Gulielmus Ruffus Angliæ rex 56. 606
Guntherranus rex Francorum 320
Guntramus Burgundiorum Rex 262

H

Hadingus Danorum Rex magus 156
Hadrianus Imperator 41. 299
Hadrianus VI. Papa 623
Hæreditatis paternæ sitis 59. 62
Hæresis 1.2.3.4.5.7.40.43.46. 277.338 367 626. vide singulorum Hæreticorum Nomina
Hala Saxonum 660
Halberstadiensis Episcopus Burcardus 281

Hanno

dus 281
Hanno Carthaginensis 462
Haraldus Danorum Rex 572
Hasdrubal 443
Hatto Episcopus Moguntinensis 664
Hebertes Comes Veromanduorum 262
Hecuba 188
Helena 370
Heliogabalus Imp. 278
Henricus Sax. princeps 56
Henricus III. Imperator 230
Henricus IIII. Imperator 189. 320
Henricus VI. Imp. 213
Henricus VII. Imp. 615
Henricus II. Galliarum Rex 355
Henricus IIII. Anglorum Rex 183
Henricus V. Anglorum Rex 285
Henricus VI. Anglorum Rex 183. 420
Henricus VIII. Anglorum Rex 117 193
Henricus Pius Vratislauiæ dux 575
Henricus Cornelius Agrippa magus 27
Henricus Ecclesiæ Augustanæ præfectus 405
Henricus Moguntinensis Archiepiscopus 159
Henricus dux Luneburgensis Iusticiæ assertor rigidus 125
Heraclius Imp. 141
Hercules 258
Hermaphroditus parit 612
Herodes Antipas 296. 317
Herodes Antipatri filius 296
Hessewick pagus 33
Hieronymus Syracusanorum tyrannus 590
Hierosolyma 553.581.608.634.
Hippolytus 374. 629
Hippomanes Atheniensium princeps 101
Hircanus Iudæorum Rex 409
Hollerus magus 155
Homicidium 9. vide Cædes
Hominis mutatio in statuam salariam 491
Honorius Vandalorum Rex 47
Horreum auari deflagrat 129
Hospitij ius læsum 326.332.477. 488
Hostium manus effugiendi caussa sui ipsius suorumq; trucidatio & crematio 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451.452.453.454.497.589. 590.635.646.
Humanæ carnes esæ & sanguine humano facies picta 92
Humanæ carnes esæ vel ad edendum datæ 209.217.249.272. 289.471.489.570.584.
Humanæ carnes coctæ & venditæ 405
Hunericus 314
Hunni 570. 572. 613.
Hyemis nimium frigus 520. 521

I

Iacobus Rex Scotiæ 82
Iacobus Patriarcha 208
Iacobus Marchio Brandeburgensis 275

275
Iacobus V. Scotorum Rex 592
Iacobus Picininus dux exercitus Venetorum 616
Ianizari 386
Iarmericus Danorum Rex 469
Iaropelcus Kiouiensium princeps 264
Iason 220.221
Idolatria recusata 45
Idolatria 230.311
Iephtha 563
Igneæ faces hinc inde oberrantes 613
Ignis cœlitus delapsus 3.31.184. 526.531.562
Ignis è terra 308
Ignis ex hastis signorum 607
Ignis ex arca dentata quæ ad decorticandum linum adhibetur 34
Ignis cœlestis consumit Dioscorũ 44
Ignis è tumulo 162
Ignis per ventrem dorsumq; ægri lucens 516
Imagines templorum 45
Imbres magni 521.533.534.535 537
Immanitas 200
Immisericordia 599
Imperatoris electio 263
Impietas 45.331.661
Impietas erga parentes 49.50.59. 60.61.62.63.72.124.256.
Imprecatio vide Execratio.
Imprecatio sacerdotis minimè vana 31.32
Impudicitia vide libido, scortatio, stuprum, adulterium, & similia &c.
Incantator serpentum 28
Incendium 14.34.51.178.180. 198.496.503.519.521.522. 523.524.525.526.527.528 529.530.531
Incendij culpa in Christianos 39
Incestus 57.58.72.96.102.140. 141.178.188.191.193.195. 245.246.291.346.433.491
Incestus causa grauissimi parricidij 191
Incestus amor 374
Incestus spiritualis 163
Indicium à mortuo factum 162
Induciæ ruptæ 256.290. vide Fœdus ruptum
Indulgentia nimia erga liberos 58. 62
Infans capite canino cuidam venatori Nobili natus 33
Infans è matris vtero penè editus mox reuertitur in aluum 624
Infans lapsu, cultro incumbens obit 642
Infantes bicipites editi 612
Infernales cruciatus ac damnatio 162.163.164.369. vide plura Gehenna
Ingemarus Gothorum & Sueonum Rex 326
Ingratitudo 414.424.425.426 469.488.616
Iniuria 378
Iniuria subdito regulo facta per

translationem regni 457
Innocentis condemnatio 160
In nomine Diaboli 17.18
Insidiæ 188.324.327.380
Insidiæ non succedentes 114.131.290
Insidiæ proditæ 131.213.274
Insidiæ ipsum insidiatorem pessundantes 189.236.325
Insulanus Abbas Noualliorum Dominus 151
Interitus generales & consueti familiarum 590.592.593.594.603
Intestina effusa 2. plura vide Mors illata.
Inuidia 416.418.
Inundationes 181.280.286.303.318.504.531.532.533.534.535.536.539.541.553.602.611.815.619
Inundatio sanguinis prodigiosa 610
Ioannes Faustus Magus 28
Ioannes Dux Burgundiæ 12
Ioannes Chrysostomus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus 51.180. eius libri incendio absumpti 198
Ioannes Papa 226
Ioannes XIII. Papa 99
Ioannes XIIII. Papa 215
Ioannes Anglorum Rex 434
Ioannes Maria dux Mediolanensis 255
Ioannes Maria Vicecomes 192
Ioannes Cuzomita 194
Ioannes Rata Caserta Comes 211
Ioannes Baptista occisus 297.317
Ioannes Leidensis Rex Anabaptistarum 356
Ioannes Comes Habsburgensis 377
Iocus cum principe liberior malè cedit 225
Iouis manus sinistra liquefacta 3
Iracundia 90.91.507
Irene 197
Isaureorum in seipsos sæuitia 442
Itali minimè apti ad suorum flagitia dissimulanda 385
Iudæi Christiano sanguine carere nequeunt 6
Iudæorum seditiones & calamitates 92.400.401.402.403.404.482.483.484
Iudæorum crudelitas 289.483.570.
Iudæi infantem immolant 293
Iudæi lepram induci curant 336
Iudæi exciduntur 405
Iudæi peruicax hominum genus 508
Iudicium iniquum 45.259.260.359
Iudicis cuiusdam Hispani in indagando homicidio sagacitas 639
Iulianus Apostata 41.43.307.601
Iulianus dux Iudæorum 231.404.482

Iulianus Cardinalis 290
Iulianus præfectus Orientis 6
Iulius II. Papa 577
Iusiurandum contemptum 9.333. violatum 440
Iusiurandum 380.664
Iusticiæ seueritas 206.207.
Iustinianus Imperator 3.390.394. 404.482
Iustinianus II. Imp. 89.176.181. 196.213.254.416.459
Iustinianus Magnus Imperator 245
Iustinus Imperator 4
Iustinus senior Imp. 226
Iuuenis habitu muliebri ad libidinem circumductus 94

K

Kolgarte pagus Lipsiæ proximus 642
Kunstat oppidum Franciæ orientalis 33

L

Labores domestici die feriato quàm benè cedant 33.34
Lachrymæ è statuis 602.603
Ladislaus Vngariæ Rex 10
Ladislaus III. Vngariæ Rex 256
Laius Rex Thebanorum 598
Landobertus 232
Lapides de cœlo cadunt 619
Largitionibus corruptio facta 367. vide Δωροφαγία
Latomus hæreticæ prauitatis inquisitor 656
Latrocinia & raptus 93.125.126 127.289.348.376.638. vide Prædones
Lechus Poloniæ Rex 181
Legatio 261.470
Legatorum Persicorum libido punita 100
Leno terræmotu perit vna cum omnibus scortis 540
Leo IIII. Pontifex 280
Leo V. Pontifex 342
Leo X. Pontifex 277.387
Leo Magnus Imp. 516
Leo Armenus Imp. 598
Leodegarius 47
Leonidas Rex Spartanus 488
Lepra 336
Leucippus Xanthi filius 191
Leuctrica calamitas 97
Leutherius dux Alemannorum 49 .309
Leuitas verborum 24. confer Execratio
Lex agraria 461
Lex Salica 12
Lex vt post XXX. dies rescripta Impp. executioni mandentur 91
Lex vt sontes è templis abducere liceat 150
Lex de profugientibus ad templa extrahendis 343
Lex de non miscendis sermonibus neq; priuatim neq; publicè 150 428
Lex de adultero securi percutiendo primum legislatoris filium stringit 206

git 206
Lex de adultero oculis priuando primùm filium Legislatoris deprehendit 207
Lex de iniquè iudicante 260
Liberalitas 405
Libertas 383.384.385.590.591.
Liberorum educatio vide Educatio.
Libido 73.74.94.97.100.138.139.148.167.188.209.231.241.243.256.347.350.353 360.361.362.363. confer stuprum, Adulterium &c.
Libido fœminæ cum equo 101
Libido cum puello occisa 645
Licinius Valerianus Imp. 301
Lingua præciditur matri Imperatoris 142
Lingua Nestorij à vermibus exesa 3
Linguarum peritia 666
Linteorum rudium mundator 7
Lipsia 605
Litigium forense 409
Lituus Episcopi sacra facientis exardescit subito 611
Liuerottus Firmianus 197
Locustæ 502.504.551.552.583.608.617
Londinum ciuitas Angliæ 395
Longobardi 612.613
Loquendi facultas subitò amissa 7 21
Lotharius II. Imp. 159
Lucianus Samosatensis 350
Lucius Septimius Seuerus Imperator 38.601
Lucius Verus Imp. 38
Lucius Sylla 363.488
Ludouicus Vngarorum Rex 79.636
Ludouicus Bauarus Imp. 222
Ludouicus dux Bauariæ 82
Ludouicus Thuringiæ & Hassiæ Comes 115
Ludouicus Rex Francorum 150 599.608
Ludouicus III. Imp. 312
Ludouicus Sfortia 323.423
Ludouicus II. Vngariæ Rex 445
Ludi equestres 355
Ludus 18.21.24.631
Ludus personatorum noxius 352
Lunæ Elipsis 602.610
Lunæ pallor inusitatus 603
Lupus sacrilegij vltor 285
Lupus triginta homines deuorat 494
D. Lutheri doctrina 646
Luxuria 434. vide voluptas.
Lycus amnis 12

M

Macareus Mitylenensis sacrificulus Bacchi 331
Macrinus Imp. 217
Magdeburgum 14
Magia, Magi 28.153.154.155.156.157.170.171.292.339.408.603
Magistratui debitum officium recusatum 204.205. confer Rebellio

Magistratus contempti ac violati pœna 11. 15
Magistratuum venditio 342
Magnanimitas 199
Magnentius 391. 493
Magnus Sfortia 200
Mahometes Otthomannus 265. 458. 518
Mahometes II. Turcorum Imp. 386. 329
Maledictio 18. 19. 44. 359. vide plura Execratio, Impecratio
Mamucha Agarenorũ princeps 52
Manes, Manichai 1. 230. 626.
Manna de cœlo 616
Manubria gladiorum ex fœmoribus hominis 285
Mansuetudo 200. 322
Manuel Comnenus 86. 154. 571
Manus pracisa & mensa affixa 257
Marcesij panes 588
Marcus Aurelius Antoninus Verus Imp. 38. 300
Marcus Crassus 180. 609
Marcus Tullius Cicero 516
Margarita Henrici VI. Angl. Regis vxor 183
Maria virginis specie à Parocho decepta puella 667
Marinus Faletrus Venetorum Dux 205. 250
Mariti aduersus vxorem Execratio 20
Mariti cædes vlta 202
Mars sydus toto anno nõvisum 198
Martinianus miles Petri & Pauli custos 42
Martinus IIII. Papa 182
Martyres, vide Ecclesiæ persecutio.
Martyrij proprij excogitata hæresis. 626
Maulaus pocillator Regis Pol 250
Masouia vnde dicta 250
Matrimonij specie vltio cæsi mariti à relicta vidua suscipitur 202. 203. 210.
Matrimonij specie regnum occupatum 195
Matrimonij fœdus ruptũ 220. 221
Matrimonium illicitum 137
Matris de filio sollicitæ infortunium 630
Matthæus Vicecomes 231
Matthias Vngarorum Rex 517
Mauritius Imp. 136
Mauritius Elector Sax. 605
Maxentius Imp. 40
Maximianus Imp. 39. 40
Maximilianus I. Imp. 593
Maximinus tyxannus 7. 38. 75. 305
Maximus vir sanctus cæsus 46
Medea 220
Meiere aduersus sacram mensam 6. 287
Membrorum mutilatio 391. 462. 463. 469. 476. 199
Mendicitas exprobrata mulieri egenæ 643
Mensarij 257
Mente captus 352. vide Furor
Mercaturam vt exerceret maritus persuasit

persuasit mulier superba 117
Mercatura, Mercatores 379.640
Mercatoribus apparent angeli Dei 35.622
Merseburgensis Episcopus Gebhardus 127
Methotis Sacerdos Magus 154
Michaël Balbus Amorraeus 54
Michael Seruetus 5
Michaël Imperator 457
Michaël princeps Rabinorum 661
Miles vxorē domi interficit cū putaret se hostem in praelio interficere 29
Miles depositum reposcens ab hospite 16
Militaris disciplina 225.239.241 321
Militū blasphemādi cōsuetudo 229
Militum crudelitas 232
Milles Episcopus 44
Ministrorum Dei contemptus 50. iniuria eis illata 314.319.367
Miraculorum simulatio 154
Missa 649
Misteuo princeps VVagriorum 312
Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐκ αὑτῷ σοφός 149
Mithridates Ponti rex 72.481. 468.568
Monachi iubentur militare 309
Monacho monenti minitatio facta ipsi minitanti malè cessit 314
Monetae adulteratio 276
Monialis corpore casta verbis procax 164
Moniales stupratae 317
Monstra hominum animantiumq;
plura edita 616.624
Morbus 41.43.516
Morbus Fiacrij 285
Morbus Gallicus 616
Morientis exclamatio 369
Mors illata ruina domus 1.44. ruina scindularum 55.265. excoriatione 2.6.39.93.213.231. 250.259. effusis intestinis 2. 369. visceribus per vomitum eiectis 44.305 in latrina excacatis 160.367
ictu fulminis 2.3.31.33.48.154. 182.291.351.381.495.647
inuisibili plaga 3
terraemotu 3.37.44
à vermibus exesa lingua 3
frigore 4
lingua praecisa 4.283. euulsa 131
lingua dentibus praemorsa 7.48.
visceribus putredine exesis & stercore per os egesto 6.45.367
à vermibus & pediculis è corpore sudātibus, per os ebulliētibus etc 9.19.40.41.47.296.306. 406.121.122.146.191.363.
membris ob putrefactionē paulatim decidentibus 48. inguine putrescente 287.296
à canibus 7.255.344.350.
à serpente incantatorem praecipitāte in foueam serpentum 28
igne caelitus delapso 31.44.66. è terra erumpente 308
suffocatione in aqua 33.39.52.64 154.512.524
lapsu de arbore 33
lapsu subito 45

incendio & crematione 34.48 50.94.175.157.180.231. 471.187.353.
suiipsius præcipitatione in Euphratem 35.622.in ignem 471
suiipsius præcipitatione ex alto vel in inanem 57.364.365.124. 628.658.656
Imperatori Domitio à propria vxore 36
aqua intercute 37
apoplexia 38.517.518
cruce, strangulatione, suspendio 40 42.62.67.72.188.359.360 370.200.514.515
suspendio pedibus facto & capite in Pactolum merso 194. à dæmonio agitante 42, præcipitante 44.661. in partes distrahente 63. auferente 8.16.19. 20.22.23.25.118.347.647 ceruicem frangente 130. oculos eruente 284.156
ab angelo domini 347
ardore viscorum 43.45.320. 363
capite situla percusso 46
sanguine in somno è naso effluente 518. ac fauces obstruente 46.
sanguine effluente è nare & pudendis 365
pedibus equis alligatus & corpore raptato 47.177
ferro 49.56.62
seipsum vel membra sua deuorando 49.132.160
veneno 51.73.185
arcubus in occidendum collineantibus 54
fame 54.139.173.273.472. 518.643.
in glacie pugnantibus 513
naufragio 54.512
dysenteria 54.516
corpore ac membris dissectis 55. 60.79.82.384. in bello 55. vide plura Cædes in bello. à serpentibus in carcere 55.311
dilaniatione 55.250. equorum 256.375. suiipsius 284.309
faucibus præclusis buccello panis 10.56.335
proprijs manibus 56.57.67.102. 179.221.224.321.358.375. 391.491.492.493.494.662.
proprio suspendio 59.128.129. 143.156.219.232.488.518 627.630.658
ictu iaculi in ceruum emissi 56
furore 61.125.590
à puluere tormentario 61
gladio ex vagina decidente & fœmur vulnerante 68
in cloaca 74
à muribus deuorantibus 77.351. 664
ab equo deuorante 101
à lupo deuorante triginta homines 494. à pediculis 511.
faucibus inter stupra sectis 101. in complexu incesto 191. gula forfice perfossa 201
viui defossione 102.266
oculis erutis 145. æreq; liquefacto auribus

auribus infuso 212
insomnio 172
hiatu terræ absorbente 188. 232
scapharum duarum inclusione 212
astando 213.272. coquendo 213
in oleo 333
corona ænea capiti adfixa 214
Beui inserendo 217.359
fumo 239. forcipibus candentibus 253
calce viua in os naresq; inflata 317. auro in os infuso 366
in tauro Perilli 312
face personatum deflagrante 345. & seq.
in Venere 360.361
vlcere fœtido 364
pudendis lignea cuspide transfixis 40
suiipsius ac omnium suorum conflagratione 442.vide plura hostium manus &c.
morsu ficus 518
Monothelitarum hæresis 46. 230. 277
Mons prǽaltus terræmotu corruit 535
Mons mugitum edit 548
Mons in abruptum desidet 550
Montes duo inter se concurrunt 541.607
Mors Maxontij similis pœnæ Pharaonis 40
Mortuorum cadauera sæuißimè tractata 92. 207
Mortuorum suscitatio 154
Mortuus reuiuiscit 162
Mortuus lamentatur & eiulat 164
Moyses vide pseudo Moyses
Mulier Maga post obitum aufertur à diabolo 29
Mulier Satanæ se quasi in adeptionem mancipans 22
Mulier se & infantem vberibus suis lactens 37
Mulieris consilium crudele 78
Mulier venefica virum coquit 119
Mulier grauida maritum suum deuorat 118
Mulierum auaritia 130.131
Mulieris imperiosæ seditio & incitatio 268.269.375
Mulier maga 273. incendium procurat 527
Mulier venefica puerum surripit Iudæisq; vendit 483.484
Mulpurgum in Thuringia 23
Multa cadunt inter calicem supremaq; labra 494
Mummo Magnus magister 153
Munera capientes consiliarij vt causam subditorum promoueant 238.377
Munificentia vide Liberalitas
Mures frumentum auari edunt 128 arrodunt Hattonem 664. Murium copia 617
Muscarum subita vis 601
Musici concentus spectrorum 25
Mustela noctu mordens periurum 179
Musulmanes Turcici Imp. filius 261

N

Nabucodonosor 177

Narcissus Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopus 13
Natandi causa in amne lauans die feriata suffocatur 33
Naufragium vide Tempestas maris. & Mors.
Necromantes prædicit exitium Regi cuidam 151
Necromantia 603
Nero Imp. 173. 414
Nestorius 3
Nicanor 146
Nicephorus Imperator 199
Nicolaus de Boock eques 263
Nicolaus Comes de Serin 646
Nicomachus 7
Niger exercitus 94
Nimbi 521
Niobe 178
Nobilis à diabolo propè abreptus 21
Nobilis tyrannicè in rusticos sæuiens 26
Nobilis venator 33
Nobilis ægrè ferens se à rustico fratrem appellari 643.
Normanni 55
Nouercæ erga priuignos impietas 628. 629
Nubes sanguineæ 608
Nuptiæ tyranni repudiatæ 88
Nuptiarum ambitio non pio studio cogitata 645

O

Obiurgationis impatientia 54. 57. 61. 64. 314
Ochus Magnus Imperator 133
Oculi à sede sua sponte elapsi 8
Octauius Sagitta Tribunus 216
Oedipus 599
Oenomaus Pisæorum Rex 228
Officij negligentia 349
Okaus Rex Danorum 375
Olympias vxor Philippi 222. 458
Olympius Episcopus Carthaginensis Arianus 1
Omen 165. vide Futura prædicta
Onias Iustus vir 318
Ophiusa herba 234
Oraculum Serapidis 147. vide Futura prædicta
Orchanus 102
Ossemer pagus 32
Ostanus rex Sueonum & Gothorum 437.
Ostauus Sueonum & Gothorum Rex 254
Oster pagus 22
Osyris Aegypti rex 202
Otto Magnus Imp. 133
Otto II. Imp. 206
Otto III. Imp. 119
Otto IIII. Bauariæ dux 167
Otto Syluius Imp. 493
Ottocarus Boëmiæ Rex 11

P

Paches Atheniensis 445
Paganus 44
Panes incisi sanguinis guttas fundunt

dunt 607
ταῦτα ἐγενόμην καὶ οὐδὲν ἐμοὶ λυσιτελεῖ 38
Papinianus Iureconsultus 74
Parentela spiritualis 291
Parentum erga liberos amor ac dolor de ijs amissis vel amittendis 627.628.
Parentum delicta in filijs punita 9.371.372.
Paris. vide Alexander
Paridis raptus 118
Parricidium filij commissum in matre 61.84.173. in patre 153.485.599
Parricidium commissum in vtroq; parente 62.64.96
Parricidium mariti in vxore existimantis esse feram 350
Parricidium mariti in vxore 630.632.642. 221.328.433.114.188
Parricidium matris in liberis 456 631
Parricidium vxoris in marito commissum 118.119.154.189.256.327.328.370.629
Parricidium patris in liberis commissum 219.632
Parricidium 47.68.70.72.74.81.83.468
Parricidium in fratre. vide Fratricidium.
Parysatis 272
Pater à filio de incestu cum iumento falsò insimulatus 59.
de proditione 401
Patriæ aduersum consilium 591
Patriæ etiam simulatam charitatem in hoste suo compensat Alphonsus XI. Castulonensis Rex 199
Patris in filiam macham seueritas 219
Pauiottus Magus 408
D. Pauli doctrina falsitatis arguitur 647.648
D. Pauli imago lachrymas edit 602.
Paulinus 42
Paupertas exprobrata mulieri egena 643
Pauperum vexatio punita 51.52
Pausanias 120.139.152
Pelagius 504
Perfidia 69.70.79.80.101.160.178.179.185.197.206.231.252.260.261.321.374.392.455.475.417.491.646.
Perfidia erga eam quæ semel desponsa est 662
Pericles 464
Perimela 208
Periurium 10.13.16.179.195.334.335.345.461
Perses Macedoniæ Rex 172
Persicum supplicium 2
Pestis, 30.38.45.54.92.181 301.337.351.362.371.

372.498.499.500.501.502.503.504.505.506.507.508.509.510.511.532.543.548.551.569.593.608.622
Pestis ex arcula 498
Petrus Pannonum Rex 418
Phalaris 351
Phaon 101
Pherecides Philosophus 8
Philippus Bardanius Imp. 229
Philippus Pulcher Gallorum Rex 160.243.407.575
Philippus II. Galliarum Rex 478.
Philippus Macedonum Rex 9.147.333
Philo tyranni Phricodemi filius 88
Phocas 78.137.184
Phocensium bellum sacrum 123
φύλαττε τὸν δώρακα 359
Philtra 362
Pilatus 299
Pipinus Francorum Rex 11.57
Pipinus magister equitum in Francia 191
Piratæ 474.555
Pirropegenes præfectus vrbi Rom. 44
Plagæ infinitæ 301.302.548.549
Plaga inuisibilis 3
Plaucianus 149
Plures quam pauciores maiorum suorum in infernum sequi vult Ratholdus Frisonum Dux 369
Pluuiæ 379.615
Pluuia sanguinea 605
Poculum ex cranio hominis 119
Pœna infernales an sint 5
Pœna stupri & adulterij 107.108.109.110.111.112.113.
Pœna raptus 118
Pœna blasphemiæ 152
Pœna tunicæ rusticulo ablatæ 126
Pœna talionis 197
Polemarchus 179
Polycrates Samiorum tyrannus 410
Polygamia 278.662
Pomum cedrinun. decerpentis pœna crudelis 458
Pompeius 70
Pompilius II. Rex Poloniæ 76
Pontificia doctrina 640.647.648
Pontificiorum delitiæ & opes 660
Popilius Macrinus præfectus prætorio 134
Porcelli ab vxore auari editi 129
Portenta 3.130.302.372.504.527.531.535.541.548.601.602. vide Ignis.
Potatio 19. *de stercore equino per iocum cyatho immisso* 23
Potitia gens 591
Præceptor discipulorum vitia non dissimulans 383
Prædones 272.273.275.283.285.338.469
Prædæ cupiditas 371
Prætextatus Episcopus Rothomagensis 189
Precum vis 31.35.371.623.634
Processus miles Pauli & Petri captiuo-

ptiuorum custos 42
Proditio 132.250.254.262.263 264.265.266.267.268.270. 322.325.331.356.378.393. 408.425.479.616.
Propinatio diabolo facta 19
Prouerbia 38.359.494
Prouocatio ad tribunal Christi 159 160. vide Citatio.
Psalmi CIX. abusio vindicata 279
Pseudo Moyses 49
Pseudoprophetæ 158.498
Ptolomæus Philopator Aegypti rex 188
Ptolomæus Ceranninus Maced. Rex 194
Pudicitiæ defensio vel amissæ vltio 200.201.208
Pudicitia mulierum defensa 95. 105. 145
Puer à Iudæis cæsus in dumeto repertus 5. vide cædes à Iudæis &c.
Pueri duo feri obuia quæq; dilaniantes 358
Puerorum ludus mactandi vitulum 630

Q

Quendreda 197
Quintus Aelius Præfectus prætorio apud Commodum Imp. 42
Quintus Sertorius 241

R

Ragenutius Dux Normannorum 311
Raguoldus Knaphofde Sueonum Rex 438
Rapina 149. vide Prædones
Raptus 139.221
Ratholdus dux Frisonum 369
Rebellio 92.365. à Pontifice concitata aduersus Imperatorem 380
Rebellio aduersus magistratum supremum 133.218.271.273. 364.421.560.
Regi caput in conuiuio præcisum ita vt in mensam prosiliret 457
Regnerus Daniæ Rex 55.311.
Regni affectatio 246.247.248. 370.392.393.418.419
Regni causa relligio Christiana deserta 313
Regni cupiditas 355.364
Regni vicissitudo & occupatio 393 410.412.413.414.415.416. 417.424.425
Regni æmulum captum mos pedibus calcare 460
Regni causa cædes perpetratæ 195. 202.212.215.249.290.330. 391. 393. 406.409. 436. 456. 462. 485.487. 519. 588.589
Regni causa fratricidium commissum 187.188.197.329.348. 432.455.486.
Regnum Christi epicurea voluptate definitum 1
Relligionis Christianæ persecutio vindicata 8. confer Ecclesiæ persecutio.
Relligionis innouatio & constantia 43.162.656.660

Relligionis contemptus 278. 363
Relligionis habitus 478. 386
Repudium vxoris pudicæ vindicatum 114. 115
Rex puer 377
Rhadagaisus Gothorum Rex 308
Richardus Anglorum Rex 172
Richardus II. Anglorum Rex 329 377
Ricimer Gothus 182
Rindfleisch cœlitus se demissum prædicans ad excidendos Iudæos 405
Robertus Antisiodorensis Imperator Constantinopol. 216
Rodericus Gothorum Rex 98
Rodoaldus Rex Longobardorum 99
Roma 557. 585
Roscij seu Comœdones 291
Rota supplicij genus apud Germanos formidabile 275
Rudolphus Imp. 11
Rudolphus Gonzaga 244
Rugas dux Barbarorum 31
Ruina domus 1. vide Mors illata.
Rußi incantationum & veneficiorum gnari 487
Rusticorum seditio 94
Rustico tunicam frigoris causa eripiens præfectus quidam quomodo punitus 126

S

Sabbathi violatio. vide Dominicus dies & Feriæ.
Sacerdos sedare volens tempestatem aufertur à diabolo 649
Sacerdos adulter à marito vxoris adulteratæ castratur 664
Sacerdotum libido 192. 664. 665. 666. 667. 662. vide plura adulterium & stuprum.
Sacra biblia combusta 121
Sacrarum rerum administratio 233. 591
Sacrificium humanum 39
Sacrificulorum pontificiorum execratio & reprehensio doctrinæ Euangelicæ 646. 647
Sacrificulorum potestas in Satanam 663
Sacrilegium 43. 46. 121. 122. 123. 124. 166. 233. 234. 235. 236. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 288. 320. 351. 352. 365. 414. 606. 623. vide plura Templa Christianorum &c.
Sacrilegij pœna 234
Sacrilegus sacrilego caput præcidit 166
Sacris exautorati 4
Sacrorum templorumq; violatio 234. 279. 289. 463. 471. 472. 482. 517
Saladinus Sultanus Aegyptius 255
Salica lex 12
Saltatio 31. 32. 239. 603
Samosateni secta 303
Sanctius Comes Castulonensis 219

Sanguis cæsi quo innocentior, eò grauior vindicta 151
Sanguine humano facies picta 570
Sanguis è terra erumpit 6
Sanguis papilionum tegmina conspergit 611
Sanguis de aciebus in aëre pugnantibus 612
Sanguis è fonte 624
Sanguinea gutta de cœlo 612
Sanitatis recuperandæ causa eleemosyna facta 194
Sapor Rex Persicus 39. 44
Saraceni 371. 613. 614. 616
Saraceni victi & cæsi 34. 571. 613
Satanas aduocatus 16
Satanas animam emit pro cantharo vini 8
Satanas quercum prægrandem aduehit domui nobilis 26
Satanas aufert venditorem animæ 8
Satanas idolis sacrificantem Nicomachum in terram collidit 7
Satanas hospitem aufert 1
Satanas mundatorem linteorum rudium ita percutit vt repente exaruerit 17
Satanas adolescentem aulicum noctu è lecto sublatum in imam fossam deijcit 17
Satanas nomen suum subinde vsurpantem ceruice fracta in paludem deijcit 18
Satanas mulierem aufert 19
Satanas propinantes sibi trucidat ibid.
Satanas iuuenes execratores per aërem sublimes raptos interimit 20
Satanas nominatus mulierem obsidet ibid.
Satanas nobilem propè abripuit 22
Satanas mulierem filiam suam adoptiuam abripit discerpitq́ ibid.
Satanas tibicenem aufert quòd de stercore equino bibisset 23
Satanas aleator militem ludentem secum aufert 25
Satanas Ioannem Faustum magum interficit 28
Satanas obsidet agitatq́ 52 57
Satanas obsidet subdiaconum 35
Satanas aufert raptorem alienæ vxoris 118
Satanas sacrilegum iterum iterumque immergit lacui 281
Satanas raptorem tamdiu rotat donec ablata restituit 283
Satanas aufert sacrificos 646. 647. 648. 649

Satanas

Satanas scortum sacrificuli aufert. 663. plura vide in Dæmones.
Scabellum pedum hostis sui Valerianus Imp. 39
Scapharum supplicium 83. 212
Scelerata vita 223
Schaldenburg arx 79
Schiltacum Germaniæ oppidum 527
Scholasticus præceptori immorigerus de arbore delapsus extinguitur 33
Sclaui 615
Scortatio 191. vide Libido & similia
Secretorum reuelatio 358
Secundus Philosophus 102
Seditio 56. 92. 94. 219. 225. 246. 248. 250. 267. 269. 270. 356. 358. 371. 388. 390 391. 394. 395. 396. 397. 400 194. 401. 402. 403. 404. 416. 422. 430. 446. 461. 474. 482. 506. 526. 590. 609
Seditio mota relligionis causa 313
Seditio rusticorum Vandalorum 636
Seianus 175
Selymus Turcorum tyrannus 177. 215. 485. 515
Sennacherib 145
Sententia proditionis sibiipsi dicta 262. 264
Sepultura ignominiosa 36
Serpentem pascere cogitur filius qui patrem noluit 61
Seruitiorum vilitas 571
Seßionis controuersia 621
D. Seuerinus 288
Seuerus Antiochensis Episcopus 4
Siccitas immensa fructus terræ perdit 43
Siccitas aëris 519
Sigismundus Hungariæ Rex 576
Simonia 424. 463. 511
Simon Thuruaius Dialecticus 279
Simulachrum cereum ad alterius perniciem 408
Simulachrum victoriæ se sponte conuertit 609
Sinatus Galliæ tetrarcha 202
Situs 414. 488
Sittenbach Monasterium ordinis Cistercienşis 633
Smaragdus Italiæ Exarchus 52
Soles tres de nocte visi 616
Solis eclipsis 527. 602. 603. 604. 610. 614
Sol obscurus lucet 197
Solon 259
Solymannus Turcarum Imperator 636
Somnia pro lege obseruari iubentur 438
Somnium 166. 167. 222. 606. 620
Sororum duarum amor inter se pius 512
Spectrum diuitis Halberstadensis 25
Spectra interfectorum occurrunt Neroni 36
Spectrum grandis mulieris 600

Spectra

Spectra equitum 21.615. pugnantium in aëre 608
Spectrum in fine chorea saltat 603
Spectrorum apparitio varia 604
Spectrum iuuenis 605. hominis 606. 625. 626. canis 663. plura vide Portenta.
Spoletani 3
Spoliatio 3 6
Sponsa alteri sese despondens 216
Sponsus cum Sponsa ad aram Dianæ concidunt 202
Spurius 427. 437
Spurij filij in regno succedentes 349
D. Stanislaus Cracouiensis Episcopus 223
Statua loquitur 139. sudat 616. 624
Stella medio die conspecta 543. stella formam subinde mutans 603
Stella Mercurij visa interdiu 610
Stellæ hinc inde oberrantes 613
Stephanus Papa 613
Stephanus Hubener homo diues 26
Stocholmia emporium Sueciæ 378
Strigonium 473
Strepitus terribilis in aëre, tubarumq; sonus 616
Studiosus ob virginem confoditur 639
Stupri pœna 192. 217
Stuprum 95. 96. 97. 98 107. 120. 134. 201. 208. 209. 210. 211. 212. 217. 229. 232. 237. 238. 240. 241. 244. 287. 323. 324. 348. 368. 441.
Stuprum callido facto vindicatum à fœmina 99
Stuprum maris cum mare 188. 245
Subditi oneribus à magistratu pressi 397
Subditorum rebellio 204. 205. vide Rebellio.
Suebla prædo 273
Sueno Dacorum Rex 310
Sueones iniuriarum verbalium impatientissimi 378
Superbia 146. 147. 148. 149. 150. 175. 177. 178. 576. 633. vide Fastus.
Supplicio capitali affectus aleator ob blasphemiam 19
Supplicio affecti venefici 30. 31.
Supplicij grauitas 134. 212. 213. 215. 217. 219. 244. 276. 514. 516. 280. 281. 282. 283. vide Mors.
Supplicij grauioris metu illata mors 492
Supplices læsi 286. 287. 389. 590. 591
Supplices hosti traditi 89. 455
Suspendium eiusq; aliud simile supplicium in Saxonia 125
Suspensorum cadauera ad artocreata conficienda vsurpata 154
Syluius Romulus XI. Albanorum Rex 278
Symmachus 77. 226

T

Talionis pœna 197
Tamberlanes Scytha 473
Tandemus impostor 5
Tarquinius Rex 358
Tartarus sitne 8. vide Gehenna., Infernus.
Taßilo Boiorum Rex 17
Tempestas maris 579.580.562
Templarij Equites 160
Templa Christianorum direpta 6. 49.146.279
Templa Iudæorum direpta 121
Templa incensa 471
Templum ingredi inquinatus non debet 58.91
Templum asylum 150.442
Tennes Rex Tenediorum 206. 260
Tentatio 659. vide Desperatio.
Terræmotus 3.43.44.50.51. 178. 286. 301. 37.38.372. 490. 495. 505. 509. 535. 537. 538. 539. 540.541. 543.583.544.545. 546. 547. 548. 549. 550. 603. 609. 610. 611. 612. 614. 619.622
Terra respuit sepulturam incestu matrem polluentis 58
Tessera popularis 390
Testamentum iniqui mercatoris 118
Thebæ 96
Theodoricus Episcopus Treuirensis 56
Theodoricus Gothorum Rex 78. 151. 226. 558
Theodoricus Gallorum Rex 181. 268
Theodosius Imp. 31.35.247. eius decretum feruens 90
Thomas Blaurerus 661
Thomas Munzerus 357
Theophylactus Patriarcha Constantinop. 348
Theseus 324
Thulis Rex Aegypti 147
Thyestes 209
Tibicen 23
Tigurum vrbs 377
Τοκίτης signum 614
Tolosanum aurum 122
Tomumbeius 515
Tonitru 19
Torellorum familia 604
Tortura 192. non semper verum prodit 133
Totilas Gothorum Rex 558 585
Traianus Imperator 36
Transfuga 443
Trautenau ciuitas Boëmiæ 26
Trebonius adolescens 96
Tributi exsolutio consueta denegata 571
Tributorum exactio vel exaggeratio 134.135.194. 351. 560. 636
Troia 96.143.218
Tryzus tyrannus 428
Tubarum sonus è cœlo 607.617
Tutorne is esse debeat ad quem spes succeßionis spectat 259

Tutoris facinus 259
Tyberius 73
Tympana in templo audiuntur 610
Tyrannis exercita, vel affectata 174.249.254.384.387.392. 409. 410. 411. 422. 428. 429. 558. 607. 430. 431. 432. 433. 435. 437. 438. 439. 440. 441. 518. 203. 205. 250. 251. 252. 329. 391. 150. plura vide Cædes.
Tyranni matrimonium 174. 454
Tyranni in toto orbe iniustè dominantes cæsi 202
Tyrigetæ siue Thuringi 19

V

Valens Imp. 40. 44. 165. 180
Valentinianus III. Imp. 210
Valerianus Imp. 39
Valeria Thusculana 102
Vallia Gothorum Rex 580
Valterus Herefordensis Episcopus 20
Vandali 210. 309. 313
Varius Heliogabalus 74
Vaticinium 342
Vdo Sclauorum princeps 55
Venatio 20. 33. 56. 111. 233. 225. 349. 361
Venceslaus Boëmorum rex 517
Veneficij pœna apud Persas 272
Veneficij inferendi causa Chirurgi, Monachi, Vespillonum & Iudæorum conspiratio 31. 31. 40. 337. 508
Venenum propinatum 42. 47. 76. 181. 185. 198. 202. 220. 272. 335. 349. 370. 373. 435. 442. 589.
Venenum in chirothecis apparatum 120. *sacro calici immissum* 35. 336
Venenum aquis illatum 487
Venetijs tyrannis affectata 203. 205. 250
Veneti 205. 217. 610
Venetorum edictum 372
Ventorum impetus 602. 612
Verborum procacitas 164
Veremundus II. Hispan. Rex 285
Vestalium virginum supplicium 237. 238. 368
Vestalis virgo nubit Heliogabalo 278
Vestalis stuprata 346. 492
Victoriæ moderatio 70
Victoriæ crudelitas 95. 310. 465. 466. 467. 468. 472. 473. 479. 480. 481. 478. 477. 555. 595. 478. 487. 635. 636
Victorinus Cæsar 186
Victus subitæ mutationes pestem inducunt 507. 508
Viduitas promissa non seruata 145
Vigellius Saturninus Prætor Carthaginensis 41
Villa noua Vngariæ vrbs 472
Villa Berengarij Regis Italiæ vxor 192

Vindicta 442.529
Virginitatis amor 227
Vubur Gothorum rex 437
Vita vnius magicè seruata morte alterius 29.153
Vita chara 192.519
Vitellius 93
Vitissa Gothorum Rex 223
Viui defoßio 510
Vladislaus Iagello Poloniæ Rex 232
Vladislaus II. Poloniæ Rex 225
Vladislaus Vngarorum Rex 577.611
Vlricus Schrōterus aleator 18
Vmbra hominis metienda 147
Vngari 55
Vnstrutus fluuius 115
Vocationis diuinæ simulatio 405
Voluptas 198.222.24
Votum monachismi 161
Votum 72.190
Vox audita 609.610.612. è stagno 624
Vratislaus Dux Lucensis conditor Bratislauiæ 28
Vrbanus Formensis Donatista 7
Vrbes terræmotu sex milliaribus loco translatæ 547
Vrrachia Regina Hispaniæ 123
VVeilnau pagus 26
VVeissensee oppidum Thuringiæ 293
VVillisau ciuitas Heluetiæ 18
VVoldimirus Rex Ruthenorum 81
Vxor præfecti cuiusdam septem porculos parit 129
Vxor aliena in matrimonium postulata 242
Vxores pudicæ repudiatæ, expulsæ, interfectæ 114.115.116
Vxoris Iuliani præfecti pia admonitio 6
Vxoris impudicæ nefaria mariti proditio 115

X

Xerxes 140

Z

Zaroes magus 154
Zauissa Episcopus Cracouiensis 368
Zelotarum secta 453
Zelotypia 405.462
Zelus mariti præposterus 83.114.116.232.350

FINIS

PROCVRABAT ET SVMPTVM
FACIEBAT HENNINGVS GROSIVS
Bibliopola Lipsiensis.

M. D. IIIC.